PHYSICA
SIVE
DE CORPORE, ET REBVS NATVRALIBVS
PHILOSOPHIA
Tribus Tractatibus.

Explicata methodo clara, lucidaque

Per Admodum Reu.

P. GREGORIVM FERRARIVM
E SOCIETATE IESV THEOLOGVM.

In hoc primo Tractatu disputatur de Obiecto, & Natura Physica, de modo eius procedendi, de primo cognito, deq; Rerum Naturalium Principijs.

Cum Quæstionum, ac rerum Indicibus copiosis.

AD EMINENTISS. AC REVERENDISS. D. D.

FEDERICVM BORROMÆVM
S. R. E. CARD. AMPLISS.



MEDIOLANI, M. DC. XXXI.
Apud Io: Baptistam Cerrium. CVM PRIVILEGIIS.
Superiorum permissu, & auctoritate.

EMINENTISS. & REVERENDISS. D. D.

FEDERICO BORROMÆO

S. R. E. CARDINALI AMPLISS.

Et Sanctæ Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopo vigilantiss.

Gregorius Ferrarius è Societate Iesu G. & F.

ERant sub prælo Eminentiss. Antistes hę meæ philosophicę elucubrationes quando ex faucibus Auerni non sine iusto Dei imperio excita mors florentissimam hanc Ciuitatem, & in ea multa alacritate feruentia occupauit litterarum studia, & omnia pauida trepidatione compleuit, Iuuentutem à Gymnasijs excussit, ora Doctorum conclusit, libros, calamos, atramenta in vnguenta, fascias, alexiteria, commutauit, subsellia litterarum vertit in carros pheretrales, vniuersorumque studium à studijs ad effugiendam tetram

luem conuertit. In tanta rerum perturbatione, trepidatione omnium, plurimorum fuga, consternatione Ciuitatis Eminens tuum non minus charitate Christiana Pectus, quàm officio, & cura pastorali stare loco suo, prospicere cuncta, sollicitare corporibus animisq; auxilia, accurrere, & occurrere opera, adesse auctoritate, & imperio nullam boni Pastoris partem prætermittere. Tanto exemplo inflammata tum secularium, tū Regularium Ecclesiasticorum legio fortissima non terga vertit; sed aduerso pectore occurrere periculo non dubitauit. Et quamquam generosissima morte in exercitio christianæ pietatis, suorumq; fratrum auxilio occumberent multi, non despondit animos, sed stetit intrepida nullam suam partem passa desiderari. Quoties in Parœcijs amplissimæ huius Ciuitatis numerosissimis à vigilantia tua pro mortuis Pastoribus in tam pia causa suffecti sunt alij, qui pari periculo, nō minori charitate, æquali fortitudine, simillimaq; constantia laborarunt. Non deerat vllo vnquam tempore Ecclesia tua maior officio; non defuerunt & aliæ vndiq. confluentium cuicunq; hominum generi, non solum ad præsidium pietatatis, sed ad auxilium salutis. Dabamus singulis diebus aures pænitentibus etiam tabidis, reficiebamus eos Sacrò pane horis matutinis, vespertinis percurrebamus Ciuitatē apud domos Confessiones excepturi. Et quamquam in penetralia domorum nostrarum ingressa lues domestico, externoq; malo conflictaremur sufficiebat vires, & animos benignitas eius, qui cum iratus fuerit, Misericordiæ recordatur. Ce-

ciderunt nobis domestici; sed quod maius est, Ceciderunt & Eminentiæ tuæ icti pestilentia, non cecidit animus, & tantus præsul penè nudum latus obiectasti periculo; vt in omni fatalis morbi articulo bonus Pastor eminceres. Incolumem te Ciuitati seruauit, Incolumem te Ecclesię toti decreuit Diuina Bonitas. Remissa Pestilentia est, conquieuit virus, & lues lethalis acerbitas, quę 100 & 40 millia (si vera fama est) capita huius Ciuitatis extinxit. Totus iam es in reficienda quassata Ecclesia, donādis Rudefessis, munerandis athletis fortissimis; nihil intentatum relinquis, quo nihil detrimenti capiant reliquiæ & Ciuitatis, & Diœcesis, vt iam sperare optima quæque omnibus iubeāt tua vigilantia, pietas, paternus amor, quæ mihi quoq; spem dederunt non dubiam, has meas elucubrationes factas animo iuuandi Iuuentutem præsidium apud tuam Eminentiam inuenturas. Instauranda propemodum studia sunt, excitandi Iuuentutis animi præferēti facem Eminentię tuæ Amplissimæ, vel saltem scintillulæ loco meis velim his philosophicis commentationibus famulari. Gratum habeat obsequium, non aspernetur seruitium, excipiat librum solita clementia, & charitate, sitq; Benignitatis tuę fauor apud eos, qui illo proficere poterunt conciliatrix aura, & gratia. Mihi quidem in animo fuit lucem aliquam afferre obscuris, resecare non pauca monstra errorum, cum scientia aliquos igniculos pietatis adiungere, vt non minus vtilis voluntati, quam Intellectui proficua esset Philosophia. Quid promouerim, quid perfecerim, si inter tot tuas occupationes

&

& curas, vel aliquando ſacris manibus librum dignaberis, quę eſt Eminentiſſimi ingenij tui vis, & perſpicatia melius me ipſo, melius, non dubitem dicere, & omni alio aſſequeris. Interim Diuina Clementia in bonum Mediolanenſis Ciuitatis, & orbis per longa tempora Eminentiam tuam ſeruet incolumem, ſicut boni omnes exoptant.

PRAEFATIO.

DVbium non est; quin magnus sit Natura liber, non leuibus impressus Notis, sed profundis insculptus characteribus, quos nulla potuit post tot annorum Myriadas, nec futuris temporibus poterit delere vetustas. Sed hic non facile legitur, cum tamen teste Vate regio Non sint loquelæ, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Audiuntur, nec Exaudiuntur, se se produnt, nec satis percipiuntur, quod clament manifeste quidem, sed subobscure, Insinuent se oculis nostris, & subducant, palam prodeant in apertum, & se occultent, vt vere profari possimus. Natura rerum nihil esse manifestius: Natura rerum nihil esse occultius: Nihil oculis magis patens: Nihil exquisitæ Intelligentiæ magis latens, vt sæpius Elabatur, quod tenere te credas, sitq; hic nō immerito decantatus ille Protheus, de quo cecinit Lyricus. Psal. 18.

Quo teneas vultus mutantem Prothea nodo. Horat. in poetica.

Quis enim proprio experimento verum esse non deprehendit, quod dixit Ecclesiastes. Cunctæ res difficiles, Non potest eas homo explicare sermone. Quid igitur faciendum? Cessandum ne prorsus, & desidia obruendi Impetus animi ad sapientiam stimulantes, sed quare inditi? Cur exstimulant? Quare se exerunt? cur adomouent faces, si nulla ex illis lux? si nihil obtineri per illos potest? Magis ergo candide fateamur. Per eos posse obtineri plurimum, vbi nihil tam parum, quin sit multum; Nihil tam paruum, quin sit magnum. Quid enim aliud Deus, quam sapientia? Per quid aliud viuit Deus quam sapientiā? Quo alio est Deus, quam sapientia? tametsi non illa inclusa cancellis, vt humana, non coarctata limitibus, Cap. 1.

ut creata;non admixta erroribus, ut secularis; non languens,non flaccida,non sine energia,& Efficacitate.

Deus enim potens sapientia est, non deficiens, sed excedens, non commutabilis,sed Immutabilis, qui ex nimia sua redundan- Cap.1 *tia, ut apud Ecclesiasticum est, effudit illam super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum, & praebuit illam diligentibus se. Datum ergo Dei creata est sapientia,& amici quidem,& diligentis, ac dilecti datum, ut non sine magna causa dixerit philosophus. Amicos Dei esse sapientes. Si ergo adeo extollit, quos implet, ut usque ad Dei prouehat amicitiam, quis labor grauis sit in illa comparanda? Quod tempus longum? Quae industria, & impetus sufficiens? Vere ergo sic statuamus,huc omnes animi intendendos esse neruos,huc contendendas vires mentis, ut tanto bono non careamus: Et quoniam super opera Dei ex vera sententia Ecclesiastici effusa est, quaeritur iam hic Apis argumentosa, quae colligat, fauosque efformet non sensus titillantis, sed animum satiantis suauitatis. Sed Campus prope infinitus est, ac proinde non una, dices, sed multiplex, & impedita ratio colligendi. Non abnuimus, non inficiamur; sed ideo, ut aliorum multorum non inutilem nostrum existimamus laborem, non vanam futuram putamus industriam, quae in tam amplo rerum campo aliquid sparsae sapientiae per summa colligat, & offerat delibandum. Idcirco enim Physica Methodo clara, & ratione perspicua, atque non nimus prolixis, sed expeditis disputationibus, non iam calamo, sed typis danda esse putauimus, subinde caetera in Lucem, si Deus Optimus Maximus dederit, edituri. Quid perfecerimus alij iudicabunt; Vellemus quidem perfectum plurimum, & imminutum laborem in his disciplinis addiscendis Adolescentibus Studiosis, ac*

resecata multa errorum monstra, quæ subinde pullulant, ne vt apud antiquos sophos sit instar Lernææ Hydræ nostra Philosophia, cuius vnum recisum multa dabat capita, vt vere a quodam de ea dici potuerit. Ab ipso ducit opes, animumque ferro. Horat. lib. 4. carm. ode 4. *Hac enim de causa nos vbi a Luce Fidei non aberrat Princeps Peripateticorum eius vestigijs insistimus, & in scholis magis receptas, atque multorum calculo comprobatas fulcimus, propugnamusque opiniones, & dilucide explicamus. Faxit Deus, a quo omne donum perfectum, vt collimauerimus sapienter, & scopum feliciter attigerimus.*

NON florens Physica, at solitis viduata sophorum
Laudibus en lucem Nostra videre parat.
Ornatus siquidem puduit post funera tanta
Atq. odit flores dedita tot lacrymis;
Nam dum sub Prælo est, hominum luciq. paratur
Aduolat à Stygijs finibus acta Lues.
Pestiferis petit illa viros male per lita succis,
Cumq. viris nescit parcere sæua typis.
Nunc secura exi, tibi iam cessere pericla,
Inq. orbem totum funere maior abi.

Antonius Marchesius Prouinciæ Mediolanensis Societatis IESV, Præpositus Prouincialis.

CVm Tractatus philosophicos ad octo libros Physicorum Aristotelis spectantes P. Gregorij Ferrarij eiusdē Societatis Sacerdotis tres Theologi ex eadem Societate, quibus id cōmissum fuit recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, pro potestate mihi facta ab Adm. Reu. P. N. Mutio Vitellesco Soc. Nostræ Præpositum Generali facultatem facio, vt typis mandari possint, si ita ijs, ad quos spectat, videbitur. In cuius rei fidem hasce mea manu subscriptas, sigilloq. Prouinciæ munitas dedimus. Mediol. die 11. Maij 1631.

Antonius Marchesius.

EGO Frater Ioannes Chrysostomus Carpanus à Mediolanô Ordinis Prædicatorum Lector in Conuentu S. Mariæ Gratiarum Mediolani hunc Physicæ librum Ad. Reuerendi P. Gregorij Ferrarij e societate Iesu exactè, attentiusq; vidi, ac in eo nihil Christianę Fidei dissonum inueni, immò doctrina egregia ornatum cum circumspexi. In quorum fidem manum propriam apposui.

Ita est Fr. Io: Chrysostomus Carpanus à Mediolano, qui supra.

Visa suprascripta approbat. & attestatione.

Imprim. Fr. Heronymus de Bononia Magist. & Vic. Inquis. Mediol.

TRactatus hi de naturali Philosophia ab Adinodum R. P. Gregorio Ferrario è Societate Iesu Compositi à me infrascripto perlecti nihil continent aut Catholicæ Fidei dogmatibus contrarium, aut Christianis virtutibus, & moribus dissonum; quinimo ob sanam, quam facili, grauiq; methodo tradunt doctrinam, digni sunt qui in lucem prodeant non paucis non parum commodi, ac vtilitatis allaturi. Et propterea pro fide &c. hac die 23. Ianuarij. 1629.

Io: Paulus Mazucbellus S. T. D. ac in Metropolitana Mediolani Pœnit.

Hier. Septala Can. Ord. Pœnit. pro Illustriss. Card. Archiep. Attentis suprascriptis Approbationibus.

Visum pro Excellentiss. Senatu.

a

INDEX

Præcipuarum rerum, quæ in hoc primo Tractatu Physicorum continentur.

Littera M. medium. F. finem. 1. primam columnam. 2. secundam, significant, vbi autem tantum numerus paginæ est vel res tota pagina sparsa est, vel est in principio alterutrius columnæ .

A

Accidentia, quæ habent aliquid potentiale. Tract. 1 pag. 92

Accidenti non semper respondet potentia quæ sit accidens. Tract. 1. pag. 92. Quomodo respondeat formaliter, & secundum conceptum. ibid.

Accidentia aliqua sunt in materia, aliqua in toto composito. tract. 1. pag. 137

Actus entitatiuus quotupliciter dici possit. tract. 1. pag. 67

Actus quo modo dicatur aliquid materiæ essentiale. pag. 86. m. 2

Aggregatum per accidens non est quid vnum, sed multa. Tract. 1. pag. 2. m. 2

Agens quare non numeretur inter principia. tract. 1. pag. 48. f. 1.

Agens quomodo amittat vim ad reproducendam formam. tract. 1. pag. 165

Anima nostra est forma in materia, & quo modo cognoscat. tract. 1. pag. 2. f. 2

Anima rationalis quo modo partim fiat naturaliter, partim non, & quare necessario debeat creari. Tract. 1. pag. 98 *Quomodo ad eam materia sit potentia. ibid.*

Anima rationalis creatur, & eius productio creatio est. tract. 1. pag. 145. m. 2

Appetitus quid sit. tract. 1. pag. 104. m. 2.

Appetitus actus varij. ibid.

Appetitus duplex elicitus, & innatus. tract. 1. pag. 104 f. 2

A priuatione ad actum non dari regressũ quomodo sit intelligendum. tract. 1. pagina 138

† *Causæ*

C

Causæ nomine, & principij cur promiscue vtantur in diuinis Patres Græci, non vero Latini. pag. 35. m. 2.
Considerationis physicæ sunt quæ mota mouent. pag. 8. m. 1.
Causa passionis incidit cum definitione subiecti. pag. 3. m. 1.
Corruptibilia, et incorruptibilia, quomodo differant genere. pag. 3. m. 2.
Corpus generabile esse obiectum physicæ quomodo probatur. pag. 4
Corpus naturale à quibus ponatur obiectum physicæ. pag. 8. m. 1.
Corpus naturale est subiectum attributionis physicæ. pag. 10
Compositum accidentale quomodo consideretur, & sit obiectum physicæ. pag. 11. m. 1.
Corpus organicum, quo modo præcedat, & subsequatur animam. pag. 163. f. 2
Cognitio quadruplex, pag. 23. f. 2.
Cognitio actualis, & potentialis, quid ibi & pag. 24
Contraria priuatiue principia rerum. pag. 44. & 45
Contrarietas priuatiua quare sit prima. pag. 49. m. 1.
Continentia aliqua dicit perfectionem, aliqua non. pag. 75
Complacentia quid sit, & quomodo distinguatur a desiderio. pag. 104. f. 2
Corruptionis, siue corruptibilitatis principium quodnam sit. pag. 109. quot includat. pag. 110
Cognoscibilitas cuius passio sit. pag. 115 f. 1.
Corruptum quare non possit reproduci. pag. 133.
Causa intrinseca non est nobilior constituto, & composito. pag. 169

D

Dispositiones quomodo se habeant ad generationum. pag. 128. f. 2.
Deus quare se ad extra non necessario cõmunicet. pag. 52
Deus quare proprie dicatur dare esse. pagina 58
Deus solum non potest, quod implicat cõtradictionem, & quare. pag. 70
Deum esse materiam qui dixerint. p. 74
Deus quid sit. pag. 152 f. 2
Deus tenet omnia ne in nihilum reuertantur. pag. 1. m. 2
Dependentia essentialis rei duplex. pag. 19. m. 2.
Definitio rei quot modis inueniatur. pag. 26. m. 1.
Definitione physica quomodo res definiantur. pag. 117. f. 2

E

Entiet non enti quo pacto dari possit aliquid commune. pag. 37
Ens mobile à quibus ponatur obiectum Physicæ. pag. 6. Quibus rationibus id probent. ibi. Non est obiectum physicæ. pag. 7
Ens accipitur nominaliter, & participialiter. pag. 8
Ens mobile est subiectum adæquationis Physicæ. pag. 10
Entis ratio quo pacto sit obiectum intellectus adæquatum. pag. 21
Experimentum sensus quod sit fallax, & quod non pag. 14
Ens per accidens quomodo à scientia cõsideretur. pag. 4
Elementum minus latè patet quam causa, & principium. pag. 35
Esse creatum non includit suam existentiã pag. 57. f. 2
Essentia Petri quomodo sit semper eadẽ, & quomodo non sit. pag. 101
Equus quomodo à Leone differat, & conueniat eadem forma. ibid.
Educi de potentia materiæ quid sit. pag.

pag. 137.m.1
Eductio de potentia materiæ, & quæ ad eam requirantur. pag. 146
Existentia quomodo dicatur esse ab essentia. pag. 58.m.2

F

Forma quomodo constituat gradum superiorem, & inferiorem. pag. 77
Forma quomodo sit causa corruptionis. pag. 109
Formam non esse distinctam à materia. pag. 135
Formæ distinctio à materia. pag. 136
Formas substantiales dari quæ rationes efficaciter probent. pag. 139
Forma substantialis quomodo sit substantia, etiamsi per se non subsistat. pagina 140
Formæ educuntur de potentia materiæ, & quid hoc sit. pag. 142
Formæ Elementorum non fuerunt eductæ in prima productione de potentia materiæ. pag. 145. rationes, quibus probatur contrarium. pag. 144
Formas intentionales non educi de potentia subiecti quibus probetur rationibus. pag. 148. de formis supernaturalibus, & artificialibus. ibid.
Formæ accepti... es variæ. pag. 151. m. 2. Eiusdem varia nomina, & appellationes. pag. 152. Eiusdem definitio. ibid.
Forma quare dicatur actus. pag. 152
Ex forma substantiali, & materia fit vnum per se. pag. 154
Ex forma substantiali, & materia sine dispositionibus quomodo fieri possit vnum per se. pag. 155
Formæ plures substantiales in eodem cõposito quando, & quomodo simul esse possint. pag. 161, & seq.
Formæ completæ, & incompletæ, quæ dicantur. pag. 162. f. 1
Forma quomodo possit esse simul, vel successiue in pluribus compositis. pagina 164.
Formæ cur naturaliter non possint reproduci. pag. 165
Forma eadem substantialis in pluribus subiectis quomodo constituat vnum. pag. 164. & 165
Forma est perfectior materia, & quare. pag. 166
Formam composito nobiliorem putat Auerroes, contrarium magis verum. pagina 167. non est sola quidditas. ibi.
Forma est principium generationis, & quomodo. pag. 170. & 171. Quomodo sit prior, & posterior generatione. pag. 161
Per formam quid aliquando intelligat Aristoteles. pag. 101. m. 1

G

Generationis duplex principium. pag. 109. m. 1
Ex generatione, & creatione quomodo fieri possit vna actio. pag. 147. m. 1
Homo quomodo dicat animam, & corpus. pag. 100. f. 2.

I

Intellectus noster accipit cognitionẽ ab obiecto, & quomodo. pag. 24
In resurrectione quomodo redibunt eadẽ indiuidua. pag. 101. m. 2
Inclinatio naturalis quid dicat, pag. 104. f. 2.
Incorruptibilitas corporum, vnde proueniat. pag. 112. f. 1

M

Modus procedendi scientiæ est index viæ scientificæ. pag. 1
Motus Angelorum non est motus physicus, & quare. pag. 10. m. 2
Motus violentus, naturalis, & præternaturalis. pag. 95
Medicina multipliciter accipitur. pagin. 16.

Medicina alia ars, alia scientia. ibidem.
Medicina quo modo accipiat sua principia à physica pag. 16
Medicina quæ scientia est subalternatur Physicæ pag. 17.m.1
Materiæ descriptio. pag. 31
Materia quibus rationibus probetur à philosopho.pag.51.& seq. Quibus rationibus impugnetur. ibi.m.1
Materia quare dicatur non esse. pag.53. m.1.f.2.
Materia quo modo vna,& quomodo multiplex. ibi.
Materia multipliciter dicta pag. 54. varia ipsius nomina. ibi.
Materiam non habere existentiam quibus probetur rationibus. pag. 55. rationes probantes contrarium. pag. 66
Materiæ existentia qualis sit pag.57.m.1 habet propriam existentiam. ibid.
Materia quo modo dicatur esse actu. pag. 59
Materia realiter distincta à forma etiam per S. Augustinum, S.Thomam, & Auerroem.pag. 61
Materia in aliquo sensu dici potest essentialiter actus entitatiuus. pag.67. simpliciter non est essentialiter actus entitatiuus.pag. 67. & 68
Materia per Dei potentiam, potest existere sine forma.pag.69. & 70. rationes in contrarium.pag. 68.& 71
Materia sine omni forma naturaliter existere non potest. pag. 73
Materia non est substantia perfecta. pagina 74
Materiam esse corpus qui affirmet. pagina 75
Materia non est corpus. pag. 76
Materia non habet formam coæuam. pagina 79
Materia quomodo creata sit. pagina 79
Materia nō habet inchoationes formarū, nec possibilitates coæuas.pagin.81. & 82. rationes quæ probant in contrariū. pag. 80
Materiæ quod sit genus, & differentia. pag. 84
Quomodo aliquid essentiale materiæ dicatur actus.pag. 86
In materia quomodo sint plures potentiæ.pag. 85
Quæ potentia sit de essentia materiæ. pag. 84
Materia pertinet ad essentiam compositi. pag.99.& quotupliciter id accipi possit.ibi.vide etiam pag.101. & 102.
Qui negent pertinere. pag. 99
Materia multipliciter accipitur ab Aristotele. pag. 100
Materia quomodo sit sub diuersis formis, & pertineat ad diuersas essentias. pagina 101.m.2
Materia est de ratione artefactorum, & quo modo.pag. 102
Materia quid prius respiciat formam, cōpositum, an agens. pag. 103
Materia ordine generationis, siue executionis prius respicit agens, tum formā accidentalem, postea substantialem, vltimo compositum.pag. 103
Materia ordine intentionis, & finis prius respicit compositum.pag. 103
Materiam appetere formas qui affirmēt, & qui negent. pag. 104. Quas appetat,& à magis vnam quam alium.pagina 105
In materia hæc 4 distincta potentia, aptitudo, priuatio, & appetitus. pagina 105.m.1.
Materiam esse ingenerabilem, & incorruptibilem quot modis accipi possit. pagina 106
Materiam aliqui ponunt generabilem, &

& quo modo. ibi.
Materia ingenerabilir est. pag. 107
Materia non esse causam generationis, & corruptionis quibus probetur rationibus. pag. 108
Materiam duplicem quare aliqui introduxerint. pag. 110
Materia quam vnitatem habeat. pagina 111.
Materiæ duplex species. pagina 112. f. 2.
Materia sub diuersis formis multiplex est. pag. 113
Materia non habet partes actu, sed potestate. pag. 113
Materia quomodo constituat diuersas species, & à se specie differat. pag. 113
Materia an habeat veritatem. pagina 114
Materiæ triplex conceptus. pagina 115.
Materia quo modo habeat ideam in mente diuina. pag. 115. materiam habet bonitatem. ibi. Qui putarunt non habere. ibidem.
Materiæ plurimæ definitiones traditæ ab Aristotele. pag. 116. duo modi definiēdi materiam. ibid.
Mutationis terminus aliquando est nibil pag. 121
Malum quid sit. pag. 1
Medicus incipit vbi desinit physicus, & quomodo. pag. 15. m. 2
Metaphysicæ munus est agere de principijs. pag. 31
Mutationis duplices termini. pagina 45

N

NAturæ rei cognitio ducit ad cognitionem eorum, quæ in re sunt. pagina 1
Non omnis mutatio physica immediate conuenit corpori. pag. 11
Notiora natura quibus rationibus probētur esse etiam notiora nobis. pagina 19.
Notiora natura dicuntur duobus modis. ibi.
Notius nobis simpliciter quid dicatur. ibid.
Notiora natura sunt minus nota nobis. pag. 20
Notius nobis varijs modis dicitur. pagina 21.
Notiores nobis qua ratione sint gradus minus vniuersales, & qua ratione dici possint notiores nobis gradus magis vniuersales. pag. 21
Notiora nobis, quæ sæpius cogitamus, & quomodo. ibi.
Nihil dicitur dupliciter. pagina 59. m. 2
Nihil quando, & quomodo possit sibi determinare subiectum. pag. 120
Negatiua quomodo ab Aristotele dicantur ens. pag. 122
Nihil per quid dici possit multiplicari. pag. 128

O

OBiectum est mensura, & regula sciētiæ. pag. 2
Quod haberi non possit scientia ignorato obiecto. ibid.
Obiectum scientiæ quid dicatur. pagin. 3. m. 1.
Omnia quæ physica considerat quomodo sint vnum. pag. 3
Obiectum physicæ est vnum. ibidem.
Obiectum scientiæ quid debeat constitui. pag. 3. m. 1. & p. 7
Obiectum adæquatum quid sit. pag. 5. m. 1.
Obiectum adæquatum Physicæ quid poni debeat. ibid. & p. 9
Obiectum formale quid debeat constitui. pag. 6
Obiectum Physicæ varie appellatum ab

ab Aristotele.pag. 7.m.2
Ordo duplex intentionis, & generationis.pag. 103
Opposita, quæ se mutuo tollunt, & quæ se perficiunt.pag. 85

P

Passio subiecti quo modo demonstretur.tract.1.pag. 3.m.1.
Passionis causa incidit cum definitione subiecti. ibid.
Partes actu quando sint.tract.1.pag. 114
Personis diuinis quæ prioritas repugnet, & quæ conueniat.tract.1.pag.39.m.1
Physica est scientia tract.1.pagina 12. et 13.
Physica est scientia speculatiua. pag. 15
Physica qua ratione sit propter Theologiam, vel medicinam. ibid.
Physica quomodo procedat, & à quibus notioribus.tract.1.pag. 28.& 29
Physicæ scientiæ quæ sint principia. pagina 31.m.1
Physicus de qua forma agat quidditatiue.pag. 6
Physicæ considerationis sunt quæ mota mouent.pag. 8.m.1
Physicæ res continent rationes immutabiles.pag. 13
Potentia dicitur multipliciter. tract. 1. pag. 84.m.1
Potentia Vniuersalis, & particularis materiæ.pag. 87
Potentia materiæ ad accidentia non est illi essentialis.pag. 89
Potentia obedientialis, quæ sit, & quid sit tract.1.pag. 93
Potentia obedientialis simpliciter, & potentia obedientis quo admodum.p. 95
Potentia neutra, & violenta, quæ sint. tract.1.pag. 94.& 95
Potentia subiecti ad formas artificiales qualis sit.pag. 95
Potentia contradictionis, siue potentialitas quid includat.tract.1.pag.101.f.2
Principia corporum generabilium quare considerentur in physicis.tract.1.pag. 5.m.2.
Principia multipliciter dicuntur.pagina 32.& 33.
Principium non differre à causa, & elemento quibus probetur rationibus.pagina 34
Principium, & causa aliquando synonima.pag. 35
Principium quomodo differat à causa, & Elemento.pag. 34.et 35
Principiorum omnium etiam negatiuorũ quomodo in communi detur vna ratio. pag. 36.& 37
Principiorum ratio communis in intellectu est positiua.pag. 37
Principium communissime quo modo definiatur.pag. 38
Principio quæ prioritas conueniat. pagina 39
Principiorum rerum physicarum definitio.pag. 40.& 41
Explicatio huius definitionis, & obiecta. ibid.
Principia communitatis, & causalitatis explicata in dicta definitione.pag. 43
Principia communitatis quid sint, & quid principia causalitatis. p.42.m.2.
Principia rerum, qui dixerint esse vnum, & quibus rationibus. pag.45.& 46.
rationum illorum solutio. pag. 48
Principia rerum qui plura quam tria po suerint.pag. 45.et 46
Principia rerum in fieri esse tria, duo in facto esse.pag. 47.& 48
Principia rerum extrinseca quæ sint. pagina 47.m.2
Principium adæquatum corruptibilitatis quot includat.pag. 110.p.1
Principia quo modo semper maneant. pag. 82.& 125.f.1

Prin-

Principium quomodo debeat esse simul cum principiato.pag. 125
Inter principium, causam, et elementũ quod sit discrimen.pag. 34. & 35
*Practicum, & speculatiuum multipliciter dicitur.tract.*1.*pag.* 14.*m.*2
Prædicata magis abstracta an sint primo cognita.pag. 22. & 26. & 27
*Prædicata magis abstracta non sunt notiora nobis cognitione distincta potentiali.tract.*1.*pag.* 23.*m.*2.*sed minus abstracta.pag.* 24
*Prædicata magis abstracta sunt notiora cognitione distincta actuali.pag.*25.*f.*1
Prima contraria quæ dicantur, & in quo genere sint.pag. 44.*m.*2.
Prima contraria principia omnium rerũ naturalium.pag. 45
Priuatio quo pacto fundet, & participet cum alijs principijs vnam rationem. pag. 37
*Priuatio quomodo idem cum materia, et dispositionibus, & quo modo diuersa. ibi.f.*2.
Priuatio sola compositi, & non formæ quare sit principium. pag. 49.*m.*1
*Priuatio formæ corruptæ, & ipsa forma quare nonsint principium.pag.*49.*m.*2.
Priuationem esse quid positiuum quibus probetur rationibus.pag. 118
*priuatio non est ens positiuum.pag.*119
Priuatio, & priuatum dicitur multipliciter. *ibi.m.*1
*Priuatio quomodo differat à negatione. ibid.f.*2.
*Priuatio quare dicatur malefica.pa.*120.*f.*1.
Priuationes quomodo à sensu percipiantur. *ibid.m.*2
Priuatio quo modo concipiatur.pag. 121 *f.*1.
Priuationem qui dicant esse ens rationes, & quomodo probent.pag. 121
De priuatione loqui possumus dupliciter.pag. 122
Priuatio quo modo fiat.pag. 123. *Quomodo sit ens, & existat.pag.* 122
Priuationem, & negatiua quo modo concipiamus.pag. 123.*f.*1
*Priuatio an sit principium rationes pro, & contra.pag.*123.& 124. *vbi male impressum est.* 132
Ex priuatiuo quo modo fiant omnia. pag. 124.*m.*1
Priuatio est principiũ generationis quidditatiue distinctum ab alijs. pag. 124. & 128.
Priuatio quando principiet. pag. 125
Priuatio non vna, sed multiplex in mutationibus. pag. 127
Priuatio est principium per se generationis, geniti vero per accidens. pagina. 128.*f.*2.
Priuatio est vnum numero cum materia. pag. 133
A priuatione ad actum non dari regressũ quomodo sit intelligendum. pag. 133
Priuatio quomodo distinguatur à materia, & à forma. pag. 134
Productum, siue quod producitur in genere accidentis non est vnum.p. 93.*m.*1

Q

*Quidquid est bonum est.tract.*1.*pagina* 1
Quod producitur per se prius producitur quam quod producitur per accidens.pag. 21.*f.*2
*Quid prius cognoscatur cum obiectum non est debite applicatum.pag.*22.*m.*2.
Quid obstet ne sit idem quidditas, & habens quidditatem.pag. 102.*m.*1
Qualitates primas cur Aristoteles appellet differentias elementorum.pagina

na 141
Quomodo possit esse vna potentia materia ad substantiam, & accidens. pagin. 89. m. 2.

R

R*Eale positiuum, & reale negatiuũ. pag.* 134. m. 2
Ratio formalis subiecti est causa prima passionis. pag. 3. m. 1
Ratio essentialis alicuius quæ sit. pag. 89. m. 1.

S

S*Vbstantiale esse multiplex. pag.* 162. m. 2.
Species completæ, & incompletæ, quæ dicantur. pag. 163
Sub alternata addit conditionem formalem scientiæ subalternæ. pag. 17
Subalternata scientia, quæ sit. pag. 16. *quomodo seruet subiectum subalternantis. pag.* 17. *diuersificat obiectum essentialiter. pag.* 18. *vtitur principijs subalternantis nec tamen transcendit de genere in genus.* ibid. f. 1
Scientia humana est de vniuersalibus. pag. 2. *& quare. ibi.*
Scientiæ omnes fiunt per definitionem. pag. 3. m. 1
Scientia quomodo consideret contraria. pag. 4. m. 1
In scientia quomodo sit procedendum. pag. 5. m. 2
Sensibilia sunt fluxa, & contingentia. pag. 2. f. 2
Scientia non considerat ens per accidens. pag. 3. f. 2

T

T*Otum actuale quid sit. pagina* 23. f. 2.
Totum quo modo sit tertia entitas, & distinguatur à suis partibus. pag. 158. & 159.
Totum esse partes simul sumptas. pagina 158. *rationes probantes contrarium. pag.* 157

V

V*Ox Dei quid sit. pag.* 1
Velle Dei est posse. ibid.
Vnitas passionis ostendit vnitatem subiecti. pag. 2
Vnitas multiplex est. pag. 3. *& pag.* 115 f. 2.
Vnitas analogica sufficit in obiecto scientiæ. pag. 3. m. 1
Vniuersalis, & particularis potentia materiæ. pag. 87
Vniuersale quid sit apud Aristotelem. pagina 99. m. 2
Verum quid sit. pag. 114
Virtutes Elementorum Aristoteles refert in primas qualitatis, & cur. pag. 141. f. 2.

INDEX

Disputationum, Quæstionum, & Articulorum, quæ hoc primo tractatu continentur.

Disputatio prima de obiecto, natura, & modo procedendi scientiæ naturalis.

Inuocatio.

Quæstio prima de obiecto, & natura scientiæ naturalis, quæ dicitur Physica.

Art. 1. Vtrum scientia physica habeat aliquod vnum obiectum.

Art. 2. Vtrum obiectum physicæ sit corpus mixtum, siue corpus generabile, & corruptibile.

Art. 3. Vtrum obiectum physicæ sit ens Mobile.

Art. 4 Vtrum Corpus naturale sit obiectum physicæ.

Art. 5. Vtrum physica sit scientia.

Art 6 Vtrum physica sit scientia speculatiua.

Art 7 Vtrum Medicina subalternetur physicæ.

Quæstio secunda de Primo Cognito, & modo procedendi scientia naturali.

Art. 1. Vtrum notiora natura sint minus nota nobis.

Art. 2 Vtrum prædicata magis abstracta sint nobis notiora alijs cognitione confusa, & prima cognita

Art 3 Vtrum prædicata magis abstracta sint notiora nobis alijs minus abstractis.

Art. 4. Vtrum magis abstracta sint nobis notiora cognitione distincta actuali.

Art. 5. Vtrum absolute prius cognoscantur à nobis magis abstracta, an minus abstracta, siue quæ sint illa ex abstractis: quæ à nobis primo cognoscantur.

Art 6 Vtrum in physicis procedendum sit à notioribus ad minus nota, & quomodo.

Disputatio 2. de Principijs obiecti philosophiæ Naturalis quoad fieri, & componi.

Inuocatio.

Quæstio 1. de principijs in communi.

Art. 1. Vtrum principium sit multiplex.

Art. 2. Vtrum principium differat a causa, & Elemento.

Art. 3. Vtrum Detur vna Ratio principij in cõmuni, & illa vniuoca vel analoga sit.

Art. 4. Vtrum ratio principij communissima sit esse primum id, vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.

Art. 5. Vtrum principia rerum naturalium bene definita sint ab Aristotelo. principia sunt, quæ neque ex alterutris, neque ex alijs, sed ex his sunt omnia.

Art. 6. Vtrum in dicta definitione definiantur principia communitatis, an causalitatis.

Art 7. Vtrum prima contraria sint principia rerum naturalium.

Art. 8 Vtrum principia rerum naturalium in fieri sint tantum tria, in facto esse, duo.

Quæstio 2. de principio materiali rerum naturalium, siue de Materia prima.

Art 1. Vtrum detur Materia prima.

Art 2 Vtrum bene primum subiectum, ex quo fiunt res naturales dictum sit Materia prima.

Art 3 Vtrum materia a se habeat aliquam propriam existentiam.

Art. 4 *Vtrum materia concedi possit aliquis actus Entitatiuus.*

Art. 5. *Vtrum materia in sua essentia includat aliquem actum.*

Art 6 *Vtrum per diuinam omnipotentiam materia existere possit sine forma.*

Art 7 *Vtrum Materia separata ab omni forma existere possit naturaliter, & quo concursu dei indigeat.*

Art 8. *Vtrum materia sit substantia aliqua perfecta.*

Art. 9 *Vtrum materia sit essentialis ter corpus.*

Art. 10 *Vtrum materia de se habeat aliquam formam substantialem. Siue Vtrum in materia detur aliqua forma substantialis illi connata.*

Art 11. *Vtrum saltem in materia sint inchoationes formarum, siue possibilitates quædam ipsi connatæ.*

Art. 12. *Vtrum materia sit pura potentia in genere substantiæ.*

Art. 13 *Vtrum potentia Materiæ ad accidentia sit illi essentialis.*

Art. 14 *Vtrum omni formæ accidentali correspondeat suum potentiale.*

Art. 15. *Vtrum in materia præter potentiam naturalem assignari possit potentia obedien-*

di:ntialis, Violenta, & Neutra.

Art. 16. *Vtrum omnipotentia actiua respondeat passiua proportionata, & contra.*

Art 17. *Vtrum Materia pertineat ad essentiã compositi naturalis.*

Art. 18 *Vtrum Materia respiciat prius formam, an compositum, vel agens.*

Art. 19 *Vtrum Materia appetat formas.*

Art. 20. *Vtrum Materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis.*

Art 21. *Vtrum Materia sit causa generationis, & corruptionis.*

Art. 22. *Vtrum Materia habeat aliquam vnitatem.*

Art. 23. *Vtrum Materia habeat aliquam Veritatem, & bonitatem.*

Art. 24 *Vtrum Materia definiri possit, & bene ab Arist definita sit.*

Quæstio 3 de priuatione.

Art. 1. *Vtrum priuatio sit ens reale positiuum.*

Art. 2. *Vtrum priuatio sit ens rationis.*

Art. 3. *Vtrum priuatio sit principium naturalis generationis distinctum a materia, & alijs principijs.*

Art. 4. *Vtrum vna priuatio sit principium omnium generationum, & quo modo sit principium.*

Art. 5. *Vtrum, & quo modo distinguatur priuatio a materia, & a forma.*

Quæstio 4. de forma.

Art. 1. *Vtrum detur forma quæ sit re distincta a Materia.*

Art. 2. *Vtrum detur aliqua forma substantialis.*

Art. 3. *Vtrum formæ educantur de potentia Materiæ, & quid sit Eiusmodi Eductio.*

Art. 4. *Vtrum omnes formæ substantiales educantur de potentia materiæ.*

Art. 5. *Vtrum formæ accidentales educantur de potentia materiæ, siue subiecti.*

Art. 6. *Vtrum forma sit actus, & ratio ipsius quod quid erat esse.*

Art. 7. *Vtrum ex materia, & forma fiat vnum per se.*

Art. 8. *Vtrum forma, & materia vnitæ sint realiter ipsum totum siue Vtrum totum distinguatur realiter a suis partibus simul sumptis.*

Art. 9. *Vtrum totum substantiale possit constitui per plures formas substantiales, siue. Vtrum plures formæ substantiales possint esse in eodem composito.*

Art. 10. *Vtrum repugnet eandem formam esse in pluribus compositis.*

Art. 11. *Vtrum forma sit perfectior materia.*

Art. 12. *Vtrum forma sit perfectior Composito.*

Art. 13. *Vtrum forma sit principium generationis, & quo modo.*

DISPVTATIO PRIMA.

De obiecto, & natura, ac modo procedendi Scientiæ naturalis, quæ dicitur Physica.

SCientiam, quæ de rebus naturalibus est tractaturi in ijs, quæ sequuntur, disputationibus, ab obiecto, naturaque ipsius auspicamur, & modo eius procedendi, vt vel ex ipso vestibulo elucescat cognitio aliqua eorum omnium, quæ postea suis acturi sumus disputationibus. Nam explicatio naturæ rei valet plurimum ad cognitionem eorum, quæ in re sunt, quæque de re illa tractanda sunt. Natura enim principium facultatũ est, & essentia passionum. Modus quoque procedendi, quo scientia vtitur, index quidam viæ est, quo deuenitur ad illam scientiam, vt de via facile aberrare non possit, qui viæ tramite insistens ostensa sibi vestigia legerit diligenter. Agemus itaque de illis suis proprijs quæstionibus. Et primo quidem de obiecto naturaque Physicæ.

Inuocatio.

INgressuri spatiosum naturarum campum inuocamus te ò Increata Sapientia; quæ apud Patrem es cum eo cũcta gubernans. Per te enim ille dixit, & facta sunt, mandauit, & creata sunt, & constituta in æternum, & in seculum seculi, cuius præceptum non præteribunt. Nam vocante te respondent etiam, quæ non sunt, ecce ad sumus: Neque enim vox tua, vt vox nostra, sonans in inane, & cum sonitu trãsiens; sed vox tua efficacia potentiæ tuæ mandans, & obtinens quæcunque vult voluntas tua non minus potens, quam sapiẽs: Nam velle tuum posse est, & posse ac velle ex consumata sapientia, qua omnia tibi nota sunt, quæ in te à patre dicta sunt, & in deitate communicata sunt, quæ est fons totius esse, sine quo quidquid est, vere non est, quale solum malum est, quod tanquam esset facit sibi creatura tua non obseruans mandata tua.

Tu ergo Clementissime Domine, qui cum patre in Spiritu sancto cuncta creasti, & tenes manu potentiæ tuæ, ne in suũ nihilum reuertantur, doce nos ea disputationibus explanare: Ea enim, quæ fecisti, vt ait scriptura tua, nisi te docente non potest homo enarrare sermonibus: Omnia enim in sapientia tu a fecisti: Sapientiam autem quis inuenit, & quis scit locum intelligentiæ dum tu lates, & te non inuenit? Quamquam & illuminas omnem hominem venientem in hunc mundum, etiã qui te non inuenit, magis autem qui te inuenit: Nam longe à te vagantur multi in terra deserta suarum cupiditatum, & curis huius seculi nequam, Vagi proinde facti in via cordis sui vanitatem diligentes, & mendacium sequentes, quos vt quæreres, & reuocares pereuntes desertum nostræ mortalitatis aliquando ingressus in carne nostra, illud peragrare non horruisti factus homo, in quo & defatigatus aliquando ex itinere sedebas sic supra fontẽ, non vt biberes, sed vt aquam viuam propina-

pinares acceptaati, quæ salit in vitam æternam (... ia ergo Clementissime Doctor hominum aperi nobis, qui ad fontem tuum suspitamus, venam sapientiæ tuæ indeficientem, vt ex ea copiose bibentes eructemus de plenitudine eius ijs etiam, quibus nos deseruire iussisti, vt nobiscũ sciant tua, vt per tua sciant te.

Quæstio 1. de natura Physicæ.

QVæ sit natura Physicæ facile constare poterit ex ijs, quæ diximus de scientia, si tamen hic ostẽsum fuerit, quod sit eius obiectum: nam scientia cum tota sit in ordine ad obiectum, & obiectum sit ipsius forma extrinseca, mensura, & regula, non potest proinde perfecte cognosci ignorato ipsius obiecto. Ergo hic primum agẽdum de obiecto Physicæ, de quo vt constiterit, facile etiam cõstabit, sit ne Physica vere scientia, & quænam scientia sit.

Ar. 1. vtrum scientia Physica habeat aliquod vnum obiectum.

POssunt esse duæ sententiæ, altera affirmatiua, altera negatiua. Sententia affirmatiua habet fundamentum in Arist. 6. meta. cap. 1. vbi cum scientiam transnaturalem, quæ dicitur Metaphysica, naturalem, quæ est Physica, de qua tractamus, & Mathematicas paucis aperuisset, subdit. Attamen hæ omnes circa vnum quid, & quoddam genus circumscribẽtes de eo tractant. Et infra. Cum autem naturalis etiam circa quoddam entis genus scientia sit; Etenim circa talem substantiam est; ita Aristot. qui cum scientiam naturalem ponat, vt vnam scientiam contradistinctam à Metaphysica, & Mathematicis, consequenter, vt vnum illi attribuit obiectum posterioribus illis verbis, cum aut. &c. vt patet. Cum auctoritate Philosophi conspirant hæ rationes.

1. Ratio. Omnia, quæ considerantur à Physica, continentur sub vna ratione entis, vel corporis; sed Physica cõsiderat ens, vel corpus, vt patebit infra: ergo Physica habet vnum obiectum.

Secunda ratio. Datur vna passio vniuersalis Physica, quæ non minus latè patet, quam subiectum Physicum; sed vnitas passionis requirit vnitatem subiecti: ergo subiectum Physicum est vnum.

Pro sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima multa disparata non possunt esse vnum; sed ea, de quibus tractat Physica, sunt multa disparata: ergo non possunt esse vnum; maior patet, quia multa non possunt esse vnum, nisi per vnam rationem. Minor probatur; quia Physica tractat de cœlis, de elementis, de mixtis, de animalibus, & alijs huiusmodi, quæ disperata sunt, & vnum non sunt.

Secunda ratio. Corruptibile, & incorruptibile, de quibus agit Physica, differũt genere ex. 10. met. cap. vltimo, sed quæ differunt genere non possunt esse vnum, cũ omnis vnitas sit, vel indiuidualis, vel specifica, vel generica; ergo ea, de quibus agit Physica non sunt vnum.

Tertia ratio. Aggregatum per accidens non est proprie vnum ex secũdo met. tex. 16. sed multa, de quibus agit Physica, sunt aggregatum per accidens; ergo non sunt vnum; minor probatur quia Physica considerat ens mobile, corpus quantum, & alia huiusmodi, quæ cum dicant res plurium prædicamentorum sunt aggregatum per accidens.

Quarta ratio. Physica agit de rebus contrarijs; sed contraria non possunt esse vnum, vt patet: ergo

Pro solutione.

NOtandum, quod cum scientia humana non possit esse nisi de vniuersalibus, per se primo scilicet, & directè; quia est inuariabilis, consequenter anima nostra, cum sit forma in materia, & per sensus cognoscat, quæ sensus sunt, quæ fluxa & contingentia sunt, ac proinde incerta, & variabilia, ex his assurgere debet per intellectum ad rationes intelligibiles, stabiles, & immutabiles, quæ in mortalibus vniuersales sunt: Quia vt sic à contingentia

gentia, & singularitate non pendent, & in pluribus singularibus eadem sunt; scientia autem cognitio quædam est certa, & infallibilis. Ideo cum quæstio est sit nc vnum scientiæ Physicæ obiectum, non potest esse quæstio de vnitate singularium, nec de quacunque alia vnitate, (nam multiplex vnitas est numerica, singularis, siue indiuidualis, formalis, quæ vniuoca siue analogica est, vniuoca quæ generica vel specifica est, & demum trascendentalis, de quibus modo non est locus discendi.) Erit ergo solum quæstio de vnitate, quæ conuenit rebus vniuersalibus, qualis est formalis, siue hæc specifica, siue generica sit, siue analogica, quæ ex Arist. 4. met. & 2. poste. cap. 16. sufficit in obiecto scientiæ. Obiectum ergo, quod Physica considerat, debet esse vnum vnitate formali, vel analogica; nam obiectum scientiæ non est nisi quia in eo, & de eo consideratur aliqua passio; passio autem, quæ consideratur, si debet demonstrari, necesse est assumi vnam aliquam causam ipsius adæquatam: vna autem causa non est, nisi vna sit ratio subiecti; nam si causa passionis est intrinseca, vt esse fere necesse est, & ea incidit cum definitione subiecti; quia scientia quidquid erat subiecti principium est scientiæ propter quid passionum; omnes enim scientiæ, vt dicitur 2. poste. cap. 10., per definitionem fiunt; necesse est vnam esse formalem rationem subiecti, per quã prima saltem passio vniuersalissima demonstretur; Physica ergo, quæ de suo subiecto demonstrat mobilitatem, vt passionem adæquatam, id facere non potest, nisi per vnam aliquam passionem subiecti, à qua subiectum erit vnum. præterquã quod videtur sufficere ad vnitatem subiecti sciẽtifici vnitas rationis formalis sub qua, sicut id sufficit in obiecto potentiarum, vt patet de ratione visibilis respectu oculi, omnia autem, quæ considerat Physica, cõsiderat, vt concurrunt sub eadem abstractione, & intelligibilitate, vt diximus de scientia; erunt ergo omnia, quæ considerantur à Physica, etiamsi secundum se dicant diuersas rationes, vnum consideratione, & in ratione obiecti. Quare

Dicendum obiectum Physicæ esse vnũ, probatur rationibus secundæ sententię, & ex his, quæ modo dicta sunt. Confirmatur, quia quando vel motus, vel quantitas, vel alia huiusmodi proprietas demonstratur in Physica, demonstratur de vno aliquo subiecto, quod non potest minus late patere, quam Physica, ac proinde erit ipsius obiectum; nam motus non demonstratur de elementis, vt sic, quia alia ab elementis mouentur, neque de mixtis, quia etiam corpora simplicia mouentur, vel igitur demonstrari non potest, vel demonstrari debet de aliquo subiecto vniuersali, quod non minus latè pateat, quam Physica, quæ vniuersalissime accepta est cognitio de suo subiecto adæquato per propriam causam.

Ad rationes in contrarium. Ad primam respondeo dicendum, quod omnia, quæ Physica considerat, vt faciunt primarium obiectum, siue sint Cęli, siue mixta, siue quid aliud sub vna ratione conueniunt, non solum sub vna ratione considerandi, sed etiam sub vna ratione subiecti, ex qua proxime fluit prima passio Physica; quare concessa maiore, negatur minor, & ad eius probationem patet ex modo dictis.

Ad secundam respondeo dicendum, quod aliqui intelligũt auctoritatem Philosophi de genere Physico idest, materia, ita vt velit Philosophus incorruptibilia à corruptibilibus differre materia, eo quod incorruptibilia non habeant materiam, vel certè habeant diuersæ rationis ab ea, quam habent corruptibiles res. Responderi verius potest maiorem esse veram, etiamsi per genus intelligatur genus Metaphysicum, sed sermo sit de genere proximo, non remoto; quo sensu falsa est minor, falsum enim est quod ea, quæ differunt genere proximo non possint esse vnũ genere remoto.

Ad tertiam concedenda est maior, sed neganda est minor: falsum enim est, quod ens, & corpus quãtum, ens mobile, & alia huiusmodi, quatenus considerantur à Physica vt subiecta, sint aggregatum per accidens, cum tunc necessario dicant per se ordinem ad vnam aliquam passionem, quod est ex vna aliqua ratione. Quare si hæc considerat Physica, de quo postea, vel cõsiderat vt subiectum, vel vt conclusionem: Quando illa considerat vt subiectum, non sunt ens per accidens, sed ens per se, in or-

fine ad illam passionem, quam de illis cõsiderat; Quia est inter illa, & passionem consideratam connexio necessaria ex natura rei. Quàndo considerat, vt conclusionem, non est necesse, vt accipiantur vt ens per se; quia tunc solum dicta in actu exercito considerat, vt conclusiones suarũ demonstrationum: hoc autem pacto considerare ens per accidens nõ est absurdum, imo necessarium, quia semper passio, quæ in scientia consideratur de subiecto, est extra essentiam subiecti, ac proinde non potest cum subiecto facere ens per se, sed ens per accidens in ratione essentiæ.

Ad quartam respondeo Physicam agere de contrarijs, vt sunt in eodem genere, vel etiam vt specificè talia sunt considerari à Physica, sed non ab eadem parte Physicæ, sed à diuersa; non est autem inconueniens, quod diuersæ partes Physicæ, quæ tamen continentur sub vna Physica totali, considerent diuersas species subiecti Physici, quæ vt tales non sunt vnum, sed multa, imo ex Philosopho 4 Met. tex. 4. eadem est scientia contrariorum, siue quia proprie contraria sunt in eodem genere, siue quia, quæ agit de vno contrariorum per se, agit de altero saltem per accidens, ratione eius, quod per se considerat; vnde eodem textu ait Arist. vnius tamen est cũcta cognoscere, non enim si multipliciter, ideo alterius, sed si neque secundum vnũ, neque ad vnum rationes reducuntur, tunc alterius.

Ar. 2. vtrum hoc obiectum Physicæ sit corpus mixtum, seu corpus gratiabile, & corruptibile.

PRima sententia affirmatiua est Andreæ Cisalpini in quæstionibus peripateticis, lib. 1. quæst. 4. citatur pro eadem Galenus, & M.A.Genna.

Secunda negatiua est communis aliorum.

Pro prima sententia sunt hæ rationes.

Prima illud est obiectum Physicæ, cuius principia traduntur primo Physicorũ, sed primo Physicorum solum traduntur principia corporis mixti, seu corporis generabilis, & corruptibilis: ergò corpus mixtum, vel gratiabile, vel corruptibile est obiectum Physicæ; maior patet, quia in primo Physicorum ab Arist. non inuestigantur principia subiecti alterius scientiæ, quàm Physicæ; vel certe assignari debet hoc subiectum, & hæc alia scientia: minor probatur. Principia, quę primo Physicorum traduntur sunt tria materia, forma, & priuatio; sed corpus simplex incorruptibile, vt cælum per philosophum non habet materiam, & formam informantem, & multo minus priuationem; quia illud tantum habet pro principio priuationem, quod per generationem transit à non esse ad esse, cælum autem est ingenerabile, vnde non potest hoc modo transire à non esse ad esse, & hoc ipsum probatur in alijs corporibus simplicibus, vt sunt quatuor elementa, quæ secundum se tota non sunt generabilia; vnde non possunt habere pro principio priuationem.

Secunda ratio Obiectum scientiæ naturalis, quæ est Physica, sunt tantum res naturales; sed cælum non est huiusmodi; quia ex secundo Physicorum tex. 3. natura le est illud, quod habet in se principium motus, & quietis; cœlum autem non habet principium quietis, quia semper moueri postulat; ergo cœlum, quod est corpus simplex, & ingenerabile nõ est obiectum Physicæ: restat ergo vt illius obiectum sit tantum corpus mixtum, & generabile.

Tertio ratio. Eiusdem est agere de materia, & forma rei sibi propositæ pro subiecto; sed Physicus non potest agere de forma cœli, quæ est intelligentia: ergo neque aget de Cœlo, ac proinde nullo modo de cęlo agit, sed solum de corpore corruptibili. Pro contraria sententia sunt hæ rationes.

Prima 12. met. tex. 5. Philosophus diuidit substantiam in mobilem, & sensibilem, & in immobilem; rursum sensibilem diuidit in corruptibilem, & incorruptibilem, ac sempiternam, & concludit substantiam sensibilem tam corruptibilem, quam incorruptibilem, quæ per ipsum Arist. est cœlum, esse considerationis Physicæ, quia vtraque est cum motu: substantiam vero immobilem esse alterius considerationis; ergo per Arist. non solum corpus mixtum, & corruptibile, sed etiã simplex,

plex, & sempiternam sunt de obiecto Physicæ.

Secunda ratio. Libri de cœlo, & de generatione non continent aliam scientiã, quã Physicam: sed in libris de cœlo agitur de cœlo vt est subiectum, in libris de generatione multa tractantur de elementis vt etiam de subiecto, saltem inadæquato; ergo tam cœlum, quam elementa, quæ sunt corpora simplicia, sunt de obiecto Physicæ.

Tertia ratio. Illa quæ continentur intra eandem abstractionem continentur intra obiectum scientiæ per talem abstractioné constitutæ; sed corpus simplex & ingenerabile continetur intra abstractioné Physicam, quia non abstrahit à materia sensibili, vt patet ex accidentibus, per quæ sub sẽsus nostros cadit; ergo corpus sĩplex, & ĩgenerabile cõtinetur sub obiecto Physicę.

Quarta ratio. Sunt aliquæ rationes communes corpori mixto, & generabili cum corporibus simplicibus, & ingenerabilibus: ergo in ordine ad illas vtraque corpora debent constituere obiectum alicuius scientiæ: sed hæc non est alia, quã Physica: ergo vtraque corpora concurrunt in vnum obiectum Physicæ. Pro solutione.

Notandum, quod obiectum scientiæ illud constitui debet, quod non minus latè patet, quam ipsa scientia, quia solum tale obiectum est scientiæ adæquatum, cætera vero omnia in illo inclusa, & quæ minus latè patent, solum esse possunt obiecta partialia, & inadæquata. Iam illud obiectum æquè latè patet ac scientia, quod est primum subiectum passionis demonstratæ in illa scientia; Isosceles enim vt ait Arist. 1. pot. cap. 13. non est subiectum scientiæ, qua demonstratur de triãgulo habere tres angulos æquales duobus rectis nõnisi quia nõ est primum subiectum, & adæquatum, cum minus latè pateat; conuenit enim habere tres angulos æquales duobus rectis non solum Isosceli, sed omni triangulo: cũ ergo in Physica vt passiones ipsius considerentur motus, quantitas, locus, & alia huiusmodi, illud statui debet obiectum adæquatum Physicæ, cui primo conueniũt huiusmodi passiones: hæ autem non conueniunt primo corpori mixto, vel generabili; nam & corpora simplicia habent sua loca circumscriptiua, suos motus, quantitates, & cætera huiusmodi: subiectum ergo adæquatum Physicæ debet esse aliquid vniuersalius corpore mixto, & simplici, sub quo & mixta generabilia, & simplicia ingenerabilia comprehendantur. Quare.

Dicendum neque corpus mixtum, neque generabile, neque corruptibile esse adæquatum obiectum Physicæ. probatur omnibus rationibus secundæ sententiæ, & ex his, quæ modo dicta sunt in Notando. Confirmatur, quia si Physica cum considerat vel motum, vel locum, vel tempus rationem de his passionibus redderet per corpus mixtum, seu corruptibile, & generabile, nõ redderet rationem per propriã causam, ac proinde non esset bona scientia, neque enim ratio cur aliquid occupet locum, vel moueatur, potest esse, quia sit corpus mixtum, vel generabile; secus enim nihil moueretur, quod mixtum, vel generabile non esset: debet ergo rationẽ reddere de his passionibus per altiorem causam, quæ ex superiori subiecto desumatur, quod proinde erit obiectum Physicæ. Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicẽdum, quod cum in sciẽtiis à notioribus nobis, siue deinde illa etiam sint notiora natura, siue non procedendum sit, Arist. vt hæc obseruet inuestigat principia, quæ ferè nobis nota sunt, quæ sunt principia corporum generabilium, vt his deinde cognitis ex analogia ipsorum deueniamus in cognitionẽ principiorum, & corporum ingenerabilium; quare in forma distinguenda est maior de obiecto adæquato, & inadæquato: primo enim Physicorũ traduntur principia obiecti inadæquati Physicæ nõ adæquati, & neganda est consequentia.

Ad secundam negatur minor, & ad probationem dicendum est naturam esse principium motus, & quietis; sed ly, &, nõ sem per accipi coniunctiuè comparatum præsertim ad illud disiunctum, sed aliquãdo facere sensum disiunctum: satis ergo est ad hoc, vt aliquid sit corpus naturale, si sit principium motus; quamquam, & cœlum etiam est principium quietis, quoniã ipsi de se nõ repugnaret quiescere, nisi aliud exigeret bonũ vniuersi, & successiua generatio, & corruptio corporũ mixtorũ.

Ad tertiam falsum est, quod Philosophus non agat de intelligentia, si est for-

ma... l; sed quia intelligētia non est forma informans, sed ad summum assistens eatenus de illa agere debet Physicus, quatenus causat in cœlo motum; si autem intelligentia esset forma informans cœli de ea quidditatiue ageret Physicus.

Obijcies agere de intelligentijs est munus metaphisicæ; ergo si Physica agit de intelligentijs erit Metaphysica.

Respondeo agere de intelligentijs quidditatiuè, & in ordine ad se considerando passiones quidditatiuè conuenientes intelligentijs, vt sunt tales naturæ est munus Metaphysici; agere vero de intelligentijs extrinsece, & in ordine ad motum, quem causant in cœlo est Physici, vnde negatur consequentia.

Ar. 3. vtrum obiectum Physicæ sit ens mobile.

DVæ sunt sententiæ altera affirmatiua, quam sequuntur Thomistæ communiter Ferrariensis quæst. 2. primo Phys. Caiet. in opusculo de obiec. Phys. Sonci. 4. Met. quæst. 10. Sotus hic quæst. 1. Iauellus item quæst. 1. Gratia Dei quæst. 6. Aquarius primo. Met. dilucid. 1. præterea. Iandunus 1. Phys. q. 2. Conimbr. hic & alij.

Sententiam negatiuam sequuntur omnes alij, qui vel corpus, vel substantiam mobilem, vel aliud quid huiusmodi ponunt obiectum Physicæ.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima Arist. 2. Met. tex. 1. ait obiectum Physicæ esse ens, quod potest moueri, & substātiam, quæ habet principiū motus; ergo vniuersalissimū, & adæquatū obiectū Physicæ erit ens mobile; idem enim est ens quod potest moueri, & ens mobile.

Secunda ratio illud est subiectum Physicæ, quod in ipsa Physica præsupponitur, vt notum; sed hoc est ens mobile; ergo obiectum Physicæ est ens mobile.

Tertia ratio. Illud est obiectū sciētiæ, quod assumitur in definitione primæ passionis consideratæ ab illa sciētia; sed subiectum, quod assumitur in defin. primæ passionis Physicæ est ens; Aristotiles enim definiens motum, qui est prima & vniuersalissima rerum physicarum passio, sic illum 3. Phys. tex. 6. definit. Motus est actus entis in potentia, prout in potentia. ergo obiectum Physicæ est ens; iam quod mobile sic ratio formalis huius obiecti probatur sic illud debet constitui formale obiectum, quod dicit diuersum ab omni alio modum considerandi in illa re, quæ est obiectum, & dicit ordinem ad diuersa principia, & distinguit scientiam ab omni alia; sed tale est mobile, nam ratio mobilis facit diuersum modum considerendi in ente, & diuersificat Physicam à Metaphysica, & alijs scientijs; & manifestat nobis principia Physica; quod totum confirmari potest ex Arist., nam 11. Meta. sum. 2. cap. 2. distinguens physicam à metaphysica ait. Naturalis namque accidentia, & principia accidentium, prout mouentur, & non prout entia sunt speculatur, & 6. Meta. tex. 2. de ijs loquens, quæ Physica considerat. hæc ait; nullius enim eorum ratio absque motu, sed semper habet materiam.

Pro secunda sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima si ens mobile esset subiectum Physicę, Physica proprie subalternaretur Metaphysicę, consequens est falsum, & contra communem philosophorū sententiam; ergo & antecedens; sequela maior probatur, nam ens mobile continetur sub ente, quid est Metaphysicæ subiectum, eique addit conditionem quasi accidentariam; quod faciunt scientiæ subalternatę.

Secunda. Illud debet assignari pro obiecto scientiæ, quod proxime fundat modum considerationis, quo vtitur illa scientia; sed ens non est huiusmodi, quia modus considerandi Physicæ ex 6. Met. tex. 2. nō abstrahit à materia & à motu, ratio autem entis abstrahit ab vtroque saltem per indifferentiam; ergo ens non est obiectum Physicæ.

Tertia ratio. Ens mobile est potius obiectum considerationis Physicæ, & conclusionum demōstratarum, quàm subiectum scientiæ; nam de ente accepto pro substantia naturali, vel pro corpore Physico demonstrat mobilitatem; ergo ens mobile non est subiectum Physicæ.

Pro solutione.

Notandum, quod variæ sunt conditiones,

ƒes, quas habere debet ſubiectum alicuius ſcientiæ totalis, vt diximus alias, nam & præcognitum in illa ſcientia eſſe debet quoad, an ſit, & quid nominis, & præterea debet eſſe adæquatum primæ ſaltem paſſioni vniuerſaliſſimæ ab illa ſcientia conſideratę, & vlterius debet eſſe non ſolum proximum ſubiectum talis paſſionis; ſed debet fundare quoque modum conſiderandi conſtitutiuum illius ſcientiæ; nã conſiderandum eſt non dici aliquid ſubiectum alicuius ſcientiæ totalis, quaſi nihil aliud conſideret ea ſcientia, quàm illud: nullum enim ferè eſt vllius ſcientiæ tale ſubiectum, ſed dicitur ſubiectum ſcientiæ, quod ſit primum, quod ſcientia conſiderat, & cœtera omnia, quæ in ſcientia conderantur, contineantur ſub illo, vel vt ſpecies, vel vt principia, vel vt partes, vel vt affectiones, & proprietates, vel ſaltem quod ad perfectam horum notitiam pertineant; quare commodè ponitur pro ſubiecto ſcientiæ illud, quod eſt proximum ſubiectum primæ paſſionis ab illa ſcientia conſiderata, & proximè fundat modum conſiderationis illius ſcientiæ, & quoniam modus conſiderationis Phyſicæ eſt non abſtrahere à materia, & motu, ſatis congruenter poſita videtur pro ratione formali in ſubiecto Phyſicæ ratio mobilis; quamquam ſi mobile non accipiatur pro primo principio motus, & aptitudinis ad mouendum, ſed pro ipſa aptitudine ad mouendum, & mobilitate, mobile potius dicit paſſionem Phyſicam, quam ipſam rationem formalem: nam de elementis, de cœlo, & de alijs corporibus Phyſicis, vt Phyſica corpora ſunt, demonſtrari poteſt mobilitas, & vt ſunt talia particularia corpora talis mobilitas, vt proinde in iſto ſenſu mobile non poſſit eſſe ratio formalis ſubiecti phyſici, multo autem minus poterit ens eſſe ſubiectum Phyſicæ, etiamſi propriè accipiatur, quoniam ratio entis, neque fundat modum conſiderandi huius ſcientiæ, neque reddere poteſt cauſam vllius paſſionis Phyſicę, neque enim cœlum mouetur, quia eſt ens, neque vllum aliud compoſitũ Phyſicũ ſub tali particulari determinatione. Quare

Dicendum ſi ens, & mobile accipiantur propriè, & in rigore ſignificationis ens mobile non eſt ſubiectum Phyſicæ, patet ex modo dictis, & confirmatur. quia ens latius patet, quam mobile, vnde non poteſt eſſe proximum fundamentum huius rationis formalis, & latius patet quam Phyſica, vnde de ipſo non poſſunt demõſtrari paſſiones Phyſicæ, vt de ſuo primo ſubiecto, ſicut neque de animali demonſtrari poteſt, vt de primo ſubiecto; riſibile, vnde qui ſic demonſtraret male demonſtraret. Verum quidem eſt quod ſi ens mobile accipiatur impropriè, vt ſit idem, ac corpus naturale, quomodo ferè videtur accipi ab ijs, qui ponunt ſubiectum Phyſicæ ens mobile, non erit de nomine contendendum, dummodo in re non ſit diſcrepatio, & eo magis, quod in hoc ſenſu eo nomine vſi videntur grauiſſimi auctores, vt proinde turpe non ſic loqui, & cũ multis, & cum grauiſſimis auctoribus; quoniam tamen recentiores videntur magis rem ad viuum reſecaſſe, & religioſiores eſſe in ſignificandis obiectis ſcientiarum, ideò cũ illis negari poteſt ens mobile eſſe ſubiectum Phyſicæ, tum quia accipiendo ens mobile pro corpore naturali ens non retinet ſuam propriam ſignificationem; tum quia melius ſuo proprio nomine exprimitur res, quam alieno; tum quia aliquibus nomen entis mobilis præbet occaſionẽ male ſentiẽdi de obiecto Phyſicæ, atq; errãdi.

Ad rationes in contrarium. Ad primam reſpondeo dicendum, quod Ariſt. non sẽper vno, & eodem nomine appellat ſubiectum Phyſicæ, ſed aliquando exprimit nomine entis, aliquando ſubſtantiæ, vt loco illo citato, aliquando nomine corporis, vt primo, & tertio cæli, textu primo, vnde videtur Philoſophus non curaſſe de nomine, ſed de re, nunc autem quia quæſtio ferè eſt de nomine, videtur potius appellandum ſubiectum Phyſicæ, vt dicetur ſequenti articulo corpus naturale, quàm ens mobile.

Ad ſecundam conceſſa maiore, negãda eſt minor, ſi accipiatur in ſenſu excluſiuo, quaſi corpus naturale quodnam ſit, non ſit notum ante Phyſicam, ſed ſolum ens mobile, immo nobis notum deſſe nõ eſt quidquam moueri niſi corpus, ſpiritalia enim, & quæ corpore carent, ut quæ ſenſibus nõ ſubijciuntur, non poſſunt nobis eſſe nota quoad hoc prædicatum.

Ad tertium conceſſa maiore, explicãda eſt

est minor, & definitio Aristot. nam ens accipitur dupliciter; Nominaliter, ut nimirum constituit gradum superiorem cōmunem substantiæ, & accidenti, & participialiter, vt ens idem sit, quod existēs, vt sensus sit. motus est actus entis, idest existentis in potentia, prout in potentia, & quia in via Arist. nihil hoc modo existit in potentia nisi substantia corporea, ideo in ipsius definitione subintelligitur corpus hoc modo, motus est actus corporis existentis in potentia, prout in potentia, quare subiectum, quod ponitur in prima passione Physica, non est aliud, quam corpus; intelligentiæ enim secundum Philosophum non mouentur, & cum mouent, mouent immotæ; solum autem Physicæ considerationis sunt, quæ mota mouent, cum dicat Arist. 2. Physi. tex. 71. atque Physicæ sunt omnino quæcumque mota mouent, quæcumque autem non, non amplius Physicæ sunt. Quare per Arist. intelligentiæ non sunt entia in potentia, vt claudi possint in ente posito in definitione motus, ac proinde ibi ens non significat nisi corpus.

Ar. 4. vtrum corpus naturale sit obiectum Physicæ.

DVæ sunt sententiæ altera affirmatiua, altera negatiua. Primam sententiam affirmatiuam sequuntur communiter recentiores, & ex Antiquis Auicenna primo suffic. max. cap. 7. & 8. Alb. initio Physicho rum cap. 3. Algazelus in lib. de scien. diuis. Them. in proœmio primi Physicorum Auerr 6. Met. com. 2. Aquilinus, & etiam D. Tho. proœmio in libros de cœlo, Parisien. 1. Phys. quæst. 4. Anto. And. 6. Met. quæst. 3. qui cum Toleto hic quæst. 2. confundere videtur corpus naturale, & substantiam naturalem, Pererius lib 2. de princip. cap. 3. Zabarella, Linconiensis Aegidius, & alij.

Secundam negatiuam defendunt auctores aliarum sententiarum, quæ supra refutatæ sunt.

Pro sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima. Motus, quæ est principalissima ex passionibus Physicis, non conuenit vt suo primo subiectō corpori naturali; ergo corpus naturale non potest esse adæquatum subiectum Physicæ; probatur antecedens: quia conuenit etiam intelligentijs, quæ mouentur localiter; sed intelligentiæ carent corpore: ergo corpus non est primum subiectum passionum Physicarum, sed substantia naturalis, vel ens mobile.

Secunda ratio in scientia non probatur subiectum esse; sed ex Diuo Thoma in proœmio in Physica probatur esse corpus; ergo corpus non est subiectum Physicæ. confirmatur ex 6. Phy. tex. 32. vbi Philosophus probare videtur corpus esse; præterea quia primo Physicorum Arist. probat dari principia corporis, materiam, & formam, ac proinde dari corpus.

Tertia ratio ex primo cœli tex. 1. scientia naturalis plurima videtur circa corpora: ergo Physica non considerat tantum corpora; ergo aliquid superius ad corpus erit obiectū Physicæ, quod non erit aliud, quam vel substantia sensibilis, vel ens mobile. Confirmatur, quia Physica tractat de vacuo, de infinito, de spatio imaginario, de æuo, & æternitate, quæ non conueniunt corpori; ergo aliquid superius ad corpus constitui debet subiectum Physicæ.

Pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima. Nulla res Physica ex 6. Met. tex. 2. abstrahit à materia, & à motu, sed quidquid est superius corpore abstrahit à materia, & à motu; ergo quidquid est superius corpore non potest esse subiectum Physicæ; sed neque quidquam inferius corpore potest esse tale subiectum Physicæ, vt supra demonstratum est; ergo corpus naturale est obiectum Physicæ.

Secunda ratio. Motus vt abstrahit à latione Physica; alteratione, augmentatione, & generatione, præterea quantitas, locus commensuratiuus, & alia huiusmodi, quæ Physica considerat, vt proprias passiones primo conueniunt corpori naturali: nihil enim mobile est motu Physico, nihil quantum, quod corpus naturale non sit; neque assignari potest alius gradus, vel superior, vel inferior, cui dictæ passiones in sua communitate primo conueniāt; ergo primum & adæquatum subiectum Physicæ est corpus naturale.

Tertia

Tertia ratio corpus naturale est per se considerabile ab aliqua scientia; sed hæc non est alia, quam illa, quæ dicitur natura lis, idest Physica; ergo vt obiectum consideratur à Physica.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut dictum est pro obiecto scientię illud cōstitui debet, quod est primum, & vniuersalissimum, quod ab ea scientia consideratur, & quod fundat modum considerandi in scientia; gradus ergo ille, cui proxime conueniet mobilitas, locus dimensiuus, quantitas &c. & qui fundabit modum talis cognoscibilitatis, quæ non abstrahit à materia, & à motu, erit subiectum physicæ; talis vero ratio cognoscibilitatis, vt ex qua proxime emanāt passiones, vel certe prima passio, erit ratio formalis talis obiecti; in physica ergo prima passio est mobilitas, & motus: nam quantitas, locus, tempus, & aliæ huiusmodi passiones, quæ in Physica cōsiderantur, præsupponunt motum, locus enim, & quātitas, sunt termini motus, ille localis, hæc augumentationis; tēpus est passio motus, vnde motus communissime acceptus est prima passio, quæ a physica consideratur, qui si accipiatur non pro actu, sed pro aptitudine proxima nihil est aliud, quā mobilitas; porrò primū principium, ex quo emanat motus, est natura; natura enim, vt dicitur 2. Phy. est primum principiū motus, & quietis in eo, in quo est, & non secundum accidens: natura vero sibi determinat corpus, quia natura est materia & forma, quæ corpus constituunt: nam hic natura non accipitur quomodocūq;, sed pro principio primo motus non abstrahentis à quanto, & materiali; quæ enim ab eo abstrahunt non sunt considerationis physicæ ex 6. Met., ex quo habetur subiectum physicæ non esse aliud, quam corpus naturale, corpus denotat rationem materialē subiecti, naturalem rationem formalem, quarum vnaquæque est conuertibilis cum altera, & immediata. Sed rursum considerandū est, quod corpus aliud est de prædicamento substantiæ, aliud de prædicamento quantitatis, corpus de prædicamēto quantitatis, dicit trinā dimensionē, corpus de prædicamēto substantiæ, adhuc duplex est, aliud quod est substantia incōpleta, & est pars rerum physicarum, & cōtra distinguitur ad formam, aliud quod dicit gradū substantiæ determinatum per differentiam materialis; primum quod est in prædicamento quantitatis non est subiectum physicæ, sed de subiecto physicæ, vt propria passio demonstratur, omne enim corpus physicum habet trinam dimensionem; secundum si accipiatur primo modo est principium subiecti Physici, si vero secundo modo est subiectū physicæ. Quare.

Dicendum subiectum physicæ esse corpus naturale, patet ex modo dictis, & rationibus secundę sententiæ. Confirmatur quia habet omnes conditiones obiecti, est enim præcognitum in Physica, quid enim notius quam dari corpus naturale, est ens reale incomplexum non excedens, neque minus latè patens, quam primæ passiones à Physica consideratæ, dicit rationem formalem, quæ est primum principium passionum; ex eo enim, quod aliquid est corpus naturale, est principium motus physici, habet vt sit locabile, est quantum & subiectum tempori &c. assignata est ratio formalis æque latè patens ac materialis, & est illi immædiata, eique conuenit, vt proprio & proximo subiecto; omnia pręterea, quæ tractat physica, vel sunt corporis naturalis principia, siue intrinseca siue extrinseca, vel species, vel proprietates, vel certe ad hæc pertinentia.

Et quamquam hæc ita se habent, tamen inficiandum non est, quod de subiecto physicæ, minus quidem artificiose, vere tamē, paulo aliter loqui possumus. Nam & si nullus alius sit entis gradus ante corpus in linea prædicamentali, cui primum conueniant proprietates & passiones, quas physica vt scientia reddere debet per causas, & maxime per causas intrinsecas, & per principia sui subiecti; Quia ens vt sic non fundat considerationem physicam, nec est per sua intrinseca vt sic ratio, & causa considerationum physicarum: Substantia quoque in sua communitate, & vt abstrahit à corpore, neque etiam ipsa fundat modum considerandi physicæ, neque reddit per sua formalia quatenus substantia est de vlla passione physica causam. Tamen si per intellectū ab omnibus, quæ physica considerat non solū primaria cōsideratione, sed secundaria, abstrahere volumus

sumus aliquid commune, quod omnibus conueniat, & includat illorum omnium rationes, hoc erit ens mobile. Nam considerare oportet, quod scientia naturalis non solum est de proprietatibus corporis, vt de maiori extremo demonstrationum; sed etiam de multis illarum est, vt de subiecto. Physica enim non solum demonstrat motum de corporibus naturalibus, sed quoque de ipso motu ex intrinsecis eius principijs demonstrat multa prædicata, vt quod non habeat prim ũ mutatũ esse, quod desinat extrinsece, quod mensuretur tempore, & alia huiusmodi. Eadem scientia multa considerat de quantitate, de tempore, de loco, de quatuor primis qualitatibus, de mixtione & temperatura, de actione & resistentia, de nutritione, Augmentatione, Generatione, de sensibus, & illorum obiectis, de somno & vigilia, de vita & morte, & alijs huiusmodi: In quibus considerationibus cum hæc, de quibus sermo est, non solum assumantur, vt proprietates certorum corporum naturalium demonstrandæ; sed etiam vt subiecta, de quibus multa demonstrantur, si quid commune ex omnibus illis subiectis sumẽdum sit, quod statuatur totius scientiæ naturalis subiectum, hoc non erit corpus naturale; quia motus, calor, odor, sapor &c., de quibus multa considerantur, non sunt corpora naturalia: neque substantia; Quia hæc accidentia sunt, & tamen omnia entia sunt, & mobilia sunt idest dicentia ordinem ad subiectum materiale, & subeuntia in ipso mutationem quoad actum exercitum, & in suis proprietatibus & prædicatis, quorum sunt principia: Vt proinde si sermo sit de subiecto Physicæ in vna consideratione per qualencunque abstractionem ab omnibus accepto, quæ in demonstrationibus Physicis habent rationem minoris extremi, illud dici possit ens mobile: Si vero sermo sit de subiecto attributionis, ad quod scilicet omnia Physica referuntur, quodque per sua formalia fundat eas, quæ dicuntur Physicæ passiones, & modum considerandi scientiæ naturalis, id sit corpus naturale, vt naturale, ut proinde.

Dicendum sit secundo subiectum attributionis Physicæ, sicut dictum est, esse corpus naturale: Subiectum vero adæquationis sumptum ex omnibus, quæ tractat Physica, vt scientia vniuersalis de rebus naturalibus, esse ens mobile, siue ens naturale, prout tamen naturale contradistinguitur non solum à supernaturali & diuino; sed etiam à transnaturali & metaphysico.

Patet ex dictis.

Et confirmatur; quia ex omnibus, quæ in physica considerantur, nihil sumi potest commune, cui omnia conueniant, & de quo omnia dici possint, quæ sunt in hac consideratione scientifica, vt de subiecto, præter ens: Ergo hoc solum obiectum æquat totam considerationem physicam, & ei æquale est quoad prædicationem: Omnia enim, quæ in physica considerantur, sunt ens naturale, non omnia sunt corpus naturale, licet omnia pertineant ad corpus naturale, sicut in præcedenti conclusione dictum est.

Ad rationes in contrarium quatenus sunt contra primam conclusionem.

Ad primam patet ex dictis: ad confirmationem antecedentis dicendum intelligentias non moueri motu physico, quoniã abstrahunt à materia, à qua non abstrahit vlla passio physica, ex loco illo sæpius citato 6. Met. præterea. Motus localis physicus est ad locum commensuratiuum; motus localis angelorum est solum ad locum definitiuum motus localis physicus, est à natura media aliqua potentia, vel actiua, vel passiua, quæ sit subiectata in materia, & si proprie sit actiua mediante organo, & per vnam partem mouet aliam, vt in viuentibus, quæ non reperiuntur in motu angelico; præterea motus Physicus est sensibilis, qualis non est angelicus, vnde nec à nobis Angelicus cognoscibilis est, nisi ex reuelatione.

Ad secundam respondeo dicendum; quod solum loco præallegato Arist. probat omne corpus esse diuisibile: concludit enim textum. Manifestum igitur est, quod omne id, quod mouetur erit diuisibile; id autem facit contra Democritum, & Leucippum, qui dicebant dari corpuscula quædam Atoma, & simul mobilia, cõtra quos probat omne mobile esse diuisibile, ac

proinde

proinde omne corpus esse diuisibile, non atomum, & indiuisibile. Ad secundam Confirmationem responderi potest primò, vt respondent aliqui, illud facere Aristotilem assumpta persona Metaphysici. Secundo respondeo non esse absurdum in scientia cognito iam & supposito obiecto quoad an sit, procedere à posteriori ad inquirendum quid sit, & quæ sint ipsius principia, quod facit in Physica Arist.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod scientia cum multa alia consideret in ordine ad obiectum, quæ non sunt obiectum, dicitur plurima esse circa id, quod est obiectum, quomodo Philosophus illo loco dicit Physicam plurimam esse circa corpus. Ad Confirmationem.

Dicendum illa tractari à Physica non vt sunt propriæ passiones sui obiecti, sed ex occasione suarum passionum, ex occasione enim loci tractat de vacuo, quod est locus carens corpore; ex occasione quantitatis tractat de infinito, cuius videtur proprietas; ex occasione motus, & temporis iuniores aliqua addiderunt de suo, & æternitate: quare ea omnia, quæ tractat Physicus, si non sint principia, & passiones proprij obiecti, pertinent ad explicandas passiones, & principia obiecti, vel certe sunt digressiones extra materiam Physicam, ex occasione rerum physicarũ. Contra dicta.

Obijcies primo Physica non solum cõsiderat compositum substantiale, sed etiã accidentale; sed corpus Metaphysice acceptum solum dicit compositum substantiale; ergo corpus non est adæquatum subiectũ Physicæ; maior probatur. quia Physica non solum considerat transmutationẽ substantialem, sed etiam accidentalẽ; sed mutationis accidentalis subiectũ non est corpus substantiale, quia accidentia non subiectantur immediate in substantia: ergo.

Respondeo physicam considerare subiectum accidentale, vt obiectum, & conclusionem consideratam, & demonstratã, non vt subiectum primum, de quo passiones demonstrantur, & etiamsi aliquando demonstrentur passiones de composito accidentali, vt cum de homine admiratiuo demonstratur risibile dicendum tamẽ est subiectum attributionis, & denominationis in tali scientia esse compositum substantiale, non accidẽtale, & ratio est, quia si volumus artificiosè loqui, illud statuĩ debet subiectum, quod est primum, & prima radix, & principium omnium passionum, quod est compositum substantiale, non vero illud, quod in quacumq; demõstratione est subiectũ maioris extremi, & prædicati; secus enim non vnum assignandum esset in vnaquaque scientia subiectũ; sed ferè tot, quot sunt in illa scientia demonstrationes; cum sæpe accipiatur illud, quod primo demonstratum est, vt subiectum passionis proximæ demonstrandæ, per hæc tamen non tollimus, quæ, minùs artificiosè loquendo, de ente mobile concessa sunt.

Obijcies secundo. Mutabilitas ex dictis est prima passio physica; ergo illud erit adæquatum subiectum Physicæ, quod erit adæquatum subiectum talis passionis; sed illud est adæquatũ subiectum mutabilitatis, quod habet illius adæquata principia, & hoc est ens mobile, non corpus, quoniã mutabilitas vt includit etiam accidẽtalẽ, habet pro principio priuationem accidentalem, quæ non conuenit corpori, & conuenit enti; ergo ens, & non corpus, erit subiectum Physicæ.

Respondeo, nego assumptum, si accipiatur in hoc sensu, quod illud sit adæquatum subiectum mutabilitatis, quod includit sua principia componentia, & ex quibus fiant omnia principia mutationis substantialis, & accidentalis: subiectum enim non includit principia formaliter constituentia suam passionem in suo conceptu: sed est principium subiectiuum, & emanatiuum suæ passionis, vnde si assumptum accipiatur in hoc sensu falsum est: illud enim quod aptum est sensibiliter, & materialiter mutari, est corpus, non ens, quare concedendum est non omnia principia transmutationis competere corpori, vt ipsius intrinseca, & constitutiua, hoc tamen impertinens est ad probandum propositum; si vero contendatur dicta principia nullo modo conuenire corpori, quasi non sit corpus subiectum priuationis, à qua mutatio accidentalis physica procedit, negandum est: nam quod ex non calido fit calidum est corpus, & sic de reliquis, dixi mutatio accidentalis Physica, quia de hoc tantum debet esse controuersia, neque enim corpus debet

esse subiectum priuationis requisitæ ad alias mutationes, vt sunt verbi gratia spirituales intellectiones, volitiones, motus angelici, &c.

Obijcies tertiò, etiam quantitas separata est mobilis, est locabilis, & habet alia huiusmodi; ergo hæc etiam erit obiectum Physicæ. Respondeo dicendum, quod hæc quantitati separatæ naturaliter conuenire non possunt, quia naturaliter non datur quantitas separata. Secundò quantitas non habet hæc, vt subiectum primũ sed hæ passiones, vt suo primo subiecto conueniunt corpori de prædicaméto substantiæ, quod diximus esse subiectum Physicæ.

Obijcies quartò, subiectum transmutationis substantialis est sola materia prima, non corpus; ergo non omnis mutatio Physica conuenit corpori; ergo in physica assignari debet pro obiecto aliquid quod comprehendat omnia, de quibus passiones Physicæ demonstrentur, quod non potest esse nisi ens.

Respondeo concesso. Antecedéte distinguendum est primum consequens, quantũ est contra conclusa supra, non omnis mutatio physica conuenit corpori immediatè, verum est, non conuenit mediatè falsũ est, nam considerandum est, quod aliquæ mutationes primò conueniunt alicui inferiori corpori, tali scilicet corpori mixto, vel simplici, aliquæ primo cõueniunt principijs constitutiuis corporis, vt transmutatio substantialis materiæ, tamen si accipiatur trãsmutatio in communi nulli alij primo conuenit nisi corpori in communi, subiectum autem Physicæ assignari debet illud, cui transmutatio substantialis, & sensibilis primo in communi conuenit; præsertim cum omnes transmutationes specialim acceptæ, vel sint talium corporum, vel sint principiorum corporum, & in ordine ad corpus, vt proinde, in rigore scientifico loquendo, nihil conuenientius assignari possit obiectum physicæ, quam corpus. Quare negatur consequentia.

Artic. 5. Vtrum Physica sit scientia.

Prima sententia affirmatiua est Aristotelis, cum alibi sæpe, vt patebit, tũm præsertim 6. Metaph. cap. 1. Aristot. sequitur omnes peripatetici, & recentiores communiter.

Secundam sententiam negatiuã sequuti sũt Academici, & alij antiqui, qui omnem scientiam naturalem negabant, vt Cratilus Pyrro, Heraclitus, & alij, de quibus legi possunt Conimbricenses hic quæstio. 2. art. 1.

Pro secunda sententia. Negatiua sunt hæ rationes. Prima res physicę sunt variabiles, & corruptibiles; sed scientia est de rebus inuariabilibus, et æternis, vt dicitur 6. Eth. cap. 3. ergo Physica, quæ res Physicas considerat, non est scientia.

Secunda ratio. Scientia est verorum, & quæ nullum continent falsum: sed Physica multa falsa continet, vt patet 8. Phy. & de cœlo, vbi docetur mundum esse æternum, quod tamen falsum est; ergo Physica non est scientia.

Tertia ratio. Scientia procedit per demonstrationem; sed Physica nullam verã demonstrationem habet: ergo.

Pro parte affirmatiua sunt hæ rationes. Prima est ab auctoritate Philophi, qui docet sæpe dari scientiam rerum naturalium primo post. tex. 21. scientia non est corruptibilium per se, sed per accidens, quales sunt res naturales. 3. Phy. tex. 24. scientia naturalis versatur circa magnitudines, motum, & tempus 4. met. tex. 33. confutat Heraclitum, & alios negantes scientiam rerum naturalium, & lib. 6. scientiam diuidit in metaphysicam, Physicam, & mathematicas, ex quibus patet per Philosophũ Physicam esse scientiam.

Secunda ratio. illa est scientia, quæ rei causas vsq. ad prima principia contemplatur; sed physica reddit causas rerum naturalium vsque ad prima principia physica: ergo est scientia, minor probatur, quia de omni quanto ostendit, quod de se sit diuisibile, de omni graue, quod habeat locum deorsum, de omni corpore physi-

physico, quod sit mobile, de tempore quod dicat durationem, secundum prius & posterius, & alia huiusmodi reddendo de his passionibus causas, vsque ad ipsam essentiam subiectorum, quibus hæ passiones conueniunt; ergo physica est scientia.

Tertia ratio. Nō minus est sciētis, quod omne generabile est corruptibile, quam quod omnis triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis; sed hæc est scientia: ergo est illa.

Pro solutione.

Notandum, quod licet scientia sit cognitio euidens, certa, & necessaria rei per propriam causam, tamen non eadem est certitudo, & euidentia in omnibus scientijs: nam ex 2. Met. tex. 6. certitudinem nō oportet in eunctis quærere, sed in his, quæ non habent materiam; idest non oportet in Physicis, quæ à materia non abstrahunt eandem quærere certitudinem, quæ est in rebus Mathematicis, & Metaphysicis, quæ à materia, & motu abstrahunt, vnde minor certitudo sufficiet ad constituendam physicam scientiam, quam ad constituendum Metaphysicas, & Mathematicas; hoc ergo præsupposito considerandum, quod licet in particulari res physicæ mutabiles sint, ipsarum tamen rationes sunt immutabiles, nam cum mutabilitate in actu exercito, stat immutabilitas in actu signato, & verum est in vniuersali res mutabiles immutabiliter esse mutabiles, vnde per physicam verè scire possumus omne generabile esse corruptibile, quia constat materia, forma, & priuatione; omne graue tendere deorsum; terram esse rotundam, quia cum graues sint omnes partes ipsius tendūt ad centrum per breuissimam lineam; omne quantum quantum est de se esse diuisibile, præterea omne quantum occupare locum, & alia huiusmodi, imò de illis etiā quæ non semper accidunt aliquam scientiam habere possumus, vt quod flante austro sint multæ pluuiæ, flante Aquilone serenitates, nam certo scimus vt plurimum ita accidere, & de hoc reddimus veras causas, etiamsi nonnunquam aliter accidat. Quare,

Dicendum physicam verè esse scientiā: Patet ex modò dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur, quia illa est scientia humana, quæ enunciat certo, & infallibiliter de passione ex causa, ita vt enuncians sit immutabilis; sed qui scit austrum, quod transeat per mare, secū deferre plurimos vapores, sine vlla formidine, & immutabiliter enunciare potest flante austro, vt plurimum esse pluuias; ergo physica, quæ hæc docet, est scientia.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod res physicæ in particulari variabiles habent rationes inuariabiles, & æternas; quare sic distinguenda est maior. Physica est de rebus mutabilibus in actu signato falsa est maior, & vera est minor, sed falsa consequentia, quia rationes physicæ sunt immutabiles; licet particularia, quibus tales rationes conueniunt, vt particularia sunt, in actu exercito sint mutabilia.

Ad secundam respondeo dicendū, aliud esse cōsiderare physicam secundū se, aliud physicam, quā in suis libris nobis reliquit Aristot. physica secundum se nullum continet errorem, physicam quam nobis reliquit Arist. aliquos errores continet, qualis est ille de æternitate Mundi, cum autem dicimus physicam esse sciētiam loquimur de physica secundum se.

Ad tertiam negatur minor, nam quādo transmutationem ostendimus de materia ex eo, quod est potentia, vel corruptionē de corpore constante materia, & forma, & dicente substantialem priuationem formare possumus veras demonstrationes, etiamsi nonnunquam formam demonstrationis negligamus; quod etiā facere possumus in demonstrandis multis alijs passionibus.

Obijcies. Illa non potest esse vera scientia, quæ nititur experimento fallibili, sed huiusmodi est physica: ergo non est scientia; maior patet, quia principia, quibus sciētia nititur debent esse maxime certa, & magis adhuc, quā scientia; quia propter quod unumquodq; tale, & illud magis; minor probatur, quia physica, cum sit de rebus sensibilibus, nititur experimento sensus, sensus autem sæpe errat, unde est illud D. Aug. lib. 83. quæst. non esse expectandā

sincе-

sinceritate veritatis à corporeis sensibus.

Respondeo concessa maiore negandam esse minorem, & ad probationem. Dicendum experimentum sensus, præsertim cũ est circa proprium sensibile sublatis impedimentis, & est experimentum commune, & tale fuit omni tempore, quod non pôt esse fallax, vnde scientia, quæ eo nititur, erit vera, & certa scientia, talis autem est Physica, D. autem Aug. loquitur de experimento sensus sine illis conditionibus, & quãdo repugnat rationi aliunde certæ de aliqua conclusione.

Art. 6. Vtrum Physica sit scientia speculatiua.

Sententia affirmatiua est communis, cõtra quam tamen.

Pro sententia negatiua sunt hæ rõnes. Prima scientia speculatiua est sui gratia; sed Physica, non est sui gratia; ergo non est speculatiua. Probatur minor, quia sciẽtia Physica est propter medicinam, propter Theologiam, & alia huiusmodi.

Secunda ratio. Illa non est scientia speculatiua, quæ est practica; sed Physica est scientia practica: ergo physica non est sciẽtia speculatiua. Probatur. Minor. Scientia practica est illa, quæ nos dirigit ad operandum, ex 3. de anima text. 49. sed talis est Physica: ergo Physica est scientia practica; probatur minor, quia Physica ostendit nobis Deum esse primam omniũ rerum causam; præterea plurima tractat de actibus, & habitibus intellectus, & voluntatis, quæ omnia nos dirigunt ad operandum moraliter; immo & tractando de vacuo nos dirigit ad operandum mecanice, idemque præstat tractando de graui, & leui, &c.

Tertia ratio. Medicina est quædã pars Physicæ, nã pro obiecto sibi vindicat partem corporis naturalis, & mobilis, corpus scilicet sanabile; & præterea multa tractat de naturis herbarũ, & elementorum, de cõplexione corporum, de mixtione, immo vbi desinit Physicus incipit medicus, vt dicitur de sensu, & sensi cap. 1. sed medicina est scientia practica; ergo & Physica.

Pro contraria sententia affirmatiua sũt hæ rationes. Prima ratio est ex authoritate Philosophi, qui expresse 6. Metaph. c. 1. diuidens scientiam speculatiuam illam diuidit in Metaphysicam, Physicam, & Mathematicas: ergo Physica est scientia speculatiua.

Secunda ratio. Scientia practica est de rebus operabilibus: sed Physica non est de rebus operabilibus: ergo Physica non est scientia practica, sed speculatiua, minor probatur ex Arist. 6. Metaph. res operabiles habent principium in nobis, Physica non est de rebus, quæ habent principium in nobis, ergo Physica nõ est de rebus operabilibus, ac proinde nec scientia practica. Minor probatur, quia res Physicæ habent principium motus, & quietis in se, vt patet, & ostendit Aristot. cum lib. 2. agit de natura.

Tertia ratio. Physica est cognitio scientifica veritatum naturalium gratia ipsius veritatis: ergo est sciẽtia speculatiua, quia scientia speculatiua est illa, quæ est propter speculationem, speculationis autem finis veritas.

Pro solutione.

Notandum, quod ex obiecto dignoscitur scientia, tam speculatiua, quam practica. Quoniam scientia sui obiecti, & eorum, quæ obiecti sunt, cognitio est, vt proinde si obiectum sit speculabile, scientia speculatiua sit, si obiectum sit practicũ, practica sit scientia. Nihil enim aliud sciẽtia est, quam certa, atque infallibilis, & per causam cognitio scibilis, vt quale scibile, & talis necessariò debeat esse scientia. Attamen considerare oportet, quod obiectum aliquod vel ex natura rei, vel ex intentione cognoscentis, vel deniq; ex modo cognoscendi, censeri potest practicum, vel speculatiuum. Si quis enim ea, quæ in actione humana sunt, scientificè cõsideret, hoc solum fine, vt sciat, considerabit aliquid practicum, quod tamen ex fine faciet speculatiuũ: pari modo si quis consideret naturas, & proprietates rerum naturalium hoc fine, vt ea cognitione vtatur ad praxim aliquam, res speculatiuas ex fine faciet practicas. Nam & si naturas rerum, proprietatesque earum nec facere valet homo, nec mutare; tamen directiue, & applicando actiua passiuis multa in

in eis operari potest, multisq; earum vti ad artes. Vti enim potest scientia grauium, & leuium, vacui & motuum ad mecanicas; vti potest scientia, quæ est de mixtione, & temperatura, de actione, resistentia, & passione, & de corpore animato ad medicinam: inquirere potest scientiam de coloribus, sonis, odoribus, & saporibus ad cæteras artes, & vsus humanos. Præterea cum in practicis, vt alibi dictum est, primum principium sit finis, in speculatiuis rei, & obiecti natura; Si ex positione finis procedamus ad reliqua, practicè procedemus, & scientiam illam ex modo considerandi practicam faciemus, etiamsi talem modum natura rei non postulet, quæ fortè talis est, vt ne illum quidem finem spectet, ac proinde magis ex se speculatiua est, quam practica. Pluribus ergo modis, cum se habeat practicum, & speculatiuũ, simpliciter tamen practicum, aut speculatiuum est, quod ex natura obiecti tale est, vt proinde simpliciter speculatiua dicẽda sit Physica, si de obiecto sit, quod ex natura rei speculabile est, non operabile ab hominibus. Physica autem, vt dictum est, de corpore naturali scientia est, deque illius principijs, speciebus, & proprietatibus, at hæc ex natura rei non sunt ab homine agibilia, neque operabilia; nam res Physicæ si præscindamus actus, & habitus humanos, vt dependent à libertate non sunt operabiles à nobis; imò ipsi etiam actus, & habitus humani, vt præcedũt libertatẽ nostrã, & sũt entia naturalia, & naturaliter elicita operabiles respectu nostri esse nõ possunt, ac proinde speculabiles sunt; vnde scientia, quæ circa illos, & circa cæteras res naturales versatur, quæ est physica, propriè speculatiua erit. Quare

Dicendum physicam esse scientiam speculatiuam. patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur quia in physica non præcipitur de vlla re facienda, & totus modus procedendi physicæ est speculatiuus, cum nunquam descẽdat ad præcipienda particularia, sed sistat in vniuersali non operabile, licet sub eo aliqua nobis operabilia sint.

Ad rationes in contrarium. Ad primã respondeo dicendum physicam non esse propter Theologiam, neque propter medicinam nisi per accidens, quatenus veritates naturales vtramque disciplinam iuuant: cæterum ex propria natura physica, neque ad Theologiam, neque ad Medicinam ordinatur, quoniam neque considerat corpus animatum, vt sanabile ope humanã, neque opera humana, vt à libertate ordinabilia in vltimum finem.

Ad secundam patet ex dictis; non enim iuuat nos ad operandum nisi per accidẽs, cum non sit propriè de obiecto à nobis operabili, nec ipsum consideret vt à nobis quoquo modo operabile.

Ad tertiam negatur minor, nam Medicina habet pro obiecto corpus sanabile ab arte, non à natura; Physica considerat corpus vt mobile à natura, cum illud consideret vt naturale; sed quoniam ars imitatur naturam, & est auxilium illius, ideò vbi desinit physicus, ibi incipit medicus; medic⁹ enim vtitur cognitione physica ad sanãdũ corpus, deducendo ex cognitione corporis, & affectionum eius, nec non variarum herbarum, quæ nam sint, quæ corpori ægro applicari debeant, à quibus longè remoueri, vt per actiua salubria ipsi applicata reducatur ad sanitatem, & per remotionem à noxijs prohibeatur ægritudo.

Art. 7. Vtrum medicina subalternetur Physicæ.

PRo sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima scientia practica non potest subalternari speculatiuæ; Medicina est scientia practica physica speculatiua: ergo medicina non est subalternata physicæ.

Secunda ratio. Subalternata accipit subiectum, & modum considerandi à subalternante; sed medicina non accipit modũ considerandi à physica, sed ipsa de se peculiarem habet; considerat enim corpus non vt naturale, sed vt sanabile; ergo medicina non subalternatur physicæ.

Tertia ratio. Scientia subalternata non differt essentialiter à subalternante, sed medicina essentialiter differt à physica: ergo medicina nõ est subalternata physicæ.

In contrarium.

Pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima ex auctoritate Philosophi

de sensu, & sensibili cap. primo citato, vbi dicit, quod vbi desinit Physicus incipit medicus, seu quod physicus desinat in ea, quæ sunt medici; hoc autem proprium est scientiarum subalternararum; vbi enim desinit scientia subalterna incipit subalternata.

Secunda ratio. Illa scientia subalternatur alteri, quæ ab ea accipit subiectum, addendo illi nouam conditionem, quæ ingrediatur modum considerandi; sed talis est medicina, quæ accipit quandā speciem corporis naturalis, puta corpus animatū, & addit illi rationem sanabilis: ergo medicina est subalternata physicæ.

Tertia ratio. Principia subalternata probantur in scientia subalternante; sed principia medicinę probantur in Physica; ergo medicina subalternatur Physicæ.

Tertia ratio. Principia subalternata probantur in scientia subalternante, sed principia medicinæ probantur in Physica; ergo medicina subalternatur Physicę.

Pro solutione.

Notandum, quod medicina multipliciter considerari potest, primo enim accipi potest medicina pro quadam praxi, & peritia medendi comparata pręcipientis alicuius doctrina, vel consuetudine, & obseruatione; secundo accipi potest pro collectione præceptorum deductorum ex quibusdam principijs vniuersalibus, & certis; Tertio accipi potest pro consideratione ipsorum principiorum, nam verbigratia est aliquis medicus, qui vel quod audiuit ab aliquo perito, vel quia casu aliquando animaduertit, sibi bene cecidisse, scit tali inflationi adhibendum esse tale emplastrum, tali febri adhibendam esse talem medicinam, nec tamen aut naturam febris dignoscit, aut cur adhibenda sit talis medicina causam potest reddere, & huiusmodi homo nullam habet scientiam, neque artem proprie acceptam, sed solum quandam peritiam, & praxim: alius est Medicus, qui ex eo, quod bene nouit, quod frigida curanda sunt calidis, calida frigidis, scit hunc, & illum morbum calidis curandum esse; hunc & illum frigidis, nescit tamen rationem illius principij, cur frigida curanda sint calidis, calida frigidis, & hic proprie habet facultatē quandā medicam, quæ est ars, cum sit recta ratio in tali morbo factibilium; alius demum est medicus, qui reddere potest causam illorum principiorum frigida curanda sunt calidis, calida frigidis, & aliorum huiusmodi, & hic proprie habet medicinā, quæ est scientia. Considerandum igitur est, quod primum genus medicinæ, quæ est pura quædam peritia valde fallibilis ex sua natura, nihil commune habet cum physica, cum solum propter experientiam quādam, vel fidem dicentis sciat adhibere res physicas ad curandos morbos. Secundū genus propius accedit ad physicā, quod tamen quia neque scientia est, neque sua principia immediate habet à physica non illi subalternatur, sed remote tantum à physica iuuatur. Tertium porrò genus, quia pro suis principijs accipit conclusiones physicas, & ex illis deducit conclusiones medicas videtur physicæ subalternari; nam Physica demonstrat contrarium expelli ab alio côtrario, quod sit fortius eo; quod actiua inuicem agunt, & actio procedit à proportione maioris inæqualitatis, qua habita conclusione medicina sic ratiocinatur; contraria expelluntur talibus contrarijs, scilicet fortioribus; sed medicamenta frigida sunt contraria humori calido, ergo medicamēta frigida fortiora curabunt humorē calidū; ergo morbus calidus curadus est medicamentis frigidis, in quibus patet medicinam, quæ scientia est accipere sua principia à Physica, & ex illis deducere conclusiones suas: cum autem scientia subalternata illa sit, quæ vtitur conclusionibus subalternantis pro principijs, & ex illis suas conclusiones deducit, medicina subalternabitur physicæ. Solum hic obesse videtur, quod medicina non videtur saluare subiectum physicum, cum corpus animatum consideret, non vt tale corpus naturale, sed vt sanabile, sed considerandum est, quod neque musica, neque perspectiua hoc modo seruant subiecta suarum scientiarum subalternantium, cum musica non considerer proportiones, vt abstrahunt à materia, & qualitatibus sensi-

sensibilibus, sed illas consideret in qualitate sensibili, nimirum in sono: & perspectiua consideret lineas in colore, & lumine, quibus sunt sensibilia, vt proinde subalternata non debeat seruare subiectum, quod accipit à subalternante in eadem prorsus abstractione, & modo considerandi: nam proportiones in sono differunt essentialiter à proportionibus in numero quantitatiuo, & anguli in lumine ab angulis in quantitate; sicut, & in piscibus essencialiter differt spina ab osse in animalibus, cum tamen spina & os constituant vnum quasi genus analogicum, & habeant eundem fere modum considerandi; eodem ergo modo licet proportiones, & numeri in sono, & quantitate essentialiter differant; quia tamen adhuc proportionaliter conueniunt, & ratio numeri in quantitate est abstractior, & magis nobis nota, ideo musica procedēdo ex principijs Arithmeticæ subalternatur Arithmeticæ, hæc autem si applicentur Physicæ, & medicinæ procedent pari passu; nam Physica, & considerat principia corporis animati, & principia omnis actionis, & passionis Physicæ, quæ si deinde restringantur in propria materia medicinæ, iam fiunt propria medicinæ, quæ tamen quia medicina censetur accipere à Physica, & vere accipit, ideo Physicæ subijcitur, & subalternatur. Quare.

Dicendum medicinam, si accipiatur pro scientia, non pro alijs habitibus, de quibus dictum est, subalternari Physicæ, patet ex dictis modo, & rationibus secūdæ sententiæ. Confirmatur, quia conditiones, quę reperiuntur in musica, & perspectiua respectu Arithmeticæ, & Geometriæ, reperiri possunt in medicina respectu Physicæ; nam si illæ accipiunt subiectum ab Arithmetica, & Geometria, hæc accipit à Physica; si illæ addunt conditionem formalem, & ista, nam non minus sonorum in musica ingreditur rationem formalem musicæ, & dat nouum modum considerandi, quam sanabile in medicina, si illa accipit sua principia ab Arithmetica, hæc sua accipit à Physica.

Ad rationes in contrarium. Ad primam negatur maior, nam & musica dicenda est scientia practica, nō minus quam medicina, nam medicina accepta pro scientia conclusiones medicas tantum in vniuersali considerat, sicut musica conclusiones musicas, & sicut medicina est de re attingibili practicè à nobis per applicationem actiuorum ad passiua, ita musica est de re à nobis agibili, voces enim, & concentus formantur ab homine, & adhuc immediatius quā per medicinā expellantur morbi; verum quidem est, quod aliqui cognitionem illam medicinalem in vniuersali putant esse speculatiuam, sicut & musicam; sed reuera si absolutè consideremus, & non respectiue, nihil prohibet quo minus sit scientia practica; nam dato quod dici possit speculatiua in ordine ad illos alios duos habitus medicinales se ipsa inferiores, & magis particulares, absolutè tamen videtur practica; quia est de re à nobis per praxim attingibili, sicut, & musica: nam si solum habitum practicum velimus esse illum, qui immediatè versatur circa particularia; vel qui continetur quibusdam præceptis practicis, nulla erit scientia practica, quia talis habitus non potest esse scientia: sed solum habitus practici erunt artes, & prudentia, quod nonnulli asserunt tollentes omnes scientias practicas. magis tamen dicendum videtur dari habitus practicos verè scientificos, qui quidem circa vniuersalia, & necessaria versantur, sed tamen circa vniuersalia à nobis agibilia, vel operabilia in singularibus, & vt sic.

Ad secundam falsum est subalternatam accipere eundem omninò modum considerandi à subalternante, cum ipsa per suam rationem formalem, quam addit, illum diuersificet, vt patet in perspectiua, & musica; nec verum est, quod dicunt aliqui conditionem additam à subalternata obiecto subalternantis habere se merè accidentaliter, cum vere ingrediatur rationem formalem, vt dictum est alibi.

Ad tertiam negatur maior, perspectiua differt essentialiter à Geometria, est quid medium inter Physicam, & Mathematicas, falsum igitur est quod subalternata non differat essentialiter

à subalternante; nam sicut quædam qualitates secundæ essentialiter pendent à qualitatibus primis, & tamen à primis essentialiter differunt, eodem modo non est inconueniens scientias subalternatas differre essentialiter à subalternantibus, & tamen essentialiter ab illis dependere; nam ita accipiunt obiectum subalternantis, vt per conditionem additam illud essentialiter diuersificent; & tamen idem quasi retinent quatenus principia, & conclusiones subalternantis adhuc accommodari possunt ad probandas passiones de illo, quod non est in Physica respectu Metaphysicæ & vniuersaliter in scientijs inferioribus, & particularibus respectu superiorum, & magis vniuersalium non subalternatarum.

Obijcies. Vnaquæque scientia demonstrare debet ex proprijs principijs ex primo Analyticorum, & non transcendere de genere in genus; sed si subalternata essentialiter differret à subalternante, & per eius principia demonstraret suas conclusiones, transcenderet de genere in genus, & non demonstraret ex proprijs; ergo non potest scientia subalternata differre essentialiter à subalternante.

Respondeo concessa maiore ad minorē dicendum, quod subalternata sicut sibi accommodat subiectum subalternantis, ita & principia: & aduertendum est, quod sicut de analogis potest dari vna scientia ex 4 Met. & 2. Post. supra citato, ita de aliquo analogo conuenıente cum alio, sed eo magis contracto dari potest scientia, quæ essentialiter dependeat à scientia primi & vniuersalis analogi, & quæ vtatur eius principijs. Verbi gratia Musica considerat concentum, seu proportiones numeri in vocibus, numerus autem in vocibus non conuenit, vt dictum est, vniuoce cum numero in quantitate, patet, quia huius principium est vnitas quantitatiua, illius est diesis, quæ plurimum ab vnitate quantitatiua differt: præterea linea in lumine & colore non est proprie linea, nisi velimus lumen, & colorem esse quantitatem, sed solum est linea analoge, hanc autem considerat Perspectiua, illam Geometria; quoniam tamen & linea in lumine habet proportionem cum vera linea in quantitate, & proportiones in vocibus cū proportionibus in ipso numero quantitatiuo, ideo & principia Geometriæ, & principia Arithmeticæ inseruiunt Musicæ, & Perspectiuæ, & Perspectiua demonstrans per principia Geometriæ, contracta tamen, non transcendit de genere in genus, & monstrat ex proprijs; quia habet tale obiectum, quod ratione Analogiæ conuenit cum obiecto Geometriæ; vnde & illius principia optime ipsi accommodari possunt; quam ob rem cum subalternata, ita essentialiter differat à subalternante, vt adhuc ab ipsa essentialiter dependeat, si contrahat principia subalternantis, & per illa demonstret, non transcendit de genere in genus, & censetur demonstrare ex proprijs, quare negatur consequentia.

Quæstio 2. de modo procedendi scientiæ naturalis, et primo cognito.

INuestigato obiecto Physicæ, & ex eo cognita ipsius natura antequam ad singulas eius partes accedamus, videndum est de modo, quo naturalis scientia inuestigari, & tradi debet; habet autem difficultatem, quod cum dixerit Arist. à notioribus nobis esse procedendum, contrarium tamen videtur persuadere ratio, cum scientia procedat à causis, & à notioribus natura. Illud etiam est difficile, quod apud omnes non constat, quæ sint nobis notiora, sit ergo.

Art. 1. vtrum notiora natura sint minus nota nobis.

SEntentia affirmatiua est Arist. primo post. cap. 2. & hic tex. 2. quem sequuntur omnes Peripatetici communiter, & recentiores.

In contrarium tamen.

Pro sententia negatiua sunt hæ rationes.

Prima sicut se habet sensibile ad sensū, ita

sit intelligibile ad intellectum; sed quæ magis sunt sensibilia de sua natura sensibus nostris magis talia sunt, & notiora; ergo & quæ magis sunt intelligibilia erũt notiora intellectui nostro.

Secunda ratio. Nobis sunt notiora, quæ sunt cognoscibilia per se, quàm quæ cognoscibilia per aliud; sed notiora natura per se sunt cognoscibilia; ergo & sunt notiora nobis.

Tertia ratio. Potentia naturalis proportionatur suo obiecto naturali; sed potentia nostra intellectiua est potentia naturalis, & intelligibile est eius obiectum naturale; ergo illi debet esse proportionatum: sed magis intelligibile natura est notius; ergo & tale esse debet intellectui nostro. Et hæc pro sententia negatiua.

Pro opposita sententia affirmatiua est ratio. Prima ab auctoritate Arist. hic tex.2. vbi dicit notiora natura non esse notiora nobis, sed ab ijs distincta: accedit & tex.1.li.2. Meta. vbi illa habet. quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent; ita & intellectus animæ nostræ ad ea, quæ manifestissima omnium sunt; non ergo notiora natura sunt, notiora nobis.

Secunda ratio. Illa sunt magis nobis nota, quæ sunt magis sensibilia; sed vt plurimum, quæ à sensibus magis sunt remota, & minus sensibilia, natura notiora sunt; ergo quæ sunt nobis notiora, non sunt notiora natura.

Tertia ratio. Per analogiam ad corporea, & sensata intelligimus spiritualia, & intelligibilia; sed spiritualia sunt natura notiora: ergo quæ sunt notiora natura, non sunt notiora nobis.

Pro solutione.

Notãdum, quod duobus modis aliquid dici potest natura notius, primo quidem, quod natura perfectius est, secundo vero quod in sui cognitione non dependet ab alio, vel minus dependet; quod natura perfectius est notius est, nam cognoscibilitas sequitur esse, & actualitatem; quo ergo res magis de esse participat, & magis est actu, magis etiam natura est cognoscibilis, & notior; neque enim vt putarunt aliqui dicitur notius natura, quod à natura magis cognoscitur; neque enim natura est cognoscitiua, nisi per naturam accipiamus auctorem naturæ; vel aliquam determinatam naturam, vt angelicam, vel humanam; sed dicitur aliquid notius natura quasi passiue, idest quod de sua natura magis est cognoscibile, quod, vt dicebamus, est, illud, quod magis de ente, & de actu participat, vt proinde quo res est nobilior, & magis actuata, eo natura notior sit, & quæ sic notiora sunt dicuntur notiora ordine perfectionis. Secũdo notius est natura, quod in sui cognitione minus ab alijs dependet, & dicitur notius ordine generationis; nam cum res sicut se habet ad esse, ita & ad cognosci, quæ à pluribus dependent per plura cognosci debent, vnde in hoc sensu, quæ magis dependent, & si aliunde perfectiora sint, & magis actuata alijs, quæ minus dependent, erunt natura ignotiora; sed aduertendum est, quod talis dependentia debet esse, vel à causis extrinsecis, vel intrinsecis; si enim sit à causis intrinsecis, & comparetur cum re minus dependente à causis intrinsecis, res quæ magis dependet respectu nostrum, & cognitione distincta semper est ignotior, cum tamen absolute possit esse notior, cuius ratio est, quia talis res plus potest participare de ente, & esse magis actuata, cũ tamen quia nos non possumus illam distincte cognoscere comprehendendo vnico intuitu omnes eius partes, necesse habeamus illam cognoscere per partes, vnde partes vt minus dependẽtes erunt notiores, cum tamen totum, vt magis ens, & magis actuatum sit notius: si vero talis dependentia sit à causis extrinsecis, vel est dependentia essentialis, vel accidentalis; si accidentalis, nihil impedit cognoscibilitatem rei; si essentialis cæteris paribus impedit, quamquam nonnunquam satis in aliquo ordine res cognoscitur ignorato eo, à quo essentialiter dependet, quo pacto censendum est aliquos ex antiquis Philosophis nonnullas res naturales satis Physice intellexisse, & si ignorauerint illarum essentialem dependentiam à Deo, vt à prima causa; iam notius nobis illud simpliciter dicitur, quod vel magis sensatum est, vel rebus sensatis proximum, quæ autem magis sensata sunt, vel rebus sensatis proxima, vt plurimum, minus de ente, & de actuali

tate participant. Quare.

Dicendum vt plurimum, & indefinitè loquendo, quæ sunt notiora natura minus esse nota nobis, & quæ sunt notiora nobis, ignotiora esse natura; patet ex modo dictis, & probatur rationibus secundæ sententiæ; quia in cognoscẽdis notioribus natura magis laboramus, & pauciora de illis sæpè prædicata cognoscimus quã de alijs rebus, & illa nõ cognoscimus nisi per analogiam ad res materiales, & sensatas, dixi autem notiora natura minus esse nota nobis vt plurimum, & indefinitè, quia hoc non semper verum est; quia aliquãdo notiora natura ordine perfectionis vt composita, & magis actuata, sunt etiam notiora nobis, quia sunt magis sensata, aliquãdo notiora natura ordine generationis etiam nobis notiora sunt, vt accidit in coloribus, qui & natura, & nobis notiores sunt speciebus intentionalibus, quas producunt.

Ad rationes in contrarium. Ad primam concessa maiore, ad minorem dicendum, quod sicut datur sensibile excedens, quod omnino superat vim sensitiuam, vt proindè ab ea cognosci bene non possit, sic maxime intelligibilia ita superant pro hoc statu vim intellectiuam, seu modum intelligendi nostri intellectus, vt illi parum intelligibilia sint; vnde, & multis de se minus intelligibilibus ignotiora respectu nostri intellectus dici debent.

Ad secundam. Respondeo dicendum, quod quæ per se sunt cognoscibilia; nobis notiora sunt in hoc sensu, quod quæ nos immediatè cognoscimus sunt nobis notiora illis, quæ per ea cognoscimus: principia enim cognitionis sunt notiora ijs, quæ per principia cognoscuntur, at quæ per se sunt cognoscibilia, idest, quæ de sua natura postularent cognosci non per aliud, vel ex alio, nobis sunt notiora, falsum est; hæc sunt, quæ sunt notiora natura, non prima. Quare negatur consequentia.

Ad tertiam maior est vera de obiecto non excedente, falsa de excedente; huiusmodi autem sunt notiora natura respectu nostri. Quare negatur consequentia.

Obijcies. Quæ minus dependent sunt notiora natura, vt dictum est, sed prædicta vniuersaliora minus dependent; ergo sũt notiora; sed hæc etiã nobis notiora sunt, ergo natura sunt, & nobis notiora. Vt Respondeatur huic obiectioni sit.

Ar. secundus Vtrum prædicata magis abstracta sint nobis notiora alijs cognitione confusa, & primò cognita.

Affirmat D. Thomas hic in proœmio, & prima parte quæst. 85. Art. 3. Auicen. 1. lib. suæ Meta. capite 1. & idem cum eo sentire videntur alij Arabes, hi Auctores volunt cognitione confusa à nobis cognosci magis vniuersalia, ita vt primum quod cognoscimus, sit ens, tũ cętera prædicata minus vniuersalia: quamquam in hoc deinde variant, quod aliqui putant nos ordine procedere in cognoscendo à maxime vniuersali, nempe ente, vsque ad infimam speciem; alij volunt primum quidem omnium cognosci ens, illum tamen ordinem in cognoscendis alijs prædicatis non admittunt.

Sententia negatiua est Scoti in 1. dist. 3. q. 2. & primo Met. q. 10. cum Scoto eandẽ sententiam sequuntur communiter ipsius sectatores Ant. A. primo Met. quæst. 10. Achili. primo Met. Fracasto. primo de intellectione sub finẽ. Mayro. & alij in primo sẽtent. loc. cita. Tolet. hic ex parte quæ. 3. Conimb. hic, & alij.

Pro prima sententia ratio prima sit. In ijs, quæ reducuntur de potentia ad actum semper natura progreditur ab imperfectioribus ad perfectiora, vt patet in formatione fœtuum: ergo, & idem seruabit in cognitione: sed magis vniuersalia sunt imperfectiora minus vniuersalibus, vt quæ plus habent de potentialitate, & minus de actualitate, quam minus vniuersalia; ergo prius erit cognitio magis vniuersalium, sed quod nobis prius est cognitum saltem cognitione confusa est notius; ergo magis abstracta, & vni-

vniuersalia sunt notiora.

Secunda ratio. Illud est notius respectu alicuius potentiæ, quod plus participat de ratione adæquata obiecti ipsius; sed ratio entis est obiectum intellectus; ergo gradus entis erit notior omni alio gradu: sed hic est maxime vniuersalis; ergo magis vniuersale noti⁹ est minus vniuersali.

Tertia ratio. Illud est notius, quod prius cognoscitur; at hoc est vniuersale; ergo vniuersale est notius.

Prob. minor. primo. Quia quando videmus aliquid à longe prius de ipso scimus, quod sit ens, quam quod sit tale, vel tale ens, & pueri prius vt ait hic Arist. omnes homines patrem nominant, quam sciant hũc vel illum hominem particularẽ esse suum patrem. His accedit, quod vniuersalia sunt, quędam tota respectu particularium; tota autem ex eodẽ Aristotile hic sunt notiora partibus.

Pro secunda sententia sunt hæ rationes prima. Ea sunt nobis notiora, quæ sunt magis sensibilia; sed hæc sunt minus vniuersalia vt patet. Ergo hæc sunt nobis notiora. Maior patet ex dictis, & probatur; Quia omnis nostra cognitio oritur ex sensibus.

Secunda ratio. Causæ naturales non impeditæ efficiunt effectum sibi adæquatum; sed sensibilia quando sunt nobis debitè proposita sunt causæ naturales non impeditæ; Ergo efficient effectum sibi adæquatum; sed respectu intellectus nostri talis est cognitio speciei; Ergo causabunt in intellectu nostro cognitionẽ specierum; Ergo notior nobis erit species, quæ est minus vniuersalis, quã alij gradus superiores magis vniuersales.

Tertia ratio. Illud nobis est notius, quod est cognitu facilius; sed huiusmodi sunt minus abstracta; Ergo min⁹ abstracta sunt nobis notiora. probatur minor. Nam metaphysica inter omnes sciẽtias ideò est difficillima, quia est de maximè abstractis, & in Logica tractatio de vniuersalibus alijs difficilior censetur eadem de causa. Pro solutione.

Notandum, quod aliquid potest nobis esse notius primo quia prius cognoscatur quam aliud, quo notius dicitur, secundo aliquid nobis potest esse noti⁹, quia sæpius cognoscatur, & in pluribus; ea enim, quæ sæpe cogitamus, & quæ in multis rebus videmus, ea inquam cæteris paribus nobis notiora sunt: in proposito ergo cõsiderandum est, quod cum nostra cognitio oriatur à sensu reducente obiecto intellectum de potẽtia ad actum media sua specie, dubium est, quem conceptum obiecta sensibilia prius in intellectu nostro ingenerẽt; & prætermissa illa quæstione in suum locũ, vtrum intellectus directè, & primo cognoscat sĩgulare an vniuersale. Aduertẽdũ est, quod obiecta sensibilia cũ sint agentia naturalia habẽt ingenerare, & facere in intellectu omnem illam notiam, quã possunt, dũmodo nõ adsit impedimentũ, quod hoc prohibeat; nunc autem nullum est impedimentũ quando proposita sunt sensibus indebita proportione distantiæ, quando medium est dispositum, quando potentia sensitiua, per quam in intellectũ deriuãtur est bene affecta, & cũ omnib⁹ requisitis; porrò notitia quã facere possũt ĩ intellectu obiecta sensibilia non potest esse solus conceptus entis, quoniam secus nunquã aliũ cõceptum producerent, vnde à nobis non cognoscerentur species, & ad intelligendũ perinde esset videre colores, ac sentire sonos, & omnia sub vno conceptu intelligerentur; cum ergo certum sit gigni in nobis ab obiectis sensibilibus quando non adest impedimentũ extrinsecum non solum conceptum vniuersalissimum entis, sed conceptus specificos vltimatos, videndũ est, qui prius ingeneretur, & si sermo sit de prioritate naturæ fortè prius gignitur conceptus entis; sicut cum ab igne producitur calor prioritate naturæ prius producitur qualitas, quam calor, quia in calore prius est esse qualitatem, quam esse calorem; hęc tamen prioritas cum sit per accidens, quia illud quod per se producitur est calor, per accidens vero in calore producitur qualitas, ideo absolutè dicendum est per prius produci, quod per se producitur; per se autem prius producitur quod terminat vt sic actionem, terminat autem actionem, quod maximeest actu, quod est particulare; quoniam in actione terminus deducitur de potentia ad actum, vnde actio est propter actum, actu autem magis est species infima, quam supremum genus, ac proinde in mente gigni per se

primo

primo necesse est cognitionem speciei infimæ, vnde cognitione confusa species infima nobis notior erit; quamquam si illud appellemus notius, quod sæpius cogitamus, & quod in pluribus videmus notiores nobis dicendi erunt gradus superiores, vt qui in pluribus speciebus nobis occurrant.

Quare.

Dicendum cognitione cōfusa secundū quid nobis notiores esse gradus minus vniuersales, secundum quid etiā notiores esse gradus magis vniuersales, prima pars huius conclusionis probatur rationibus secūdæ sententiæ, & patet ex modo dictis de prioritate notitiæ minus vniuersalis, quādo non adest impedimētum: secunda pars conclusionis probatur ex eo etiam, quod modo dictum est gradus superiores sępius nobis occurrere, quia in pluribus speciebus continetur ipsorū notitia, vnde penes hoc sunt nobis notiores; nam ea quæ sæpius cogitamus, facilius occurrunt, vnde euenire potest, vt per speciem alicuius rei sēsibilis non intelligatur prius gradus specificus illius rei, excitata, scilicet, per talem speciē statim memoria illius, quod bene cognitū est, quod sic occurrere solet; facta per Phantasma imaginatione illius singularis, quod est præsens sensibus, statim per sympatiam potentiarum, & intellectionē singularis excitatur in intellectu aliqua species ex illis, quæ magis radicatæ sunt, & sæpius in actu; fit autē talis excitatio, quia in illo singulari cū alijs multis relucet illud, quod per speciē, quæ magis est in actu repræsentari debet, & ex hoc capite est, vt vel ex leuissimo signo veniamus in memoriam illorum, quæ sæpe cogitamus.

Ad rationes primæ sententiæ quantum faciunt contra nostram conclusionem. Ad primam. antecedens valet, vbi natura non statim operatur totum, quod potest, at in cognitione statim, operatur quātū potest, vnde falsum est, quod infertur.

Ad secundam concessa maiore, ad minorem dicendum est, quod ratio entis sumi potest, quasi in suppositione simplici, & falsum est, quod talis ratio sit adæquatum obiectum intellectus vel plus de obiecto intellectus participet, quā cæteræ rationes, secundo sumi potest quasi in suppositione personali, vt scilicet dicit quodcunq. ens, quod vere tale est, etiam secundum particulares rationes, & hoc pacto ens est adæquatum obiectum intellectus; quia quidquid intelligitur vel intelligitur, vt verū ens, vel per similitudinem ad verum ens; sed falsa est consequentia.

Ad tertiam dicendum, quod ratio illa procedit quando sunt impedimenta, vel obiectum non est debitè applicatum; nam quando à longe videmus aliquid, illud in oculo apparet fuscum, intellectus autem attendens distantiam illius obiecti, & videns nō posse iudicare de quidditate rei, iudicat secundum illud, in quo errare non potest; quoad apprehensionem autem illud, quod sic videtur à sensu, apprehendit intellectus per modum talis entis corporei; nec est inconueniens, quod in tali casu primum, quod cognoscitur sit aliquid vniuersalius vage; quoniam cum species intentionalis debiliter moueat potentiā, consequenter mouet secundum id quod est imperfectius, impfectius autem, & minus actuatum est magis vniuersale, vnde magis vniuersale per modum tamen indiuidui vagi prius cognoscitur, cum obiectum non est debite applicatum, vel aliud occurrit impedimentum: ad confirmationem ex Aristot. de pueris vocantibus primum omnes homines patrem, dicendum id prouenire ex eo, quod propter humoris abundantiam, & crassitiem, ita in ipsis offuscatur sensus communis interior subeunte præsertim partem illam multa nebula, vt non ualeant pueri patrem distinctè cognoscere, sed cognitione quadam uaga singulos homines cognoscant, idest cognoscant quidem singulares, sed non omnino determinatè, & distinctè, sed confusè, ut proindè non bene possint uerū parentem ab alijs hominibus discernere, id cernitur proportionaliter ī pecudibus, agni enim recenter nati ad oues quascunque quasi ad matrem accurrunt, cum tamen paulò post propriam matrem ab alijs discernant; nec tamen proinde dicendum est, quod in pecudibus cognitio uniuersalis præcedat cognitionem singularium, cū pecudes uniuersalia non cognoscant. Quare cum eadem ratio quoad hoc sit de pueris, & agnis, nihil ex illa experientia confici-

scitur, sed contra.

Obijcies primo. in hoc differt intellectus à sensu ex tertio de anima & ex cap. quinto huius libri tex 49. quod intellectus est circa vniuersalia, sensus circa singularia dicente Philosopho loco proxime citato, quod vniuersale secūdū rationem notum est, singulare autem secundū sensum; ergo intellectus incipit suā cognitionē ab vniuersalibus; ergo magis vniuersalia simpliciter sunt ipsi notiora, & primo cognita.

Respōdeo quod cùm tàm sensus, quàm intellectus percipiant singularia, & in hoc non differant, differunt deinde, quod intellectus versatur etiam circa vniuersalia, circa quæ non versatur sensus; quare negatur consequentia; quia cum non est impedimentum intellectus incipit suam cognitionem à magis sensatis, magis autem sensata sunt, quæ sunt viciniora singularibus.

Obijcies secundo, quo res magis sunt abstractæ à materia eo magis sunt intelligibiles, sed vniuersaliora sunt magis abstracta à materia; ergo & magis sunt intelligibilia; ergo & magis nota, & primo cognita.

Respondeo quo res magis sunt abstractæ à materia de se, & à parte rei, idest, res, quæ à parte rei minus de materia participant cæteris paribus de se sunt magis intelligibiles, licet non proinde sint magis intelligibiles nobis; at res quo sunt magis abstractæ à materia per intellectū, idest quo per plures abstractiones abstractæ sunt, & longius abstractæ à singularibus sūt magis intelligibiles, falsum est, quare in hoc sensu, qui facit contra nostrā conclusionem negatur consequentia.

Art. 3. Vtrum prædicata magis abstracta sint notiora nobis alijs minus abstractis cognitione distincta potentiali.

Sententia negatiua est communis, contra quam tamen.

Pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima illud est nobis notius cognitione distincta potentiali, quo cognoscitur totum potentiale cum sua potentialitate; sed prædicata magis vniuersalia sunt huiusmodi, quia cognoscendo ipsa cognoscimus potentialitatem, quam dicunt ad plura inferiora; ergo prædicata magis abstracta sunt nobis notiora cognitione distincta potentiali.

Secunda ratio. Illud solum cognosci potest cognitione distincta potentiali, quod dicit potentialitatem; sed huiusmodi sunt prædicata magis abstracta; ergo prædicata magis abstracta tali cognitione sunt notiora.

In contrarium pro sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima. Cognoscere aliquid cognitione distincta potentiali est cognoscere eius potentialitatem cum suo termino; sed quanto minus abstracta sunt prędicata tanto facilius ipsorum termini cognoscuntur: ergo prædicata minus abstracta magis nobis nota sunt cognitone distincta potentiali.

Secunda ratio. Tanto magis aliquid est notum cognitione prædicta quanto minus habet de potentialitate; quoniam quo minor est potentialitas eo distinctius cæteris paribus penetratur; sed prædicata inferiora minus habent de potentialitate; quia magis accedunt ad vltimam actualitatem; ergo respectu eiusdem intellectus cum alijs conditionibus requisitis paribus facilius penetrabuntur; ergo minus vniuersalia sūt notiora cognitione distincta potentiali.

Pro solutione.

Notandum, quod quadruplex in proposito distingui potest cognitio, duplex potentialis, cuius altera sit confusa, altera distincta, & duplex actualis, cuius pari modo altera sit confusa, altera distincta, potentialis cognitio illa dicitur, qua cognoscitur aliquid totum potentiale, vt sic; Totū potentiale illud est, quod plura in se potentia, vel potestate continet, huiusmodi sunt genera ad species comparata, quæ species in se potestate continent; cognitio actualis illa est, qua cognoscitur totum actuale, totum actuale illud est, quod actu plures partes in se cōtinet, ex quibus integratur, huiusmodi sunt species, siue infimæ, siue subalternæ, quæ vt sic actu componuntur ex genere, & differentia; iam cognitio illa distin-

distincta dicitur, quæ distinctè concipit obiectum; ita vt cadat super omnes partes obiecti, si obiectum aliquo modo partes habeat, illud enim distinctè cognoscimus, quod ita penetramus, vt singulas eius partes perspiciamus; cum ergo obiectum est totum quoddam tunc distinctius cognoscitur, quando perlustrantur oculis animi omnes eius partes, quæ si sint actu in ipso, actu videri debent; si potentia, vel potestate cognosci debet in ipso toto potestas ad illas, & illæ videri debent vt terminus huiusmodi potentialitatis; cum ergo quanto prædicata sunt magis abstracta, maiorem dicant potentialitatem, vt proinde difficilius sit ipsam concipere, & omnes terminos eius, necesse est ipsam concipere confusius, quia ea, quæ difficilius à nobis cognoscuntur, & latius patent, magis confusè à nobis con[...]iuntur.

Quare :

Dicendum cognitione distincta potentiali notiora nobis esse prædicata minus abstracta magis abstractis; patet hæc conclusio ex rationibus secundæ sententiæ, & ex modo dictis confirmatur, quia potentialitas in obiecto pugnat cum distinctione ex parte ipsius, vnde quando refunditur in potentiam, quia potentia accipiat cognitionem ab obiecto, necesse est cognitioné tanto minus esse distinctam, quanto obiectum plus habet de potentialitate; & quia prædicata magis abstracta plus habent de potétialitate, & nostra cognitio desumitur ex obiecto, quia intellectus noster reducitur de potétia ad actum ab obiecto medio intellectu agente, idcirco necesse est prædicata magis abstracta nobis minus cognita esse cognitione distincta potentiali.

Ad rationes in contrarium. Ad primam respondeo dicendum, quod illud est notius cognitione distincta potentiali, quod habet minorem potentialitatem, ita vt facilius termini ipsius potentialitatis percipi possint, quare falsa est maior, & minor; nam nō ex eo, quod aliquid dicit potentialitatem ad plura, illud nobis est notius; sed potius contrarium, sicut quo maius est pōdus non facilius fertur, sed difficilius.

Ad secundam respondeo dicendū, quod minus abstracta vniuersalia adhuc dicunt potétialitaté ad suas partes subiectiuas, sed quia hæ viciniores sunt, & magis actuatæ, & pauciores, ideo facilius in talibus prædicatis penetrari potest potentialitas ad huiusmodi partes, vt ad suos terminos: quare negatur minor, sed contra.

Obijcies. Illud dici debet notius cognitione distincta potentiali, in quo apertiùs perspicitur ipsa potétialitas, sed potentialitas apertiùs perspicitur in magis abstractis; ergo magis abstracta notiora sunt tali cognitione.

Respondeo nego maiorem; nam, vt dictum est, cognitio distincta potentialis dicitur, qua penetratur ipsa potentialitas quodammodo in actu exercito penetrādo cum ipsa ipsius terminos, non qua perspicitur ipsa potentialitas in actu signato, nō videndo ipsius terminos; hæc enim cognitio, non est cognitio distincta, sed est potius cognitio cōfusa, quia videre aliquid per modum totius potentialis, nō videndo habitudinem ad terminos, est videre cōfusè; vnde talis cognitio confusa est. Ad minoré potentialitas perspicitur apertius in magis abstractis in actu signato, nō in actu exercito, quare negatur consequentia.

Artic. 4. vtrum magis abstracta sint nobis notiora cognitione distincta actuali.

Possunt statui duæ sententiæ, negatiua, & affirmatiua, affirmatiua tamé communis est, quæ habet pro se Arist. 6. Topi. ca. 3. Aueroem hic commen. 2. D. Thom. 1. parte, quæst. 85. art. 3. Scotum in 1. distin. 3. quæst. 2. & alios.

Pro prima séntétia negatiua sunt hæ rationes. Prima. Illud debet esse notius cognitione distincta actuali, quod magis est actu; sed minus vniuersalia sūt magis actu, cum plus de actualitate participent; ergo minus vniuersalia erunt notiora cognitione distincta actuali; ergo vera est prima sétentia, quæ hoc negat de magis vniuersali.

Secunda ratio. Cognitio distincta, vt dictū est, illa est, quæ bene penetrat obiectum;

ctum; sed melius penetratur minus vniuersale, & minus vniuersale est magis actuale; ergo cognitio minus vniuersalis, quæ est magis penetratiua, & de obiecto magis actuali, est actualis distinctior: minor probatur, quoniam maior difficultas est penetrare rationem entis, quam rationem hominis, cum de illa magna sit controuersia in metaphysica, de hac vero in Physica fere nulla.

Tertia ratio. ex Arist. 2. post. cap. 14. & 15. vbi tradit viam inuestigandæ definitionis conscendere debemus à minus vniuersalibus ad magis vniuersalia; ergo secundum Arist. notiora sunt cognitione distincta actuali minus vniuersalia magis vniuersalibus.

Pro secunda sententia affirmatiua ratio Prima. Illud est notius cognitione distincta actuali, quod est tale de se; illud min⁹, quod est tale per allud; sed magis vniuersalia sunt nota cognitione distincta actuale de se, minus vniuersalia sunt nota per magis vniuersalia; ergo magis vniuersalia sunt notiora cognitione distincta actuali.

Secunda ratio. Quando pauciores actualitates cognoscẽdæ sunt in aliqua re, illud est notius cognitione distincta actuali; sed in prædicatis magis vniuersalibus pauciores actualitates cognoscendæ sunt; ergo sunt notiora cognitione distincta actuali. Pro solutione.

Notandum, quod cognitio nostra dependet ex obiecto, obiecta autem dicunt rationes aliquas actuales intelligibiles pluribus communes, quoniam ad vnam intelligibi'em naturam referuntur, à qua participantur: huiusmodi ergo rationes intelligibiles cum omnes penetrantur, totum penetratur obiectũ; non possunt autem penetrari in aliqua specie infima, nisi prius penetrentur superiores gradus, ex quibus species coalescit, & quoniam superiores gradus ad sui cognitionem distinctam actualem non indigent cognitione inferiorum, inferiora indigent cognitione superiorum, ideo.

Dicendum cognitione distincta actuali notiora esse magis abstracta reliquis minus abstractis, in eadem tamen serie, nam in diuersa non est hoc necesse; patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur, quia ad actualem cognitionem graduum inferiorum puta hominis necesse est præcognoscere omnes gradus superiores; ens, substantiã, corpus, viuens, animal; nisi enim de homine omnes isti gradus intelligantur non potest homo vndequaque distincte cognosci; quia essentia hominis ex omnibus istis gradibus coalescit; non est autem distincta cognitio essentiæ vndequaque nisi penetretur in ipsa illud omne, quod pertinet, & integrat ipsius formalitatẽ; omnes autem superiores gradus formalitatem essentiæ integrant, quo ergo pluribus gradibus integratur essentia aliqua, eo difficilius cognoscitur cognitione distincta; quia ad sui cognitionem plura requirit, vnde superiores gradus, qui pauciora in sua formalitate includunt, facilius cognoscentur; quia communiter illud est notius, quod facilius cognoscitur; his accedit, quod natura saltem id notius est, quod ab alio est independens, vel certe à paucioribus dependet, id minus notum quod vel magis dependet, vel à pluribus; gradus autem superiores, & minus, & à paucioribus in sua formalitate dependent, vnde cognitione distincta notiores sunt.

Ad rationes in contrarium. Ad primam idest notius cognitione distincta actuali, quod magis penetratur quoad totam suam actualitatem; ita vt cernantur in ipso omnes eius partes actuales, non autem, quod est magis actu; illo autem modo penetrantur magis superiores gradus, quam inferiores; quia vel non habent diuersas partes actuales, vel habent pauciores, quam gradus inferiores, & illæ, quas habent, faciunt ad cognitionem distinctam inferiorum graduum; at formalitas inferiorum graduum, non facit ad cognitionem distinctam ipsorum, vnde negatur consequentia.

Ad secundam vera est maior, sed falsa minor; ad probationem dicendũ, quod id, quod penetratur actu de ente necessarium est ad perfectam, & distinctam cognitionem hominis, vnde non est facilior hominis cognitio comparata ad cognitioné entis, & superiorũ graduũ, sed videtur facilis

quia posita cognitione superiorū graduū, ex quibus coalescit, facile habetur; quare tota difficultas, quæ est in cognoscendis gradibus superioribus refunditur in cognitionem graduum inferiorum, & tota quidem collectiue, & cum aliquo addito; quia ad cognoscēdos inferiores præterquā quod penetrari debent omnes superiores, vlterius penetrari debet proxima ratio,per quā inferior gradus proximè constituitur; quare quidquid sit de cognitione gradus entis, adhuc difficilius est gradus ente inferiores cognoscere, propter ipsaminet difficultatem, quæ est in gradu entis, cum addito; solum si cōpəretur difficultas, quæ est in cognoscendo gradu entis, cum difficultate, quæ est in cognoscenda vltima differentia cōstitutiua gradus inferioris, dici potest cognitio entis difficilior quoad-hoc, absolutè tamen dici non potest, vt patet.

Ad tertiam. Respondeo dicendum, quod Arist. plures vias ostendit inueniendæ definitionis; nam alia est per demonstrationem; definitio enim accidentalis conficitur ex subiecto, & prædicato demonstrationis propter quid assumpto medio termino: alia est per compositionem descendendo à summis gradibus, & assumendo omnia prædicata, quæ conueniunt rei definiēdæ. Tertia est per resolutionem, de qua illo loco loquitur Arist. & fit à minus vniuersalibus ascendendo ad magis vniuersalia; nā spectatis ijs, quæ sunt in vltima specie. Considerandum est, in quo inter se cōueniant, tum in quo conueniant cum alijs speciebus, & in quo differāt: assumpto ergo in quo conueniunt cum alijs speciebus, & relicto in quo differunt, & simul assumpto in quo inter se conueniunt habetur definitio infimæ speciei, quod fit, vt patet, à minus vniuersalibus ascendendo ad magis vniuersalia, ex quo tamen concludi nō potest, minus vniuersalia notiora esse cognitione distincta, quia si sic essent notiora nō esset cur ascenderemus ad prædicata magis vniuersalia, vt per illa habeatur definitio speciei infimæ; sed statim species de se fieret nota.

Art. 5 Vtrum absolute prius cognoscantur à nobis magis abstracta, an minus abstracta: siue quæ sint illa ex abstractis, quæ à nobis primo cognoscuntur.

IN hac controuersia ex 2. Art. huius quæstionis patet, quæ fuerint S. Thomæ, & Scoti sententiæ cum suis fundamentis, quæ tamen non satisfecerunt nonnullis posterioribus existimātibus, nec magis vniuersalia, nec minus vniuersalia primo cognosci, sed modo hæc, modo illa.

Probant. Illud est notius, seu primo à nobis cognoscitur, quod, cum nobis offertur, de ipso prius apprehendimus: sed aliquando apprehendimus magis vniuersale, aliquando minus: Ergo neque magis vniuersale, neque minus absolute est notius, siue primum nobis cognitum: sed aliquando hoc, aliquādo illud. Maior patet. Minor probatur. Quia cum nobis offertur aliqua herba, quam nunquam alias vidimus, de ipsa prius cognoscimus gradum genericū herbæ, quam specificum talis herbæ: E cōtrario quādo nobis offertur aliquis equus, vel canis nouæ speciei, prius de ipso cognoscimus gradum equi, quam gradū animalis, vel viuentis: Ergo aliquando hoc, aliquando illud nobis notius est, & primū cognitū: Ergo vtraque sententia, quæ absolute pronunciat de magis, vel minus vniuersalibus, falsa est.

Secundo. Illud est primo cognitum, ad quod vos primo determināt species acceptæ a sensibilibus: sed hæ aliquando nos determinant ad magis vniuersalia, aliquando ad minus: Ergo aliquando magis vniuersalia, aliquando minus sunt prima cognita, & notiora nobis.

Pro solutione.

Notandum, quod omnino distinguendū est de prima cognitione, quæ in nobis generatur simpliciter, & de prima cognitione.

næ, quæ generatur in nobis ex propositione alicuius obiecti, quando iam gradus entis nobis cogniti sunt. Nam in hoc secundo casu, sicut dictum est, statim in nobis fit reminiscentia illius gradus, quem sæpius cogitamus, vel ad quem ob aliquam circunstantiam tunc magis propendemus, vt fit in alijs cogitationibus, & de hoc nõ videtur esse controuersia, cum habeamus præter rõnẽ experientiã. Difficultas est de eo, quod fit ex natura rei præciso omni alio aliunde determinante. Et in hoc adhuc nobis videtur distinguẽdum. Nam vel sermo est de prima omnino cognitione facta in intellectu per modum naturæ, vel de facta per modũ electionis; idest ex proposito cõsiderandi rem, si hoc secundum, pendet huiusmodi cognitio ex perspicacitate ingenij, & eruditione. Nam vt in solertia in nõ perspecto tẽpore solers coniectat medium aptum, ita ingeniosi & perspicaces rei alicui attendentes penetrãt in accidẽtibus, & effectis naturas secundum specificas differẽtias. Si primum illud, adhuc distinctione opus est; nam in adultis prius occurrit illud, cum quo ex notis accidentia & circunstantiæ rei habent maiorem similitudinem: Nam cum abstractio in intellectu nõ fiat nisi ex quadam collatione (secus enim intellectus apprehendit indiuiduum confusum non entis in suppositione simplici, sed entis in suppositione personali) illud vniuersale primo ĩ intellectu formabitur, cuius saltem virtualis facta est collatio ex accidentibus, & effectis sensatis. Verbi gratia in videndo nouam herbam statim formabitur conceptus herbæ, quia ad hunc determinant accidentia talis herbæ ex virtuali quadam collatione intellectus perspicientis similia accidẽtia illis, ex quibus concipere solet herbam: Eodem modo vidẽdo nouam speciem canis statim currit mens ad conceptum canis propter eãdem causam. Verum in puero, cui nihil adhuc notum est, ex occasione accidentium sensatorum, & aliarum circunstantiarum in intellectu primum formabitur conceptus habens originẽ ex intentionibus non sensatis naturaliter cõceptis per æstimatiuam, vt puta conceptus confusus entis amici, & beneuoli in vidẽdo patrem sæpius blandiẽtem: Qui conceptus ob imperfectionẽ potẽtiæ adiuuantis intellectũ, cum sit cõfusus & imperfectus applicatur omnibus hominibus. Quare in rudibus, & in pueris ex natura rei primus cõceptus vniuersalis est entis in suppositione personali, idest quatenus dicit confuse differentiam alicuius speciei ortã ex naturali conceptione alicuius intentionis non sensatæ, vt beneuoli, amici, molesti vel iucundi, terribilis, &c. in alijs primus conceptus vniuersalis rei nouæ occurrentis est ille, ad quem ex notis mouẽt sensata similia nõ sine tamen differentia confusa determinãte conceptum illum, & quasi ponente illũ in speciem, sed vt dictũ est confuse. Quare iuxta hæc absolute.

Dicendum cũ Arist. 1. post. Tex. 5 priora & notiora nobis esse, quæ sunt sensui propinquiora, magis scilicet sensata, & minus abstracta, concepta tamẽ confuse, si de primis conceptionibus sermo sit, fere ex occasione alicuius rationis non sensatæ apprehensæ ab æstimatiua. Patet ex dictis, & Confirmatur ex modo nostræ cognitionis, quæ cũ ĩ nobis fiat per sensũ, debet prius ea cõcipere quæ magis sunt sensui vicina: magis autẽ cæteris paribus vicina sũt sẽsibus, minus abstracta, ac proinde absolute hæc erunt nobis primo cognita iuxta modum

Ad primã rõnem in notando dictum.

Ad secunda. Respondeo dicendum species acceptas à sẽsibilibus, quãdo nil aliud interuenit ex dictis, determinare nos ad concipienda minus vniuersalia, non tamẽ omnino distincte, sed sub confusa conceptione talis entis corporei nobis iucũdi, vel molesti, vtilis, vel alio tali modo apprehensi, iuxta quod æstimatiua naturaliter determinare solet.

Ar. 6. vtrum in physica procedendum sit à notioribus ad minus nota, & quomodo.

DEuenimus tandẽ ad id, propter quod maxime tota præsẽs instituta est quæstio; quo scilicet modo procedendum sit in Physica à notioribus ne ad minus nota, an contra, & à quibus notioribus. Affirmatiua

sententia est communis Aristotelis hic in proœmio, & omnium interpretũ ibidem. Pro negatiua tamen aliquæ faciunt rationes.

Prima vel procedendũ est à notioribus natura, vel à notioribus nobis; neutrũ dici pōt; ergo nō est procedendũ à notioribus. Probatur minor, non à notioribus natura; quia notiora natura sunt nobis minus nota; in scientia autem cum notificari debeat ignotum, notificari non potest, nisi ex eo, quod nobis notum est, qualia non sunt notiora natura; non à notioribus nobis, quia notiores nobis sunt effectus suis causis, sciẽtia autem ex causis demonstrat effectus; quia primo. Post: scire est causam cognoscere, propter quam res est, & quod illius causa est, & non contingit aliter se habere; ergo physica, quæ non procedit neque à notioribus nobis, neque natura, non procedet ex notioribus.

Secunda ratio. si physica procedit ex notioribus siue nobis, siue natura, vel illa ex quibus procedit nota sunt per aliam scientiam, & hoc non; quia, assignari non potest ista scientia, quæ faciat nobis nota principia physicæ, vel alio modo nobis nota sunt, qui cum assignari non possit, falsum erit, quod physica procedere ex notioribus.

Pro sentẽtia affirmatiua probant hæ rationes. Prima omnis cognitio ignoti fieri in nobis nō potest nisi ex cognitione noti, sed in physica principia corporis naturalis, & alia huiusmodi nobis nota fiunt; ergo ex aliquo alio prius noto; ergo physica procedit à notis; quod autem hæc notiora sint probatur hoc pacto; & sit.

Secunda ratio. Ex doctrina de demōstratione præmissæ notiores sunt cōclusione, quia propter quod vnum quodque tale, & illud magis, sed in physica cōclusiones debent demonstrari ex aliquibus præmissis; ergo in physica procedi debet à notioribus.

Tertia ratio. processus à principijs ad conclusiones est vniuersalis, & communis omnibus scientijs; ergo, & locum habebit in physica, quæ scientia est, ergo physica procedit à notioribus. Pro solutione.

Notandum, quod nullo pacto dubitari potest, quod physica, sicut, & omnis alia sciẽtia, debet procedere à notioribus, quia hoc necessario requirit modus discurrẽdi, qui est ex noto ad ignotum, sed dubium est, à quibus notioribus procedat physica, vtrum à notioribus nobis, an à notioribus natura, & primo considerandum est, quod cũ omnis sciẽtia, & omnis discursus procedat à notis ad ignota, vel à magis noto ad minus, & in physica oportet, quod ea, à quibus procedimus sint nobis notiora reliquis, vnde in isto sensu physica procedit à notioribus nobis; sed cum nō statim quod nobis est notius, dicatur nobis notius, quatenus nobis notius contradistinguitur à notius natura, dubium est, vtrum ea, à quibus procedit physica, ita debeant esse notiora, vt notiora sint nobis in illo sensu, quo notius nobis contradistinguitur ad notius natura, an debeant esse notiora natura, nobis tamen adhuc notiora ipsis conclusionibus deducendis.

Aduertendum igitur est, quod naturale est homini procedere à cognitione confusa ad distinctam, prius enim est, quod imperfectum est, deinde quod perfectum, & cognitio confusa est quasi medium inter ignorantiam, & cognitionem distinctam; cognitione autem cōfusa ex dictis supra, & prius, & nobis notius est, quod magis est sensatũ, vnde totum substantiale nobis notius esse solet ipsius substantialibus principijs cōponentibus, & effecta ac proprietates ipsius notiores nobis sunt intrinsecis earum causis: Physica ergo via inuentionis à notioribus nobis cognitione cōfusa procedet ad notiora natura cognitione distincta, tũ à notioribus natura regredietur ad ignotiora natura, & notiora nobis cognitione confusa, minus tamen nota distincta cognitione: vnde totus processus physicæ est huiusmodi. præsupposita aliqua cognitione corporis naturalis ex effectis ipsius à nobis sensibilibus, vt est transmutatio accidentalis, & substantialis inuestigat physicus principia corporis naturalis, si nō omnis, at certè generabilis, & corruptibilis; tum inuentis dictis principijs, & bene cognito corpore naturali à nobis per notiora natura, & notiora cognitione distincta, idest per ipsa principia regreditur ad demonstrandas de ipso corpore passiones, & proprietates Quare.

Dicendũ physicam via originis procedere à notioribus nobis, & notioribus cognitione cōfusa ad notiora natura, & notiora

co-

cognitione distincta; idest procedere à toto confuso ad principia distincte cognoscenda, quæ dicuntur notiora natura; quia ab ipsis depẽdet cognitio distincta totius; rum à notioribus natura, & cognione distincta, idest à principijs, procedere ad notiora nobis, & cognitione confusa, ad ipsũ scilicet totum, & passiones eius; hæc conclusio patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur. quia antequam de corpore naturali physica demonstret vllas passiones prius cognoscere debet naturam, & quidditatem ipsius corporis naturalis; quia cognitio quod quid est subiecti est principium scientiæ propter quid passionum; sed natura corporis naturalis inuestigari non potest nisi præsupposita aliqua rudi ipsius cognitione, qua posita ex principali aliqua corporis passione nobis per sensum cognita fit nobis distinctè notum corpus naturale inuentis scilicet ipsius principijs materialibus, & formalibus: nam vt dictum est, ex distincta cognitione partium, & principiorum habetur totius distincta cognitio: inuentis porrò corporis naturalis principijs ex ipsis deinde regredimur tamquàm à notioribus natura & cognitione distincta, & nobis taliter factis cognitis, ad passiones corporis demõstrãdas; quare simpliciter Physica procedit à notioribus nobis ad notiora naturæ. Ad rationes in cõtrarium.

Ad primam dicẽdum falsam esse minorem, & Physicam simpliciter procedere à notioribus nobis, tùm à notioribus natura; ad probationẽ dicendũ Physicã incipere à notioribus nobis cognitione scilicet confusa, postea à notioribus natura factis iam notiorib⁹ nobis cognitione distincta procedere ad demõstrãdas passiones; sciẽtia autẽ non procedit ex causis, nisi inuentis, & patefactis causis, quæ patefiunt, vt plurimum à posteriori per effecta; quare scientia totalis, & vniuersim accepta non solum procedit à veris causis rei, sed etiam à causis virtualibus, & causis cognitionis, quo sensu etiam effecta dici possunt causæ, vt dictũ est in analyticis, ac proinde Physica etiam dum procedit ab effectis ad causas rei, erit vera scientia.

Ad secundam dicendum prima principia, ex quibus primo procedit Physica, nota nobis fieri vel per effecta, vel sensu, & inductione, inuentis autem principijs vniuersalibus postea à priori demonstrare: ad hoc autem propriè non indiget alia scientia; verum quidem est, quod scientiæ se inuicem iuuant, & per notitiam vnius perficitur notitia alterius; vnde in inuestigandis principijs physicis philosophus aliquãdo vr induere personã Metaphysici & ex Analogia ad compositum accidentale, & artificiale, nec non ex mutatione artificiali, patefacere mutationem substantialem, & substantiale compositum.

Obijcies Arist. simpliciter dicit procedendum sibi esse à magis vniuersalibus, & hæc vult esse notiora nobis; ergo primò falsum est minus vniuersalia esse nobis notiora, quod dictum est supra: secundo falsum est, quod Physica simpliciter non procedat à notioribus nobis, & natura. Tertio non est verum notiora natura simul nobis non esse notiora.

Respondeo dicendũ, quod Philosophus vult Physicã procedere à magis vniuersalibus, quæ sunt notiora, idest non primo cognita, sed in pluribus cognita, ac proinde nobis in hoc sensu notiora, quod nõ negauimus supra. secundo hæc respectu graduũ inferiorum (puta corpus respectu specierũ corporis) esse notiora natura, non tamen respectu principiorum, quibus constituũtur; ad quæ comparata, vt comparari hic debẽt, sunt natura, ordine scilicet generationis, posteriora, & ignotiora, ac proinde. Verũ est secundum, Physicã simpliciter nõ procedere à notioribus nobis, & natura, & vlterius tertium verum est notiora nobis non esse notiora natura, vt in hac scientia accipiuntur, puta corpus respectu suorum principiorum.

Atq; hæc sic dicta sint de tota hac prima disputatione, quam possumus (vt uno aspectu omnia videamus) paucis ita perstringere.

Summa totius disputationis.

Cum scientia sit cognitio certa, & immutabilis: humana autem cognitio cum sit ex obiecto, & de obiecto: Physica, quæ vt nomen ipsum sonat, est cognitio rerum naturalium, ex principijs rerum naturalium habebitur, & circa res naturales tamquam circa suum obiectum versabitur.

Rerum autem naturalium supremus gradus, in quo vt tales conueniunt, cum sit ratio corporis naturalis, non ens, non substantia, aut alius gradus corpore superior, qui omnes extenduntur ad res transnaturales, & metaphysicas, iure optimo subiectum attributionis Physicę erit corpus naturale, cùm primum, & supremum, quod attingit scientia passiones demonstrando de illo ex principijs eius sit illius subiectum attributionis: porrò in corpore naturali cum plures possint reperiri rationes, illa respectu huius scientię erit formalis, quæ fundabit abstractionem, & modum considerandi illius, & qua prima passio Physica demōstrabitur: hæc autem est naturale, quia natura est principium motus, ac status, à quibus Physicæ res non abstrahunt: Ratio ergo naturalis erit ratio formalis obiecti Physicę, quod obiectum cum in actu signato sit quid necessarium, & immutabile, ac perpetuum, & habeat propria principia, & causas ratas, & stabiles, quas reddat de suis passionibus, Physica, quæ circa illud versatur, erit propriè scientia, nō practica, sed speculatiua: Quia corpus naturale, vt sic, non est operabile ab homine, sed speculabile: erit vna genere, quia est de vno obiecto genere, quæ proinde diuersas sub se species continebit, quæ alijs lib. ab. 8. Phys. traduntur. nam in octo lib. Phys. indagatis à Philosopho corporis naturalis principijs, ex principijs corporis generabilis, & corruptibilis, passiones generales corporis, motus, scilicet, quantitas, locus, tempus pertractantur. Iam modus procedendi in cognitione humana, cum sit à notis ad ignota, vel à notioribus ad minus nota, & in hac scientia naturali talis erit. Vt autē sciatur, quæ magis nobis nota sūt, sciri oportet & quæ primo nota sunt. Primum ergo cognitū nobis simpliciter inter abstracta sunt minus vniuersalia, quia & magis sensata; & quia ad illa cognoscenda determinamur ab obiecti speciebus positi in debita distātia ad sensum, & sine impedimento: In casu autem, quod sit impedimentum, vel quod habitualiter iam nobis cognitum sit obiectum, primum cognitum est illud, quod possunt represētare species obiecti euanescentes, & nō dearticulantes distinctè peculiares conditiones obiecti, vel quod magis de obiecto consueuimus cōsiderare, ad quod proinde statim mens recurrit. Cognitione tamē distincta prius nobis & notiora sunt magis vniuersalia, tum minus vniuersalia in eadem serie, quæ tamen in sua distincta cognitione prædicata magis vniuersalia includunt. Sciētiæ autem si inueniendæ sunt, à minus vniuersalibus, & à sensatis procedendum est ad magis vniuersalia, & abstracta, & ab effectis ad causas ipsorum, & principia, iterūque à causis, & principijs regrediendū ad effecta & principiata. At si tradere quis velit scientiā præsertim non omnino rudibus, nec primas rerū huiusmodi notiones formantibus, debet procedere à principijs obiecti, & à magis vniuersalibus, quæ iam aliquo modo notiora sunt confusè, & debet facere illa distinctè cognita, in quo à minus vniuersalibus iuuari solet, tum per illa distinctè cognita demonstrare principiatā, & effecta. Physica ergo, quæ modo per disciplinam traditur, simpliciter à magis vniuersalibus, & principijs procedit, licet secūdum quid procedat à minus vniuersalibus, quatenus per transmutationem & motum in cognitione principiorum suorum melius dirigitur.

Dispu-

DISPVTATIO SECVNDA.

De principijs obiecti Phylosophiæ Naturalis, quæ dicitur Physica.

INuento obiecto Physicæ, & modo procedendi ipsius, antiquam accedamus ad cõtemplandam vllam eius passionem, prius inuestiganda sunt ipsius principia; Physica autẽ præciso intellectu humano, cuius est scientia, qui proinde ipsius principium est effectiuum, materiale, & fere finale, non habet alia principia, quam quæ habet ipsius obiectum; quare quærere de principijs Physicæ est quærere de principijs obiecti ipsius, quod est ex dictis corpus naturale; porro corporis naturalis alia sunt principia intrinseca, alia extrinseca, alia in fieri, alia in facto esse, prius autem quærendum erit de principijs intrinsecis in fieri; & facto esse, tum de extrinsecis; de principijs intrinsecis (relicta naturæ consideratione in sequẽtem) præsens disputatio est, de natura, & extrinsecis erunt sequentes, & primo quidem agemus de principijs in vniuersum, tum de singulis speciatim, quare constabit hæc disputatio quatuor quæstionibus. Prima erit de principijs in communi. Secunda de principio materiali, seu de materia prima. Tertia de priuatione. Quarta de forma.

Inuocatio.

O Principium, in quo creata sunt omnia, doce nos, quæ Inuestigamus de principijs. Vnde enim totum, quod est, nisi ex hoc principio? Vt proinde arescant fluẽta nostra, si istinc noster desinat emanare fons. Illustra ergo faciem tuam super seruos tuos, & doce nos operum tuorum mirabilia. Quid sunt ergo, quæ dicuntur naturalium rerum, principia? Quid informe illud generationũ seminarium, Quod prope nihil, & in quo semina omnium? quod latens semper, & nouis semper generationibus manifestum? informis ex se potestas, & nuda potentia, cum tamen corruptibilium sine eo actu sit nihil? Existẽria prope non ens, quia actualitate deformiter priuatum, & potentia semper nõ actu, solumque per formam actus? Quid inquã ista hyle inanis, & vacua, creata à te, & distans plusquam cætera omnia à te, & facta prope nihil, vt materialia esset omnia, & ideo omnia, quia illorum nihil in se. Quo datur intelligi creaturę tuæ rationali, quam doces, loquens in factura tua, non posse diuina tua habere à te, qui non sit sibi nihil in se, sibi inquam penitus deficiens, & funditus vilescens, vacuus existimationis, & affectionis suæ, & plenus tuæ, capax tuicum sui vacuus, & tibi preciosus, cum sibi vilis, qui formas deformitatem nostram melius, quam materiæ inanitatem pulchritudo illa, & actus, quam dicimus formam: Doce ergo insipientiam nostram in tam implicato itinere, vt veritatis vestigijs insistere possimus, ac proinde, & tibi placere, qui amas veritatem, quia ipse solus verax es, & veritas ex te nesciens falsitatem.

Quæstio prima de principijs in communi.

ET si agere de principijs in communi munus Metaphysicæ est, tamen quia hoc maxime iuuat cognitionē principiorum rerum naturalium; ideo antequam de numero, & conditione principiorum rerū naturalium agamus, nonnulla de principijs in communi decidenda sunt, videndumque de multiplicitate principiorum, de ratione principij, de distinctione principij à causa, & elemento, tum quot sint principia rerum naturalium, & quæ illa sint, post quæ speciatim quatenus de singulis. sit ergo.

Art. 1 Vtrum principium sit multiplex.

VT ex ipso disputationis principio habeatur aliqua distincta notitia de multiplici principij notione, quærimus vtrum multiplex sit principiū, & sanè quod multiplex non sit probare videntur hæ rationes.

1. Principium illud est, ante quod non est aliud, sed ipsū est cæterorum primum; at hoc debet esse vnum; ergo non est multiplex. probatur minor, quia si esset multiplex, vel unum esset ante aliud, & sic primum solum esset principium; vel vnum nō esset ante aliud, & sic nullum esset primū, ac proinde nec principium.

Secunda ratio. Natura abhorret à confusione; sed in natura nisi deueniatur ad vnum primum, admittetur confusio; ergo deueniendum est ad vnum, quod sit primum principium; non sunt ergo plura principia.

Tertia ratio. Quod potest facere æque bene per vnum, nunquam facit natura per plura; sed æque natura facit omnia per vnum principium; ergo non erunt ponenda plura.

In contrarium tamen pro sententia affirmatiua, quæ est cōmunis sunt hæ rationis.

1. Alia sunt principia rerum intrinseca, alia extrinseca, ergò nōn est vnum solum, sed sunt plura principia.

Secunda ratio. Si vnum tantū esset principium, vnum tantum esset principiatum; sed principiata sunt multa, vt patet; ergo & principiū, sequela maioris probatur; nā vel hoc principium est intrinsecum, vel extrinsecum; si intrinsecum, cū nullum aliud sit principium, cum quo componat, omne principatum erit vnum; si extinsecum, vel diuersificatur quoad rationem principiandi, per principiū aliquod intrinsecum, vel nō, si non, eodem semper modo principiabit, & sic vnum erit principiatum, si sic dabuntur plura principia; ergo multiplex est principium. Pro solutione.

Notandum, quod cum quæritur vtrum vnum sit principiū, hoc non quæritur præcisè in rebus naturalibus, vel in hoc, aut illo genere rerum, sed vniuersalissimè, & accepto principio in tota sua latitudine, quo pacto acceptū principiū certū est non vnum esse, sed multiplex, nam vt dicebā, alia sunt in rebus principia intrinseca, alia extrinseca, principium extrinsecum adhuc est multiplex, nam aliud est, quod influit esse in principiatum, & dici potest principium causalitatis, vel originis, quomodo omnis causa efficiens dici potest principiū sui effectus, finis quoque ad suos effectus comparatus aliquo modo tale principium dici potest: aliud est, quod non influit esse in principiatum, cum illo tamen habet cōnexionem, vel consecutionis, quomodo aurora est principium diei, vel dependentiæ, quomodo cognitio sensitiua est principium intellectiuæ, & obiectum etiam terminatiuum est principiū cognitionis, apprehensio boni est principium amoris; iam principium intrinsecum etiam multiplex est, nam vel est principium ordinis, quomodo vnitas est principium numeri consequētis, vel est essentiæ, & quidditatis, quomodo priuatio est principium mutationis, cum ingrediatur essentiam, & quidditatē mutationis, punctum est principium lineæ finitæ, quia definiri non potest linea sine puncto, vnde in Analyticis pūctum dicitur de substantia lineæ, genus & differentia sunt principia speciei, ex quibus species constituitur; vel est principium intrinsecæ, & Physicæ compositionis, quo pacto materia, & forma componūt omnia saltem sub

lunaria;

lunaria; partes integrantes componunt totum; & hæc, quæ dicta sũt, dicũtur de principijs saltem particularibus. nam si ascendamus ad summum, & primum principiũ vniuersalissimum rerum omniũ creatarũ, quod est Deus, certum est hoc esse vnum tantum rerum omnium vt §.l. videbimus, sed cum quæritur vtrum principiũ sit multiplex late accipitur principium, & prout abstrahit à creatis, & increatis, ab intrinsecis, & extrinsecis. Quare.

Dicendum principium esse multiplex, patet rationibus secundæ sententiæ, & ex dictis modo confirmatur, quia principia rebus extrinseca, & intrinseca nõ possunt esse vnum, cum quasi contradictorie opponantur; principium influens esse, & principium non influens esse, nõ potest esse vnũ; vnde necessario multiplex est principium; vniuersaliter autem, relictis principijs cõplexis, quæ sunt principia cognitionis, de quibus alias; dicere possumus omne principium vel esse extrinsecũ, vel intrinsecũ, extrinsecum vel esse per influxum, vel per coniunctionẽ, & per connexionẽ ex natura rei, quo pacto Philosophus descripsit principium in poetica dicens. Principium illud esse dicimus, quod nõ necessario post aliud est, & post ipsum aliquid esse, vel fieri natum est, vel demum dicere possumus principium extrinsecum esse per consecutionem, & successionem, siue sit ex natura rei, siue ad libitum, & hæc de principio extrinseco; si vero principium sit intrinsecum vel est originis cum influxu sine dependẽtia causalitatis, & compositione, vel est compositionis cum causalitate, & dependentia proprie accepta, vel demum est principium essentialis constitutionis, & ad hæc capita videntur fere reuocari omnia principiorum genera.

Ad rationes in contrarium. Ad 1. Respõdeo dicẽdum, quod maior potest esse vera de principio accepto pro primo principio rerum omnium, quod est Deus, non vero potest esse vera de principio accepto in tota sua latitudine, quomodo accepimus in conclusione, & in sensu primo procedit, & vera est etiam minor, & eius probatio, cum falsæ sint in sensu secundo.

Ad secũdam. Respondeo dicendũ, quod natura satis euitat confusionem per determinata principia in vno quoque genere; vnde non est deueniendum ad vnum simpliciter in vno quoque genere particulari, sed satis est si in communi, & vniuersaliter deueniatur ad vnum primum principium vniuersalissimum rerum omnium, quod est Deus.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod natura si sermo sit de principijs intrinsecis, & de extrinsecis particularibus, non æque bene, immo simpliciter non potest facere omnia per vnum, & si faceret omnia simpliciter per vnum non multiplicarentur res naturales. Quare negatur consequentia.

Obijcies. Omnia principia intrinsecea, vel essentiæ, vel compositionis sunt principia per influxum; ergo male positum est principium per influxum solum principium extrinsecum causatiuum, vel intrinsecum per originem.

Respõdeo nego antecedens, & aduertendum est, quod aliqui valde impropriè accipiunt principium per influxum dicentes priuationem esse principium per influxum mutationis, quia mutatio essentialiter constituitur ex priuatione, subiecto, & forma; nam esse principum per influxum non est proprie ingredi principiatum, vt ipsum componens; sed principiatum, vt quid à se distinctũ ponere in esse; influxus enim ex sua notione dicere videtur motum quendam, seu potius processionem influentis in productum, seu in effectum, quo effectũ accipiat esse.

Art. 2. vtrum principium differat à causa, & elemento.

Cum habeat principium cum causa, & elemento affinitatem: nam principium principiati videtur esse causa, & si principiatum compositum sit, videtur principium dici posse eius elementum; ideo inuestigandum est sint ne idem, an potius inter se distinguantur; & sententia quidem affirmatiua, quod principium differat a causa, & elemẽto vera, & communis est, vt postea patebit. Contra eam tamen pro parte negatiua sunt hæ rationes.

Prima principiũ in sua latitudine acceptum comprehendit solũ causam, & elemẽta: ergo

ergo ab illis non differt; probatur antecedens ex Arist. 4. Met. cap. 2. Vbi vult ita comparari inter se causam, & principium, sicut ens, & vnum, & 5. Met. cap. 1. dixit causas tot modis dici, quod principia concludens omnes enim causæ principia sunt.

Secunda ratio. Quidquid aliquo modo principiat, aliquo modo est causa, & elementum principiati: ergo principiũ, causa, & elementum non differunt.

Tertia ratio. Græci Patres non negant Patrem æternum esse causam filij, & Patrem & filium Spiritus Sancti; sed si principium differret à causa, maxime quia principium dici possit in diuinis, non causa; ergo principium non differt à causa. Maior patet ex D. Basilio contra Eunomium lib. 3. & D. Gregorio Nazianzeno qui Patrem appellant causam diuinitatis, ex Athanasio in actis Nicenæ Synodi, ex Damasceno libro primo de fid. Orthod. cap. 8. & 11. & ex Chrysostomo, Theodoreto, & alijs.

Pro sententia affirmatiua est, quod elementum dicitur tantum de causis intrinsecis; causa dicitur solum de principio influente esse cum dependentia; sed his omnibus modis principium latius patet: ergo principium differt à causa, & elemento.

Pro solutione.

Notandum, quod aliqui inter causam & principium vt sic, varia discrimina assignant; & Primum quidem, quod omnis causa est distinctæ essentiæ numero ab effectu: Secundum, quod omnis causa est ens reale, non item omne principium: Tertium quod omnis causa dat esse ei, cuius est causa, non item omne principium ei, quod est a principio, vt patet in aurora respectu diei: Quartum, quod omnis causa habet effectum a se dependentem, illoque est prior natura, ac proinde essentia, & virtute ab eo distinguitur; vbi enim est eadem numero virtus non potest esse propria dependentia, & vbi est diuersa virtus est diuersa essentia, quod non euenit in omni principio; nam Pater in diuinis dat esse filio, & tamen non est prior illo natura, neque filius ab ipso dependet dependentia explicata, quæ discrimina satis congruenter assignata videntur; nam considerandum est, quod causa siue sit efficiens, siue formalis, vel materialis, siue sit finalis semper dicit diuersam numero essentiam; nam licet forma dicatur quidquid erat rei ab Aristotile, non est tamen simpliciter essentia, sed id à quo præcipuè est essentia; finis etiam vt plurimum numerica essentia differt: nam quando sanitas mouet ægrotum ordinariè non illum mouet hæc particularis sanitas, quæ vt talis particularis non est cognita, sed indefinitè: quare si prima conditio causæ in aliquo fallit, fallit in fine, & idea, in cœteris videtur esse perpetua; Secunda item perpetua & vera est, quoniam causa aliquo modo debet dare esse, esse autem dare non potest, quod esse non habet, at principium cum aliquando sit id, à quo vt à termino extrinseco est principiatum, nihil repugnat si esse reale non dicat, saltem in suo formali; Tertium etiam discrimen bene assignatum est; quoniam quæcunque connexiô, siue ordinis siue consequutionis cum aliqua prioritate sufficit ad principium, quod proinde propter hoc non est dicendum dare esse principiato; at omnis causa debet in suo genere dare esse effectui, & causare causatum. Quartum discrimen, quod ab aliquibus impugnatur, est etiam conueniens, quia propria dependentia est, vbi esse, quod alteri communicatur, est distinctum; neque enim si idem esse alteri communicetur est propria dependentia; quia id, quod alter accipit, non est dependens ab esse alterius, cum in altero idem sit; neque est posterioritas naturæ, quia prioritas & posteriotitas naturæ non est sine dependentia, dependentia non est sine distinctione esse traditi, quæ omnia vt patet locum habent in causa, & causato; quia causarũ propria depẽdentia à sua causa dependet, & causa illo propriè natura prior est; at nõ habent locum in principio accepto in tota sua communitate, & latitudine; quia in diuinis inter principium, qualis est Pater respectu filij, & ens à principio, qualis est filius respectu patris, non est proprie dependentia; quia Pater non dat filio

lio distinctam essentiam ab illa essentia diuina, quam ipse habet, cum communicet filio eandem numero naturam, quam habet in se; vnde diuina natura, vt est in filio non est ens dependens, sed neque filius est ens dependens; quia licet à patre distinguatur, & ab eo habeat esse, non accipit tamen ab illo esse proprie dependens, vnde nec dici solet principiatum, sed ens à principio, quia in nomine principiati includi videtur huiusmodi dependentia, & posterioritas naturæ; quam secum defert passiua quodammodo dependentia, sicut actiua dependentia secum defert prioritatem naturæ; sed in Deo cognoscimus solum originem.

Quare.

Dcendum principium distingui à causa, & elemento, vt illud, quod magis latè patet ab eo, quod min⁹ late patet; vnde oē elementum est causa, omnis causa principium, non è conuerso; patet conclusio ex modo dictis, & ratione secundæ sententiæ. confirmatur; quia hac de causa Patres Latini, & præsertim D.Thom.1.par.quæst.33.art.1. In 1.dist. 29.art.1. & alibi. in diuinis vtuntur nomine principij, & nomine principij vtendum esse docent, non causæ; at si idem esset principium, & causa vtroque nomine promiscuè vel æquè benè liceret, quod autem neque elementum sit idem, quod principium, immo adhuc minus latè pateat, quàm causa ex eo manifestum est, quod elementum solum dicitur de causa componente; vnde restringi videtur ad causam intrinsecam componentem, qualis est materialis, & formalis, & ferè solum dici videtur de causa materiali.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod licet principium comprehendat, & causā, & elementum; causa tamen, vel elementum non comprehendit principium; immò neque æque latè patet ac principium, quare negatur consequentia. Ad primum locum Aristotelis respondeo dicendum, quod aliquando Philosophus latissimè accipit nomen causæ, & populariter; Vulgus enim omne principium causam appellare consueuit, & tunc nomina causæ, & principij apud ipsum sunt Synonima, in quo casu, & accepisse videtur hæc nomina aliquādo hic primo Phys. vt tex.48. in quo, quæ prius vocauerat elementa, & deinde principia, in fine appellat causas: hoc tamen apud Arist. non est perpetuum, nam lib. 5. de generat. animal. cap. 7. de principio ait, hoc enim est principium esse, vt ipsum quidem causa sit multorum, sed ipsius nulla sit superior causa; quod non est de ratione causæ, tàm enim causa potest esse si habeat superiorem causam, quàm si non habeat. Ad secundum locum placet responsio Suarez. quod illa negatiua ita sit intelligenda; vt nihil aliud dicere velit Aristotiles, quàm quod non pluribus modis dicitur causa, quàm principium, vt patet ex ratione, quam de hoc affert, quod scilicet omnes causæ sint principia, quæ ratio solum probat illam propositionem negatiuam.

Ad secundam respondeo dicendum, quod non quicquid principiat dici potest causa, vel elementum principiati, vt patet, non solum in diuinis, sed etiam in naturalibus; nam aurora est principium diei, nec tamen bene dici potest causa, vel elementum diei.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod apud Græcos nomen causæ, quod est etiæ, non habet eam vim, vt etiam aduertit D. Thom. quæst.10. de poten. art. 1. quam habet apud Latinos, latino enim nomini causæ respondet effectus, qui proprie, dicit dependentiam, posterioritatem, &c. nomini vero Etiæ respondet ab alio procedens, quod non inuoluit propriam dependentiam ab eo, à quo procedit.

Obijcies. D.August. lib 83. qu. 16. li. 7. de Trinit. cap. 1. dicit Deum esse causam sempiternam suæ sempiternæ sapientiæ; & 2. loco de patre sic loquitur, quæ est causa illi, vt sit, est causa, vt sapiens sit. D. Hierony. in epist. ad Ephes. cap. 3. ait quod Pater sui origo est, suæque causa substantiæ; ergo Patres Latini, nam August. & Hierony.

Latini fuerunt, vtuntur nomine causæ æquè latè, ac nomine principij.

Respondeo dicendum, quod illæ auctoritates accipiendæ sunt in sensu negatiuo, quasi dixerint hi Patres non esse Patri Æterno aliam causam, vt sit, vel sapiens sit, præter ipsum met, ac proinde non habere causam.

Art. 3. vtrum detur vna ratio principij in communi, & illa vniuoca, vel analoga sit.

Sententia affirmatiua, quòd sit vna ratio principij saltē per analogiam est Suarez disput. 12. in Met. sectio. 1. & Interpretum Peripatheticorum 5. met. cap. 1. sonsi. ibidem quæst. 5. & Conninb. 1. Phys. cap. 5. quæst. 1. In contrarium tamen sunt hæ rationes.

Prima Enti, & nō enti nihil dari potest cōmune; sed si daretur vna ratio principij in communi daretur aliquid commune enti, & non enti; ergo non datur; maior patet; quia non datur medium inter contradictoria, quæ sunt ens & non ens; minor probatur, quia inter pricipia communiter ab omnibus cum Arist. enumeratur priuatio; sed priuatio non est ens; ergo si priuationi, & alijs principijs daretur vna communis ratio principij, daretur aliquid cōmune enti, & non enti, quod est impossibile.

Secundo ratio. Si datur vna ratio communis omnibus principijs vel hæc est positiua, vel negatiua; neutrum dici potest; ergo non datur; maior patet, quia non datur medium; minor probatur, quia si dicatur esse negatiua, non conueniet principijs positiuis, si positiua, non conueniet negatiuis; non ergo datur vna ratio communis omnibus principijs.

Sed iam pro contraria sententia affirmatiua sit prima ratio. si omnibus principijs in communi non daretur vna ratio principiorum in communi definiri non posset; sed definitur, vt manifestum est; ergo datur vna ratio.

Secunda. De omnibus principijs scimus, quod aliquomodò sunt priora principiatō, & quod ex ipsis sunt principiata: sed hæc non sciremus nisi in hoc omnia principia conuenirent, ac proinde haberent rationem aliquomodo communem; ego datur vna ratio communis omnibus principijs.

Pro solutione.

Notandū, quod in præsenti facit difficultatem, vt tactū est, priuatio, quæ cum ponatur rerum naturalium principium, vt videbimus infra, debet participare aliquā rationem principij; ex alia tamen parte priuatio videtur esse nō ens; quoniam priuatio formaliter dicit negationem, ac proinde non posse fundare vnam rationem communem cum cæteris principijs. Considerandum igitur est, quod priuatio non est purum non ens, neq; etiam formaliter accepta, quia in sua formalitate dicit aliquam positiuam aptitudinem; cæcitas enim est quædam negatio visus, sed in subiecto apto; vnde priuatio, ex qua sunt res naturales, non potest dici simpliciter non ens, & nihil; quoniam ex communi axiomate Arist. & antiquorum Philosophorū ex nihilo nihil fit; vnde si priuatio esset purum non ens, frustra enumeraretur inter principia rerum naturalium. Adde quod calidum verbi gratia, quod idem dicendū de omnibus alijs proportionaliter, non fit ex non calido simpliciter, sed ex tali non calido, apto scilicet; quæ cum ita sint priuatio saltem inadæquatè in sua ratione dicet ens, & aliquid positiuum; vnde si dicamus dari vnam rationem principiandi cōmunem priuationi, & alijs principijs, non statim sequetur dicendum dari aliquid cōmune enti, & non enti. Vlterius considerandum est, quod intellectus noster potest sub ratione positiua intelligere aliquid negatiuum, quatenus scilicet talis ratio positiua stat pro negatiuo, quod negatiuum rationem proprie non habet; vnde est, cum intelligimus priuationem tanquam principium rerum naturalium, vt intelligamus illam sub ratione positiua, quæ non est illi adæquata, & propria, sed stat pro eius notione; quare ratio per intellectū poterit esse positiua, & res intellecta negatiua; in proposito ergo duplici de causa dari potest vna ratio cōmunis omnib⁹ principijs,

& pri-

& priuationi, primo quidem quia priuatio non est purum non ens, ac proinde, qua ratione est, quid positiuum cum alijs positiuis conuenire potest, principiat autem non minus ratione positiui, quàm negatiui, immo ex vtroq; fit vnum, nec seiungi illa possunt, quin destruatur ratio priuationis, & eius modus principiandi: secundum quia etiá si priuatio dicat quid negatiuum, & per negatiuum principiet, tamen illud concipi potest sub positiuo, vnde ratio positiua principiandi erit communis etiam priuationi, non propriè, & quidditatiuè, sed quatenus stat pro negatiuo, quod priuatio importat? Quare.

Dicendum dari vnam communem rationem principij omnibus principijs. patet ex modo dictis, & confirmatur rationibus secundæ sententiæ; si autem quæratur vtrum hæc ratio sit vniuoca, vel analoga, dicendum est esse analogam; quoniam siue spectentur res, quæ dicuntur principia, quod est accipere principia in suo materiali, non solum differunt inter se, sed aliquãdo sunt primo diuersæ, siue accipiantur in formali etiam secundum modum principiandi, non eundem modum principiandi dicunt, sed solum proportionaliter eundem; nam quod aliqui reperiunt aliam quandam analogiam in principijs, nõ quidem analogiam attributionis, sed quam dicunt absolutam, est prorsus nouum, & fictitiuũ; quæ enim est ista analogia absoluta, quæ nõ sit vel proportionis, vel attributionis, vel mixta ex vtraq; nam esse absolutã nõ facit ipsam contradistingui à dictis analogijs, neq; enim analogia proportionis est propriè relatiua, licet explicetur nomine relatiuo, & significet relationem, seu potius dicat rationem, quæ fundat relationes proportionis, seu proportionalitatis. Ad rationes in cõtrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod enti, & non enti puro nihil dari potest cõmune; at non enti, quod includat ens, & non sit purum non ens, potest dari aliquid commune cum ente, hoc autem accidit in casu nostro; præterea enti, & non enti nihil dari commune, primò intentionaliter, verum est, nihil dari commune, secundò intentionaliter, falsum est, nã potest intellectus formare conceptum, qui stet ipsi pro ente, & non ente, præsertim pro non ente tali, sicut possumus imponere vnam vocẽ ad vtrũq; sub vna certa ratione significãdũ; hoc autem non est dari aliquid commune contradictorijs; quia per hoc contradictoria non habent quid commune, vt contradictoria sunt, & primo intentionaliter accepta, sed tantum habent aliquid commune secundo intentionaliter, & quasi in actu signato; quod non repugnat contradictioni, quod patet ex hoc, quod vtraq; pars contradictionis potest esse in intellectu, vtraq; pars potest esse enunciatio, potest esse vera, vel falsa, quod est habere aliquid commune secundo intentionaliter, & in actu signato.

Ad secundam respondeo dicendum rationem communem omnibus principijs in intellectu esse positiuam; stare tamen pro positiuo, & negatiuo, sicut ens rationis nõnunquã stat pro negatiuo, cum tamẽ formetur per modũ positiui; Itaq; ratio principij in nostro intellectu, quatenus stat pro puro formali priuationis, est positiua, sed rationis: eadem ratio est positiua realis, quatenus stat pro reali cæterorũ principiorũ.

Obijcies. Si priuatio potest fundare vnã rationem positiuam principij cum alijs principijs, quia dicat aliquo modo rationem positiuam, ergo priuatio non distinguetur ab alijs principijs; probatur consequentia, quia eatenus priuatio dicit rationem positiuam, quatenus est idem cũ materia; ergo non erit distinctum principium à materia.

Respondeo dicendum, quod ad hoc, vt priuatio sit distinctum principiũ ab alijs, etiam quoad positiuum, quod dicit, sufficit, vt illud dicat sub alia formalitate, sub qua illud non dicunt cætera principia, quare in forma negatur consequentia. ad probationem Dicendum priuationem eatenus dicere aliquid positiuum, quatenus est idem cum materia, adde, et cum dispositionibus realiter, non quatenus est idẽ formaliter; nam semper dicit idem reale sub diuersa formalitate.

Art.

Art. 4. vtrum ratio principij communissima sit esse primum id, vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.

Sententia affirmatiua est cõmunis Aristotelis, & interpretum peripateticorum 5 met. cap 1. quam ibidem bene explicat fons. quest. 1. sect. 2. & Suarez disp. 12. in meta. sect. 1. Pro contraria sententia negatiua sit prima Ratio.

Dãtur principia appetitionis, & operationis; sed hæc ad nulla ex dictis reuocantur; ergo principij ratio in tota sua latitudine accepti non potest esse id, unde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.

Secunda ratio. In diuinis Pater est principium filij; sed nulla diuina Hypostasis est prior altera; ergo male in definitione principij ponitur primum.

Tertia ratio. Opposita cognoscuntur per sua opposita, vt Pater per filium, Deus per creaturas; sed absurdum est dicere creaturas esse principium Dei, filium Patris, frigidum calidi; ergo id vnde aliquid cognoscitur, non est principium.

Pro sententia affirmatiua cõtraria, Primum est auctoritas Philosophi 5. met. cap. 1. vbi dicit principium est primum id, vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur.

Secunda. In definitione dicta cõprehenduntur omnia principia cuiuscumq; tandem generis sint; ergo bene per illa principium in tota sua latitudine explicatum est.

Pro solutione.

Notandum, quod cum principium latissime pateat, non bene explicari potuit, nisi per terminos, qui latissimè accipiãtur; huiusmodi autem sunt illi, qui positi sunt in prædicta definitione; nam particula (primum) dicit omnem rationem prioritatis, siue sit naturæ, siue causalitatis, siue ordinis, siue originis, siue quæcumq; sit, particula (vnde) latissimè pariter accipi debet, vt omnem modum consequutionis indicet, & æquiualeat his particulis, post quod, à quo, ex quo, per quod imitatione cuius, propter quod, & similibus: dicitur (aliquid) quæ vox sumenda est quoq; quàm latissime, vt entia, & non entia comprehendat, saltem talia non entia, quale est corruptio; sic enim non ens potest esse principiatum, sicut & potest esse principium, vt patet de priuatione, Adduntur tres particulæ, vt comprehendantur omnia genera entium, tam successiuorum, quàm permanentium; tam realium, qua rationis; tàm in fieri, quàm in facto esse; quidquid enim est ab alio, vt à principio, vel est per propriam causalitatem, & dicitur fieri; vel est sine propria causalitate, siue deinde sit per consequutionem, siue per originem, siue quocumq; alio modo, & dicitur esse à principio: vel demum nullum aliud esse habet, quam cognitionis, & ponitur, vnde cognoscitur; breuius ista omnia comprehensus est D. Thomas 1. parte quest. 33. art. 1. dicens principiũ nihil aliud significat, quàm id, à quo aliquid procedit; nam considerandum est, quod id, à quo aliud quocumq; modo procedit, siue per originem, siue per causalitatem, siue per naturalem consequtionem, siue per naturalem ordinem, siue alio modo, dicitur eius rei principium, quæ ad ipsum consequitur, siue ab ipso emanat, siue fit, siue ex ipso cognoscitur.

Quare.

Dicendũ principij communissimè sumpti rationem commode explicari per allatam definitionem, principium est primum id, vnde aliquid aut est, aut fit, aut cognoscitur; patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur; quia ratio principij vniuersalius explicari non potest, si autem sumatur pressius non comprehendit omne principium; ergo allata definitione bene explicat est.

Ad

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum appetitionis principium esse bonum cognitum, & quoniam ex bono cognito est appetitio, ideo sufficienter ratio principiandi appetitionem saluatur in particula, vnde aliquid est, in quo etiam saluatur ratio principij operationis; operatio enim est ab operante, quæ etiam aliquo modo saluari potest in secunda particula, vnde aliquid fit, quia operatio fit ab operante; quamquam propriè operatio non fit, sed est id, quo fit opus; propriè tamen operatio ab operante habet esse; vnde ab eo esse dicitur; quare in forma ad argumentum negatur minor, & consequentia.

Ad secundam respondeo dicendum, quod non temere admittenda est prioritatis inter diuinas personas, vnde aliquando S. P. videntur inter illas negare omnem prioritatem, & posterioritatem; & sic in symbolo Athanasij habemus illa verba, Et in hac Trinitate nihil prius, aut posterius &c. tamen aduertendum est, quod diuinis personis solum repugnat illa prioritas, quæ infert posterioritatem, quæ inuoluit aliquam imperfectionẽ, qualis est prioritas, & posterioritas naturæ, durationis, perfectionis &c. si qua tamẽ est prioritas, quæ non infert talem posterioritatem, hæc in diuinis personis non repugnabit, talis autem est prioritas, & posterioritas originis, qua vna persona prior est alia origine, in qua prioritate, & posterioritate fundari videtur ille modus loquendi in Ecclesia, Pater est prima Persona santissimæ Trinitatis, filius secunda, spiritus sanctus tertia; & hoc pacto vna hypostasis diuina dici potest prior alia, sicut multi scolastici admittunt, Scotus in 1. dist. 12. quest. 2. & distin. 28. quest. 3. Arim. in 1. distin. 9. quest. 1. Gabriel ibid. quest. 3. Suarez disp. 12. in met. sect. 1. Fonseca lib. 5. met. cap. 1. quæst. 2. sect. 2 quare in forma ad argumentum negatur minor, & ex ea consequentia; nam eo modo, quo vna diuina Persona est principium alterius, ea quoq; ratione dici potest illa prior.

Ad tertiam respondeo Dicendum; quod non est absurdum, contrarium esse principium cognitionis contrarij, creaturas cognitionis Dei in nobis scilicet, qui ex sensatis, & materiaribus procedimus ad abstracta, & spiritualia; filius tamen non dicitur principium cognitionis Patris. Quia in cognitione Patris filius est vt terminus, terminus autem non est principium; sed ad argumentum in forma conceditur maior, & distinguitur minor, quæ si accipiatur in sensu dicto nullum continet absurdum; absurdum autem continet, si accipiatur, vt sonant verba.

Obijcies. Præmissæ sunt principium conclusionis, & tamen aliquando simul sunt cum conclusione, vt dictum est in lib. prior. ergo de ratione principij non est prioritas. respondeo dicendum, quod obiectio solum procedit de prioritate temporis: supra autem diximus prioritatem, quam principium dicit, in sua ratione, abstraere à prioritatem temporis, naturæ, consecutionis, originis &c. quare prioritas sic vniuersaliter accepta, vna cum aliqua connexione, & consecutione est de ratione principij, nec vna sufficit sine altera; nam Alex. Mag. prior fuit Cæsare, nec tamen dici potest eius principium, quia Cæsar cum Alexandro non habet connexionem, nec ad illum, vt ad quid se prius ex natura rei sibi connexũ consequitur; dicit ergo principiũ prioritatẽ, & connexionem; abstrahit vero à distinctione essentiali, seu numericæ essentiæ, ab influxu, & potest conuenire enti, & non enti, non absolute, & simpliciter, vt est nihil, sed tali non enti, quod aliquam rationem entis participat, qualis est priuatio.

Ar. 5. Vtrum principia rerum naturalium bene definita sint ab Arist. Principia sunt quæ neque ex alterutris, neque ex alijs, sed ex his sunt omnia.

SEntentia affirmatiua est communis. Pro negatiua tamen non desunt rationes.

Prima. Illa non est bona definitio, quæ continet aliquid falsum, huiusmodi est prædicta; ergo non est bona; minor probatur, quia falsum est principia nō fieri ex alterutris; nā forma fit ex materia, vt ex subiecto, & ex priuatione, vt ex termino à quo; falsa etiam est vltima particula, quod ex his sint omnia; nam cœlum non est ex materia prima, neque ex priuatione.

Secunda ratio. Dicta definitio conuenit alij à definito; ergo non est bona; patet cōsequentia; antecedens probatur; quia conuenit Deo, ex quo sunt omnia, conuenit cœlo respectu inferiorum, & sublunarium.

Pro cōtraria sētentia affirmatiua. Primū est cōmunis cōsensus Peripateticorum, qui dictam definitionem, vt bonam admittunt. Secundo etiam est ratio: Nam hæc est natura principij ex dictis supra, vt sit primū, & ex ipso pernaturalē consecutionē, & cōnexionem fit principiatum, sed hæ duæ rationes explicantur in prædicta definitione cum quadam restrictione ad subiectam materiam; ergo est bona definitio.

Pro solutione.

Notandum quod ex Arist. 7. Met. tex. 26. & alijs Peripateticis id communiter tantū dicitur simpliciter fieri, quod simpliciter est, hoc autem est solum compositum; nam licet reuera aliquæ partes compositi accipiant esse de nouo, vt forma cum producitur; quia tamē accipit esse in ordine ad compositum; quia agēs in materia producit formā, vt faciat compositum, puta ignis producit ex subiecta materia ligni formam ignis, vt aliquem ignem generet; id circo forma non dicitur propriè fieri, aut produci, sed quasi confieri, & comproduci; fieri autem, & produci dicitur simpliciter compositum; quod confirmat Arist. 1. Physicorū. tex. 64. dicens. Quare manifestū ex dictis est, quod omne, quod fit, semper est compositum; qua propter in omni generatione substātiali duplex distinguendus est terminus, vnus est terminus adæquatus, & totalis, alter inadæquatus, qui etiam dici solet terminus formalis, terminus adæquatus, & totalis est compositum, puta equus de nouo productus, terminus formalis, & precisus est id tātum, quod præcisè de nouo fit per talem productionē, videlicet forma equi; quia materia cū præsupponatur generationi equi non potest de nouo fieri; ex his ergo fit manifestū, de principijs proptiè dici nō posse quod fiant, siue ex alijs, siue ex alterutris; attamen quia vt dicebamus, quod accipit esse de nouo, aliqua ratione potest dici fieri idcircò considerandum est, quo pacto principia dicātur nō fieri, neque ex alterutris, neque ex alijs, sed ex ipsis omnia esse. aliqui Peripatetici, vt Simplicius, Philoponus, & alij super tex. 42. dicunt 1. & 2 loco particulā, ex, significare partem cōponentem, Tertio loco sumi vt significet tum partem componentem, tum terminum à quo; sed contra hanc expositionē est. quod æquiuocaret Arist. in illis paucis verbis; quia non eodē modo acciperet dictam particulam; alij ergo, vt Ægidius, & Conimbr. volunt vbique particulā, ex, significare tum partem componentem, tum terminum à quo: contra tamen instant aliqui, quod si illo modo accipiatur, oportebit singula principia præstare vtrūque munus, partis scilicet cōponentis, & termini à quo; præterea falsum videtur, quod principia non fiant ex alterutris vt ex termino à quo; alij ergo volūt vbique particulā, ex, dicere habitudinem partis componentis; sed tunc contra est, quia in ea definitione non erit comprehensa priuatio. Ad hoc tamen responderi potest, quod satis est, si priuatio sit principium mutationis, cuius cum sit pars componens, verè erit in dicta definitione comprehensa; omnes istæ explicationes sūt probabiles, nam contra primam non valet quod obijcitur, quia satis ex antecedētibus, & cōsequētibus poterat cōstare, quomodo particula, ex, respectu diuersorum sumēda est; non valet etiam, quod dicitur contra secundam expositionem, si sensus sit disiunctiuus, & intelligatur in eodē genere principiādi, vt sensus sit principia sūt illa, quæ

non

non fiunt, neque ex alijs, neque ex alterutris, vt ex parte componente, seu vt ex termino à quo, supplendo in eodem genere principiadi; sed ex ipsis fiunt omnia, quæ gignuntur, vel vt ex parte cōponente, vel vt ex termino à quo; ferè tamen magis placet prima expositio, quia cum Arist. ostendat principia non fieri ex alterutris; quia sunt contraria, hæc ratio militat de partibus cōponentibus, vnde primis duobus locis hoc significare videtur particula, ex, & cùm non solum mutatio, sed res naturales debeant fieri ex tribus principijs, & non possint ex illis absolutè fieri, vt ex partibus cōponentibus, debent fieri disiunctiue, vel vt ex partibus componentibus, vel vt ex termino à quo; vnde vltimo loco particula, ex, vtramque habitudinem importabit: neque proinde in dicta definitione erit æquiuocatio, cum antecedentia, & consequentia, & subiecta materia satis ostendant, quam vim in vtroque loco habere debeat particula, ex, vnoque modo accipi non possit, propter variam habitudinem, quā ad principia dicit principiata; quare hic erit sēsus definitionis. Principia sūt, quæ neque ex alterutris, neque ex alijs fiunt, vt ex principijs componentibus, & in eodem genere principiandi; sed ex his vel vt cōponentibus, vel vt termino à quo fiunt omnia.

Quare.

Dicendum bene principia ab Arist. in prædicta definitione esse definita, patet conclusio ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ, & confirmabitur refutatione eorum, quæ opponuntur in contrarium.

Ad primam ergo rationem dicendum, quod principia non fiunt ex alterutris; primo quidem, quia solum propriè fiunt composita; secundò, quia nō fiunt ex alterutris, vt ex parte componente, licet fieri possint ex alterutris, vel vt termino à quo, vel vt ex subiecto: Tertiò, quia non fiunt ex alterutris in eodem genere principiandi, sed diuerso. vltima etiā particula definitionis nihil falsum cōtinet; quia ex his fiunt omnia, quæ scilicet naturaliter fiunt, cælum autem cum sit ingenerabile, non debuit ex illis fieri. quare in forma negatur minor: ad probationem patet ex dictis.

Ad secundā respōdeo Dicendum, quod licet vltima particula accommodari possit Deo, non possunt tamen accōmodari cæteræ, imo nec vltima particula, vt est cum cœteris, & importat habitudinem, quam cœteræ dicunt, partis scilicet cōponentis, & termini à quo, solum à Deo dicuntur omnia fieri, vt à causa finali, efficiente, & exemplari, quas habitudines non explicat hic illa particula, ex, vnde p particulā, ex hic acceptam secundum suam proprietatē excluduntur causæ extrinsecæ finis, exemplar, & efficiens.

Obijcies. Illa non bene definiuntur, quæ explicantur vna definitione, cū plures requirāt; sed hoc est in proposito: ergo principia rerum naturaliū nō bene definiuntur, ac proinde nō est bona definitio; probatur minor, quia res naturales ad sua principia non dicunt vnam habitudinem, sed multiplicē, vt etiam dictū est; ergo huiusmodi habitudines pluribus definitionibus fuerunt explicandæ.

Respondeo dicendum, quod sicut principia rerum naturalium habent diuersas habitudines ad principiata, ita in cōmuni explicari debuerunt per particulas, quæ in sua significatione has plures habitudines clauderent; hoc autem factum est in allata definitione, cum apposita fuit particula, ex, quæ quadrat in partes componentes, & bene accōmodatur termino à quo; & quoniam cū ageretur de principijs in cōmuni, in communi etiam aliquo pacto describi debuerunt; ideo congruenter factum est, vt vna definitione explicarentur illa generatim, quę speciatim plures definitiones requirerent; quare in forma ad argumentū negatur minor, & consequentia, si intelligatur de principijs sumptis generatim. Ad probationem conceditur antecedens, si sermo sit de vna habitudine simpliciter; negatur vero si sermo sit de habitudine secundum quid, & proportionaliter vna; quare neganda est consequentia in sensu modo dicto; quia plures illæ habitudines proportionaliter conueniunt, vnde aliquo modo vna definitione definiri debuerunt; quia definiebantur principia in communi.

Obijcies secundo. Materia habet plures partes, ex quibus integratur; ergo ex his

propriè fit; ergo falsum est vniuersaliter, quod principia non fiant; materia enim est principium.

Respondeo Dicendum, quod quid sit de antecedente, quod materia non potest dici fieri, quoniam etiam si detur habere partes, ex illis tamen non componitur, vt ex alijs, & praexistentibus, cum idem sint partes illæ cum materia; nec vna pars præsupponatur ad aliam, nec ex ea componatur; quare non potest dici de materia, quod fit ex alterutris, vel ex alijs.

Obijcies tertio. Materia, sicut & forma, habet suum genus, & differentiam; ergo falsum est principia non fieri ex alijs, vt ex partibus componentibus; probatur cõsequentia; quia materia, & forma sunt principia rerum naturalium, & ex alia parte componuntur ex suo genere, & differentia; ergo fiunt ex alijs.

Respondeo dicendum, quod res simplices, vt partes, non habent propriè genus, & differentiam; si quo tamen modo habent ex illis componuntur, vt ex principijs Metaphysicis, non Physicis; ad saluandam autem definitionem allatam satis est, quod principia Physica non fiant ex alijs Physicis; etiamsi componerentur ex alijs Metaphysicis, quare in forma ad argumentum negatur consequentia in sensu modo dicto, & ad probationem concedendum est ex genere, & differentia componi illud, quod propriè habet genus, & differẽtiam, & cõponi quidem compositione Metaphysica, non Physica; quod non facit contra nos.

Obijcies quarto. In definitione principiorum neq; definiuntur principia sumpta in particulari, neq; in communi; ergo nulla principia in ea definiuntur; probatur antecedens quoad primam partem, quia singularia non cadunt sub scientiam, atque adeo neq. sub definitionem; quoad secundam vero; quia definitio alicuius rei communis debet conuenire singularibus, singularibus autem dicta definitio non conuenit; falsum enim est ex singularibus aliquibus principijs fieri omnia.

Respondeo dicendum definiri principia in communi; & ad probationem respondeo, quod si definitio data de communi habeat sensum disiunctiuum conueniet singularibus determinatè sumptis, si non habeat sensum disiunctiuum conueniet solum singularibus vagè; in proposito ergo hic est sensus definitionis, omnia, quæ physice fiunt, & singula fiunt ex his tribus principijs, materia, forma, & priuatione, sed vagè, vel ex hac scilicet, vel illa materia, vel ex hac, vel illa forma, vel ex hac, vel illa priuatione; licet hoc particulare determinatum fiat ex hac materia, & hac forma determinata, illud ex illa, sed iam fit.

Art. 6. Vtrum in dicta definitione definiantur principia cõmunitatis, an causalitatis.

PRincipia communitatis appellant illa, quæ sunt communia omnibus mutationibus, tàm accidentalibus, quàm substantialibus; causalitatis illa dicunt, quæ propria sunt substantialis mutationis; nam sicut substantia est causa accidenti, vt sit, ità propter mutationem substantialem vltimatò est mutatio accidentalis; vnde principia mutationis substantialis nominantur principia causalitatis; at principia pro vt abstrahunt ab vtraque mutatione dicuntur principia communitatis; in proposito ergo duæ sunt sententiæ.

Prima sententia vult definita esse principia communitatis, videtur esse illorum, qui dicunt hic Arist. egisse de principijs cõmunitatis, Buca ferrei Simplicij in.t. 50.

Secunda sententia vult definita esse principia causalitatis, videtur esse Alex. Psel. Phil. Auero. D.Th. Ægid. Alb. Veneti, Forens. qui dicunt hic Arist. egisse de principijs causalitatis.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima. Dicta definitio conuenit principijs cuiuscumque mutationis; ergo in ea definiuntur principia communitatis; patet cõsequentia; antecedens probatur, quia ex subiecto, forma, & priuatione fit quæcumque mutatio, siue accidentalis sit, siue substantialis, & sine his nulla mutatio, quæ propriè mutatio sit, perfectè intelligi potest, aut fieri; ergo dicta definitio cõuenit principijs cuiuscumque mutationis, ac proinde communitatis.

Secunda ratio. ex sententia Arist. initio libri,

ſtri, inchoandū eſt ab vniuerſalibus; ſed principia cōmunitatis vniuerſaliora ſunt principijs cauſalitatis, vt patet; ergo ab illis incepit Ariſtoteles, ergo, & cum principia definiuit, in definitione vtraque complexus eſt.

In Contrarium pro ſecunda ſententia ſunt hæ rationes. Prima Ariſt. tex 2. proponit agendum de principijs corporis naturalis; ſed hæc ſunt principia ſubſtantiæ, & conſequenter cauſalitatis; nam ex his tantum generatur corpus naturale; ergo de illis tantum agit; ergo & illa ſolum definiuit; quia Ariſt. definit principia, de quibus egit; confirmatur: quia tex. 50. probat non eſſe infinita principia; quia in vno genere vna tantum eſt prima contrarietas; hoc autem procedit de ſolis principijs ſubſtantiæ; nam ſecus tot ſunt contrarietates, quot ſunt ſumma genera, & prædicamenta.

Secunda ratio. Ariſtoteles inuentis tribus principijs rerum naturalium explicat quid ſint ſolum in ſubſtantia; ergo in ſubſtantia ea ſolum definiuit; probatur antecedens, quia materia, quam tex. 69 dicit cognoſci per analogiam ad materiam artificialem, & quam deinde definit tex. 82. eſt materia tantum ſubſtantialis: ſimiliter forma, quam explicat à tex. 72. eſt ſubſtantialis. ergo.

Pro ſolutione.

Notandum, quod aliud eſt loqui de mēte, & intentione Philoſophi, aliud de eo, quod vere eſt; nam ſi mentem Philoſophi attendamus, ille fortè voluit ſolum agere de principijs cauſalitatis, vel certè primario, & per ſe de illis agere intendit, per accidens ſolum in ordine ad illa, & ſecundario de principijs communitatis; quoniā quod quærebat Ariſt. erat inuenire principia rerū naturalium, vt deinde inuentis principijs, & per illa rebus naturalibus benè intellectis, procederet ad principiata, & paſſiones; tamen cum principia in mutatione accidentali, & artificiali ad hoc ipsū inuenerit Philoſophum, & multo magis cum ſingulæ partes allatæ definitionis accommodari poſſint principijs communitatis; ideo videtur.

Dicendum in dicta definitione primariò definita eſſe principia cauſalitatis, ſecundario comprehenſa etiā eſſe principia communitatis; patet ex modo dictis, & rationibus vtriuſque ſententiæ. Confirmatur, quia ſicut ſit compoſitum ſubſtantiale, ita etiam aliquo modo fit compoſitum accidentale; & ſicut impoſſibile eſt intelligere propriam mutationem ſubſtantialem ſine tribus principijs ſubſtātialibus; ita & accidentalem ſine ſuis; neque enim vnquā eſt mutatio accidentalis, quin ſit ſubiectū, quod mutatur, & ſit priuatio, ex qua mutatur, & forma, ad quam mutatur; ergo ſicut omnia, quæ propriè fiunt, & ſubſtātialiter, ex tribus principijs ſubſtantialibus fiunt; ità & omnia, quæ fiunt accidentaliter, fiunt ex ſuis tribus principijs, vt autem abſtrahunt à ſubſtantialibus, & accidentalibus fiunt omnia, quocunque tandem modo fiant; vlterius ſicut principia ſubſtantialia non fiunt ex alijs, neque ex alterutris, vt ex partibus componentibus, ità & principia accidentalia, ſi propriè loqui volumus; vtriſque ergo conuenit definitio, & hoc eſt definitionem conuenire principijs communitatis; ergo ſecundario ſaltem definita ſunt principia communitatis; & quandoquidem, quod in hac concluſione dictum eſt, probant tantum rationes factæ pro vtraque ſententia nihil addendum reſtat.

Art. 7. Vtrum prima contraria ſint principia rerum naturalium.

CElebris eſt nonnullorum antiquorum ſentētia, Xenophanis, Parmenidis, Meliſſi, & aliorum, de quibus ſequenti articulo, qui vnum tantum ponebant rerum principium, prima contraria ab hoc munere Excludentes. Quibus contradicit Ariſtoteles, & communis Peripateticorū ſententia, cum qua ſenſerunt etiam ex antiquis non pauci, vt habetur Tex. 41. cum inter principia rerum naturalium ponerent quandam contrarietatem. Quæ ſententia ex eo probari poteſt. Quod principia ſunt illa, ſicut dictum eſt, quæ neque fiunt ex alijs, neque ex alterutris, ſed ex

illis omnia fiunt: sed prima contraria sunt huiusmodi: Ergo prima contraria sunt principia? Minor probatur. Non fiunt ex alijs; Quoniam secus non essent prima contraria: nam si ex alijs fierent, vel hæc essent contraria, & tunc vel daretur processus in infinitum; vel deueniendum esset ad prima contraria, quæ essent prima principia: vel non essent cōtraria, & sic nulla ratio esset, cur ex vno fieret transitus ad alterum. Vlterius non fiunt ex alterutris. Quia nihil componitur ex contrarijs, & ad positionem vnius in esse destruitur alterum. Probatur vltima pars minoris tex. 43. Vnumquodque fit ex suo contrario, Album enim fit ex non albo, homo ex non homine, & sic de reliquis: Ergo omnia fiunt ex contrarijs: Conuenit Ergo definitio principiorum primis contrarijs, ac proinde prima contraria erunt prima rerum naturalium principia.

Pro solutione.

Notandum, quod aliud est loqui de primis principijs rerum in fieri, aliud in facto esse, de principijs in facto esse quæstio proprie non procedit; Quia nihil componi potest ex primis contrarijs, cum prima contraria ad inuicem repugnent: reuocabitur ergo quæstio ad principia in fieri. Considerandum igitur est, quod sicut docet ratio, & experientia, fieri est transire à non esse ad esse, nec tamen est transire à non esse simpliciter; Quia si res naturales cū fiūt transirēt à non esse simpliciter, non præsupponeretur subiectum ad actionem physicam, & quodlibet fieret ex quolibet: Est ergo transire à tali non esse, ex quo sit immediatus transitus ad esse: tale autem non esse est illud, quod est priuatum, illud autem priuatum est, quod cum negatione esse dicit aptitudinem ad esse: sic transit ignis à non esse ignis apto nato fieri ignem ad esse ignem: nam cum ignis fieri debet proxime fit ex subiecto priuato. Quod est dicere ignem fieri Ver. Gra. ex ligno, vel ex palea. Quatenus palea, & lignum cū negatione formæ ignis disposita sunt per qualitates ignis ad accipiendam formam ignis. Eodem pacto homo vel equus non fiunt ex quolibet, sed ex certo subiecto priuato, puta ex semine. Quare omnia, quæ naturaliter fiunt proxime vt ex termine a quo, fiunt ex sua priuatione; Priuatio autem cum sit negatio cum aptitudine non potest esse nisi in subiecto; à subiecto tamen ratione differt; Quia diuersam rationem dicit ab ea, quam dicit subiectum; hinc est, vt in fieri principia debeant esse contraria, priuatiue scilicet. Quia subiectum vt priuatum forma procedens ad formam dicit priuationem, quæ est contraria formæ; vel certe dicit priuatiuum oppositum rei, quæ fit: Oppositio autem priuatiua dicitur prima contrarietas; & opposita priuatiue prima contraria. Primo quidem, quia versantur circa primum rerum omnium naturalium subiectum, quod est materia ptima. Secundo quia reperiuntur maxime in primo genere, & categoria; nam omnis naturalis substantia, quæ fit, transit à suo non esse proxime apto ad esse; cætera uero contraria reperiuntur solum in alijs categorijs, si contrarietatē excipiamus contradictoriam; de qua hic non potest esse sermo; Quia contradictio impertinens est ad constitutionem rerum naturalium, earumque fundandas passiones, ad quæ tamen priuatio maxime valet. Tertio, quia contrarietas priuatiua reperitur in omni categoria, cæteræ minime, semper contradictoria excipienda. Vlterius considerandum est, quod hic, cum de principijs rerum quęritur, sermo debet esse de principijs intrinsecis, non extrinsecis; Quoniā intrinseca proxime pertinent ad constitutionem physici obiecti, & passionum eius; nam compositio, quā dicit, obiectum physicum ex materia, & forma indagari bene non potest, nisi priuationem præcognoscamus: priuatione enim cognita non solū habemus obiectum, sed etiam passiones, vt transmutationem substantialem; Quia nihil substantialiter mutatur, nisi transeat à substantiali priuatione ad habendam formam. Cognoscimus præterea omnes mutationes, & motus; Quia omnes in sua ratione dicunt esse actus existētis in potētia prout in potentia; in potentia autem non est, quod priuatum aliquatenus non est. Quare cum hic illa inuestigari debeant prin-

principia, quæ faciunt ad cognitionem obiecti scientiæ naturalis, & quibus habitis procedi potest ad passiones obiecti; ideo sermo esse debet de intrinsecis rerũ principijs, & primum de principijs in fieri; quæ cum necessario debeant esse prima contraria, ideo.

Dicendum prima contraria esse principia rerum naturalium, videlicet generabilium, & corruptibilium patet ex dictis, & confirmatur ex ipsa ratione generationis, & ex ipso fieri, quod dicit transire de potentia ad actum, illud enim, quod iam actu est, fieri non postulat, cum iam sit, nec actu quidquã fit nisi ex potentia; quod autẽ est potentia, priuatũ est, ac proinde principia generabiliũ prima cõtraria.

Obijcies primo physicorum. Tex. 43. album dicitur fieri ex non albo tali idest, quod fit nigrum, quod est positiue contrarium albo; ergo etiam positiue contraria sunt principia rerum naturalium. Confirmatur quia illa sunt positiua contraria, quæ se inuicem expellunt ab eodem subiecto; vt ignis; & forma ligni; ignis enim sit quatenus expellit formam ligni. Respondeo dicendum, quod proprie contrarietas positiua est solum inter accidentia; nam cõtraria sunt, quæ se inuicem expellunt immediate ab eodem subiecto; formæ substantiales expellunt se solum mediate: contraria, sunt determinata, ita vt vnum vni sit contrarium; at formæ substantiales, habent statum completum, omnes sunt incompatibiles in eodem subiecto; vnde si essent contrariæ vni formæ essent contrariæ innumerabiles: contraria habent passiones, & effectus contrarios; formæ substantiales habent passiones, & effectus disparatos: priuatiua.au.cõtraria sunt principia; quia forma positiua contraria, non est causa cur subiectum transeat ad aliam formam positiuam, cum adhoc potius repugnet: illi autem, cur ad formam positiuam transeat, causa est priuatio, cum per priuationẽ proxime sit in potẽtia ad formã, qua est priuatum. Aristoteles autem, vt hoc ostenderet, dixit albũ fieri ex nõ albo tali, idest nigro; quoniam si dixisset simpliciter fieri ex nõ albo, potuisset quis existimare quod libet fieri ex quolibet. Respõderi etiã potest cum cõmentatore. Arist. procedere ab vniuersalioribus, & iõ primo pbare principia esse contraria in genere, deinde vero probare esse contraria priuatiue. Respondent etiam alij Aristotelẽ docere voluisse in mutatione physica duplices reperiri terminos, primarios scilicet, & secundarios, illos ex parte mutationis secundũ suam naturam sumptæ, hos vero ex parte subiecti, & materiæ; illos esse priuatiuos, hos positiuos; quia materia nunquam est spoliata dispositionibus.

Art. 8. Vtrum pcincipia rerum naturalium in fieri sint tantum tria, in facto esse duo.

PRima sententia affirmatiua est Arist. hic, & omniũ Peripateticorum, quã etiã sequuntur recentiores communiter.

Secunda negatiua fuit antiquorum, qui vel vnum, vel plura quàm tria principia posuerunt; vnum posuerunt Xenophanes, Melissus, Parmenides, Tales, Diogenes, Anaximander, Anaximenes, Heraclitus; Plura posuerũt Pithagoræi, Anaxagoras, Epicurus, Democritus, & Leucippus.

Xenophanes ex Pererio hac ratione nitebatur. Id quod est æternum, & infinitum, est vnum, & sibi vndequaque simile; ergo vnum est tantum principium, probatur antecedens, quod sit æternum, quoniam si factum esset, aut factum esset ex nihilo, qđ est impossibile, quia ex nihilo nihil fit, & reddi non posset ratio, cur tunc, & non ante factum fuisset; aut factum esset ex aliquo; vel igitur factum esset ex simili, vel dissimili, non simili, nam simil.um eadem est ratio, quare non conuenit vni eorum potius, quàm alij, aut fieri, aut facere; nec ex dissimili, nam sic heret ex eo, quod non est ęternum igitur erit, quod eil; si autem æternum; ergo infinitum: quoniã nec principium, nec finem habet; si vero est infinitum, erit vnum, nam si multa forent, essent inuicem terminata, & vnum extra aliud, quod est contra rõnem infiniti.

Parmenides sic probat suum dogma; quod est, præter id, quod vere est, id non est; vnum igitur tantummodo, est, quod vere est; nam si ea, quæ sunt, multa essent, ea inter se differrent; differrent ergo aut in eo, quod non sunt, aut in eo, quod sunt, non

non in eo, quòd sint, quia in hoc sunt similia, quæ autem sunt similia non sunt alia, quæ non sunt alia, sunt vnum, & idem; sed neque differunt in eo, quod non sunt; quod etiam non est, nihil est; per id autem, quod nihil est, nulla fit differentia, si igitur quæ sunt nullo modo differre possunt, necessario conficitur id quod est vnum esse.

Thales, qui vt communiter dicitur, principium omnium rerum posuit aquam, his nitebatur rationibus; prima semina, & alimenta rerum sunt humida; id autem, ex quo res gignũtur, & aluntur est ipsarũ principium; ergo. secunda. calor, cuius vi omnia conseruantur, pascitur humido; primum autem humidorum principium est aqua; ergo erit omnium rerum principiũ. Anaximenes rerum principium posuit esse aerem, vt videtur verior sententia. suam opinionẽ probabat, quoniam aer facilè recipit omnes qualitates, omnem actionem, omnem extrinsecam vim, nec suapte natura habet qualitates, quæ ab eo difficile dimoueantur; concrescit, & rarescit facile, et habet cætera, quæ videntur requiri à primo principio rerum: ergo. concordat cum Anaximene. Diogenes Apolloniates, qui ex Laertio vult aerem esse elementum omnium, & ex illo densato, & rarescente generari infinitos Mundos.

Heraclito, qui cum alijs aliquibus fecit ignem principium rerum omnium, ratio erat, quia ignis est maximè mobilis, & cõstat minutissimis, & subtilissimis partibus; est maximè actuosus, omnia permeat; cunctas res gignit, sustentat, perficit, ac moderatur; vnde putat iste Philosophus aliquantulum densatum humescere, & conuerti in aerem, tum si concrescat verti in aquam, aquam densatam permutari in terram, iterumque terram rarescentẽ verti in aquam, & sic deinceps.

Anaximander tandem principium rerũ dixit esse quidpiam infinitum, prius quattuor elementis; quoniam principium debet esse nudum ijs omnibus rebus, quas accipit; at quodlibet ex quattuor elementis habet suam congeneam, & connatam qualitatem; non igitur potest esse rerum principium; ergo principium rerum erit quid elementis prius, omnibus qualitatibus carens.

Qui plura principia ponunt, vt Pithagorei probant suum placitum quibusdam mysterijs, quæ in numeris reperiunt, & naturis rerum adaptant; Anaxagoras vult plura esse principia, quod res fiant ex partibus similaribus, vt caro ex multis caruncculis, os ex multis ossulis, fiant inquã res, dum hæ partes similares concrescunt; intereant vero, dum segregantur; has porro particulas vult Anaxagoras esse infinitas, ne cesset generatio, & consequenter finiãtur generationes: & præter hæc infinita principia intrinseca, aliud extrinsecũ principium posuit, mentem scilicet, quæ confusam illam congeriem partium similarium segregando distingueret, & ornaret; quoniam sicut ex nihilo nihil fit, ità à nihilo nihil fieri potest; putauit ergo infinitis illis partibus præfuisse mentem, quæ confusam illam infinitarum partium congeriem sapienter distingueret, & ornaret.

Democritus & Leucippus, cum quibus concordare videtur Epicurus, pro primo rerum principio habent Atomos infinitas, cum vacuo, Atomi autem ipsis sunt minutissima corpuscula indiuisibilia, ab indiuisione enim Atomi dicuntur: hæc corpuscula per ipsos, sũt numero infinita alia superiora, alia inferiora, alia anteriora, alia posteriora, alia dextra, alia sinistra, habentia diuersas figuras, & pondus, quo ab æternitate moueantur per inane, & vacuum; ex fortuitis autem ipsorum congressionibus volunt genitum esse non solum hunc mundum, sed alios innumeros, omniaq; quæ in mundo sunt. Hæc antiqui de principijs rerum.

In contrarium est Arist. cum omnibus Peripateticis, qui affirmant rerum in fieri plura esse principia, quam vnum, non plura tamen quam tria, pro qua sententia sunt hæc rationes.

Prima ratio, quod sint plura vno. Principia sunt contraria; sed nihil est sibi ipsi contrariũ. ergo principia plura sunt vno; antecedens probatur primo ab auctoritate ipsorum etiam antiquorum philosophorum, qui vt dicitur tex. 41. 4. metaphy. T. (oẽs enim principia aiũt esse cõtraria: qui dã par &c.) quodãmodo principia faciebãt contraria coacti ad id, vt ait Cõmentator experientia. idem antecedens probatur secundò inductione, quia album fit ex non albo, homo ex non homine, ignis ex non

igne

igne, & sic de reliquis: ergo principia sunt contraria.

Secunda ratio: quod non sint infinita. Nihil bene cognoscitur, nisi cognoscatur ex suis principijs; sed principia infinita nobis non sunt cognoscibilia; ergo ens naturale, si constat infinitis principijs, nō erit cognoscibile; sed consequens est absurdum; ergo & id, vnde sequitur; non ergo infinita sunt principia. Confirmatur, quia frustra fit per plura, quod æquè benè fieri potest per pauciora; sed per finita principia melius fiunt generationes rerum naturalium: ergo frustra ponuntur principia rerum naturalium infinita. Confirmatur Secundo. Prima principia sunt certa & determinata; ergo non sunt infinita; quoniam infinitum idem est, quod indeterminatum; probatur antecedens, quia determinatum & finitum fieri non potest, nisi ex; finito, & determinato.

Tertia ratio. quod tria sint principia; Principia debent esse contraria, & nō quæcumq; sed prima; sed pro vna contrarietate ponuntur tantum duo extrema, duo vero extrema contraria nō possunt inuicem agere, & pati, nisi circa vnum subiectum; ergo ponendum est tertium principium, quod sit subiectum contrariorū, atq; adeo tria tantum erunt principia.

Quarta ratio. Tria principia & satis sūt, & simul necessaria, vt generatio substantialis à reliquis mutationibus distinguatur; ergo tria sunt principia non plura, nec pauciora, probatur antecedens, generatio substantialis per priuationem distinguitur à motu, qui procedit à termino positiuo, per subiectum distinguitur à creatione, quæ est sine subiecto, & materia; demum per formam vnaquæq; generatio distinguitur ab alia, tria ergo principia sunt satis, & simul necessaria, non plura, neq; pauciora.

Pro solutione.

Notandum, quod quæstio est de illis principijs, sine quibus intelligi non potest ipsum fieri rerum naturalium, & quibus constant res naturales in facto esse: ipsum porro fieri rerum naturalium alia exigit principia extrinseca, alia intrinseca, intrinseca sunt, quæ requiruntur ad constituendam ipsam generationem rerum naturalium, per quam fiunt; illa enim principia, quæ sunt de quidditate generationis rerū naturalium, illa dicuntur esse absolutè principia rerum in fieri; quia fieri rerum naturalium est generari; vnde intrinsecè requisita sunt ad hoc, vt res naturales constituantur in esse; generatio autem rerum naturalium, cum sit cum propria mutatione, in ea debet dari id, quod mutatur, & id, à quo mutatur, & adquod mutatur, & sic necessaria sunt tria principia, non plura; quia vnum solum debet esse id, quod mutatur, si vna est res, quæ fit, & contraria sibi inuicem succedere debent circa idem, seq; ab eodem subiecto expellere: Vnum debet esse, a quo proxime mutatur; quia res, quæ fit proxime fit à suo non esse, non à non esse alterius, neq; à non esse simpliciter; & vnum, ad quod mutatur, nimirum forma totalis, per quam constituitur in esse; quoniam sicut vnum est esse rei, ità & vna forma, ac proinde tria in fieri rerū principia intrinseca; præter tamen tria hæc principia sunt necessaria alia extrinseca, vt efficiens, nihil enim fieri potest, nisi ab aliquo, quod sit in actu; & finis, qui vel est extrinsecus, & efficientis, vel intrinsecus & rei effectæ; intrinsecus cōcurrit cum forma; extrinsecus vel est conseruatio speciei, vel bonum vniuersi, vel quid huiusmodi; sed quoniam hæc principia extrinseca explicitè nō ingrediuntur quidditatem generationis, quæ optimè intelligitur sine vlla explicita conceptione agētis, aut finis, vnde ad cognitionem quidditatiuam corporis naturalis, eiusq; generationis, vt est principium scientiæ naturalis, non sunt necessaria; ideo non ennumerantur inter principia: manifestum itaq; est loquendo de principijs rei in fieri, & de his, quæ sunt principia per se, hæc esse tria, si tamen accipiantur in sensu formali, nam si accipiantur in sensu reali sunt tantum duo, quia priuatio cum materia non facit numerum, sed realiter fere est idem cū materia, vnde dixit Philosophus principia esse quodammodo tria, quodammodo duo; quoniam autem cū est forma in subiecto definit esse priuatio, & vna quæq; res naturalis constat ex potentia, & actu; nam in materia ligni, cum aduenit forma ignis, definit non esse talis formæ, & non esse ignis, & fit esse ignis; ideo in facto

esse

esse duo tantum sunt principia, subiectum & forma.

Quare.

Dicendum principia rerum naturalium in fieri esse tria, in facto esse esse duo. Patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur, quoniam omnis physica mutatio procedit à priuatiuo ad positiuum, vel à positiuo ad priuatiuum; sed ad hoc, vt manifestum est, sunt necessaria tria principia; ergo tria sunt rerum naturalium principia in fieri; rursum priuatiuum non potest componere cum positiuo; ergo compositio solum fiet à forma, & à materia, & sic in facto esse erunt tantum duo.

Ad rationes in contrarium. Ad primam Respondeo dicendum, quod falsa sunt, quę assumuntur tam in antecedente, quam in consequente, ad probationem patet, quæ naturaliter fiunt non fieri ex nihilo, sed ex priuatiuo; quare non sequitur, quod ex ea concluditur; si vero sermo sit de prima rerum molitione, & creatione facta ab Auctore naturæ, de ea patebit suo loco, vbi reddetur ratio, quare ab æterno nō fuerit, sed in tempore.

Ad secūdam ideo dicendū, qđ est, præter id, quod vere est, id non simpliciter nō est, sed secundum quid non est, secundum quid est; non est actu, at est potentia; ad probationem dicendum, quæ multa sunt in eo, quod sunt, partim differunt, partim conueniūt, seu neq; simpliciter differunt, neq; simpliciter conueniunt; vnde nec simpliciter similia sunt; nec simpliciter dissimilia; ac proinde nec simpliciter vnum dici possunt, sed sunt vnum secundum quid, analogicè scilicet, & multa simpliciter.

Ad tertiam Pro Thalete respondeo dicendum, quod prima principia debēt esse irresolubilia in alia, quia secus non essent prima, aqua vero cum sit composita ex materia, & forma, habet principia, in quæ resolui potest; vnde illa propriè erunt ipsius prima principia; præterea quod assumit ratio illa falsum est; nam & si multa gignantur ex humido, eoq; alantur, hoc primum falsum est vniuersaliter; secundo humidū est in multis alijs rebus, vt in aere. Tertiò humidum aqueum potius extinguit calorem, vnde nihil per illam rationem concluditur.

Ad quartam Anaximenis. Respōdeo dicendum, quod etiam si aer habeat multa ex illis, quæ in ratione assumuntur; tamen non est primum principium, quia aer est compositus; vlterius falsum est, quod ex eo, quando concrescit generētur ea, quæ ibi dicūtur; præterea primum principium, quod est, vt elementum, & subiectum in omni mutatione, debet penitus ex se carere qualitatibus contrarijs, & esse omnium capax; aer vero ex sua natura habet determinatas qualitates, à quibus penitus remoueri non potest, quin corrumpatur; non est ergo aer primum rerum naturalium principium.

Ad quintam Herac. patet ex dictis: addi potest, quod ignis propter suam acrimoniam, & actiuitatem minus aptus est ad compositionem rerum, cum res potius in se vertat, & cætera destruat; vnde non potest simpliciter esse primum rerum principium.

Ad sextam Anaximandri dicendū, quod ille auctor obscure significauit materiam primam, quæ vere est primum rerum naturalium principium; sed non solum, quod non sufficiat de se sine forma ad constituēdas res naturales, quæ tamē materia neq; infinita est, neq; alia habet, quæ ipse putauit.

Ad septimam Pro Anaxag. Respondeo dicendum, quod fictitia est illa infinitas partium similarium, quæ etiam partes si ponantur, cum partim inter se conueniāt, partim discrepent, conuenient in subiecto, discrepabunt in forma: hæc igitur erunt principia non partes similares.

Ad octauā pro Democrito, & Leucippo Respondeo dicendum, quod implicat dari corpuscula simpliciter indiuisibilia, vt patebit alibi, & apertè conuincitur ex figura, & officio, quod illis attribuit Democritus, & hæc breuiter ad rationes antiquorum, quos fusius & ex principijs refutare paulo longiorem requireret disputationem, & nullam ferè haberet vtilitatem, quoniam opiniones illæ penitus iam obsoleuerunt.

Obijcies. prima contraria sunt plura, quā duo; ergo addito primo subiecto principia rerum plura sunt quam tria; quoniam

prin-

principia sunt cōtraria; antecedens patet, quia in omni genere & categoria sunt propria contraria, alia enim sunt cōtraria in categoria substātiæ, alia in alijs categorijs;ergo præterea sicut quod sit habet pro suo pricipio suā propriā priuationē, ità & forma suā;ergo erūt plura cōtraria q̃ duo.

Respondeo dicendum,quod prima contraria primo quidē accipiuntur in substantia; quoniam quæ propriè generantur solum propriè sunt in categoria substantiæ; non enim generatur musicus, sed Callias deinde prima contrarietas, de qua est sermo, est contrarietas priuatiua, vt dictum est;hæc autem generatim accepta duo tantum principia comprehendit, priuationem, & formā: porro contrarietas priuatiua est prima contrarietas, non solum, quia habet locum in prima categoria, in qua nō habet locum contrarietas positiua; sed etiam quia saluatur in omni generatione naturali. Ad illud,quod debeat assignari propria etiam priuatio formæ,respondeo dicendum,quod in omni generatione naturali vna tantum propriè est priuatio, quæ respectu totius, dicitur priuatio totius, respectu formę dici potest priuatio formæ; sed quia forma propriè non fit,& generatio non est mutatio à non esse formæ ad esse formæ; ideo sola priuatio compositi, quod fit, censetur esse principium,à quo id,quod fit,procedit.

Dices formam transire à non esse in subiecto, ad esse in subiecto. Respōdeo quod id propriè verificari non potest de forma; quia id, quod transit, vel per se transit, vel ratione alicuius partis sui; forma per se non transit; quia nullum penitus habet esse extra subiectum; neq; transit ratione alicuius partis sui; quia forma nō præexistebat secundum partem in subiecto.

Dices anima rationalis prius in se habet esse, quo terminat creationem, quam habeat esse in subiecto; ergo in generatione hominis possunt assignari quatuor contraria, duæ scilicet priuationes,& duo termini, ac proinde plura erunt principia generationis humanæ quam tria.

Respondeo dicendum, quod per hoc, quod forma hominis vnitur subiecto, nullum aliud esse acquirit, quam quod cū subiecto facit cōpositū,vnde non fuisse in subiecto non potest illi esse principium, sed composito, quod fit; nam anima nō procedit à non esse in subiecto, tamquam à termino suæ productionis, vt proinde non fuisse in subiecto dici possit eius principiū.

Obijcies secundo. Illud est de conceptu quidditatiuo generationis, quod explicitè ponitur in eius definitione;sed in definitione generationis ponitur forma, quæ præcessit in subiecto, & in generatione discedit;ergo & illa erit principium. Probatur minor, generatio dicitur mutatio totius in totum nullo sensibili remanēte,vt subiecto eodem; sed totum non mutatur nisi ratione formæ præcedentis abeuntis; sicut non fit nouum totum, nisi ratione formæ genitæ subsequentis; ergo sicut forma genita est principium, principiū erit & forma in subiecto præcedenti.

Respondeo dicendum, quod hic solum quæruntur illa principia, sine quibus non possunt intelligi transire res naturales à non esse ad esse;res autem naturales sicut transire intelligi non possunt,nisi antequā actu sint, prius habere concipiantur quoddam esse potētia, à quo proximè transeāt ad esse actu,esse in potentia habent beneficio priuationis, & subiecti: esse actu habent beneficio formæ; vnde tria ista, vt principia omnino necessaria sunt, cætera omnia se habent quodammodo concomitanter,vt explentia conceptum generationis: nam quia subiectum naturaliter nunquam potest esse expoliatum forma, necessario transit ad formam ab alia forma, vnde in definitione generationis ponitur mutatio totius;tamen considerandum est, quod si per impossibile materia esset sine omni forma præcedente adhuc fierent res naturales,per hoc, quod transiret materia à non esse formæ ad formam, quare in forma ad arg. Illud est de conceptu quidditatiuo generationis,vt pure dicit fieri rerum naturaliū, quod explicitè ponitur in eius definitione; ita vt sine eo nō saluetur fieri rerū & generatio;talis aūt nō est forma p̄cedēs in subiecto,quapropter negatur minor,ad probationē dicēdum q̄d generatio non potuit explicari p alios terminos,quā per mutationē totius, quia cū nunquam fit materia sine forma, ac proinde semper fit totum,vt generatio substantialis distinguer etur ex vi verborum à mutationibus accidentalibus, debuit dici mutatio totius in totū,quia in illis est quidē mutatio,sed nō

totius subiecti, cum remaneat idem totum, solum alteratum, & accidentaliter diuersificatum; tamen si loquamur de conceptu quidditatiuo, & præscindamus à verbis, quibus debeat explicari generatio, optimè saluatur per hoc, quod concipiamus mutari subiectum à non esse formæ substantialis ad esse formæ, vel magis à non esse totius ad esse totius; si enim concipiamus ignem à suo non esse, proximè tamen apto ad esse, transire ad esse, optime concipiemus fieri ipsius ignis, ad quod est impertinens, quod subiectum, quod transit ad esse ignis, recipiendo formam ignis, fuerit sub aliqua alia forma substantiale.

Obijcies tertio. Nō minus ad generationē est necessaria aptitudo, & habilitas materiæ, quā necessaria sint cætera dicta principia; ergo plura sūt principia, quàm tria.

Respondeo dicendū, quod aptitudo materiæ, siue habilitas includitur in tribus dictis principijs, includitur in ipsa materia, quia materia non intelligitur primū principium, nisi sit proximè apta, in quo includitur omnis ipsius aptitudo, immo, & ipsæ materiales dispositiones: includitur etiā dicta aptitudo in priuatione; nam non est priuatio sine aptitudine, & habilitate; quare nō videntur ponenda nec plura, nec alia principia, quam quæ dicta sunt, neq; in hoc est pertinacius litigandum.

Obijcies quarto. De ratione transmutatiōnis est agens; ergo quatuor erunt principia transmutationis. Patet consequentia; quia si reliquis tribus necessario addi debet agens, erunt quatuor: probatur antecedens. de ratione passionis est agens, quia passio est actus huius, idest passi, ab hoc id est ab agente; sed transmutatio est passio; ergo de ratione transmutationis est agens. probatur minor: quia transmutatio est à transmutari, transmutatur est verbum passiuū, vnde per locum à coniugatis, transmutatio erit passio.

Respondeo dicendum, quod transmutatio deriuari potest dupliciter à verbo trāsmutari, primo enim deriuari potest à trāsmutari, vt est in sensu passiuo, & tunc est passio: secūdo deriuari potest à trāsmutari, vt induit quandā rationem deponentis, & tunc non est passio; sed solum transitus subiecti ab vno termino ad alterum, & hoc pacto sumitur hic transmutatio, de cuius cōceptu, vt manifestū est, nō est agens, ac proinde negatur antecedens, & quæ ex eo deducuntur consequentiæ.

Obijcies quinto. Si essent tria tantū principia, vna deberet esse forma in omni mutatione, vnum subiectum, vna priuatio; sed omnis mutatio habet diuersum subiectū, diuersam formam, & priuationem, ergo non sunt tria tantum principia.

Respondeo dicendum, quod quando asserimus tria esse principia trāsmutationis, vel potest esse sermo de singulis mutationibus seorsim, & determinatis, & particulatim sumptis, & tunc verè omnis mutatio habet sua tria principia, quæ sunt de eius quidditate, vel potest esse sermo de mutatione accepta in communi, & tunc respondent illi tria principia in communi, ita, vt ternarius ille numerus constituatur ex tribus vnitatibus, siue numericis siue genericis, genere scilicet analogo per quę patet ad obiectionem, cum hoc nimirū quod in singulis particularibus mutationibus sint tria, diuersa, & particularia principia, stare hoc, quod tria sint principia mutationis in communi.

Quæstio secunda de principio materiali rerum naturalium, seu de materia prima.

Postquam considerauimus illa, quæ pertinebant ad principia corporis naturalis in cōmuni, accedendū iam est ad singula speciatim pertractanda; primum autem agemus de materia prima; quoniam cum sit primum subiectum, fundamentum quodammodo est reliquorū duorum principiorum; subiectū enim ex Arist. hic tex. 52. prius est ijs, quæ sunt in subiecto; de ea itaq; tractabimus illa, quæ faciunt ad perfectā ipsius cognitionē, ita vt non solū habeamus, an sit, & quid, sed qualis sit, & propter quid sit.

Art. 1. Vtrum detur materia prima.

Sententia negatiua ab aliquibus tribuitur Sebastiano Foxio lib. secundo de

consensu Plat. & Arist. cap. 1. D. Iustino Martyri in libro cõtra Arist. Lactantio lib. de origi. erro. Theodoreto in epit. diuin. decret. sed immeritò; nam hi Patres apertè admittunt dari materiã primã, solũq; volũt non posse dici non esse creatam à Deo, aut præfuisse ante Mundi constitutionem.

Sĕtentia affirmatiua est communis. præter Arist. illam apertè posuit Plato in Parmenide, & Thimæo, Trismegistus in Pimandro; post Arist. verò omnes eam admiserunt, tam Theologi scholastici, quàm Philosophiæ studiosi, aliqui tamen recentiores, vt videbimus, sic eam ponunt, vt nomine, & voce illã ponant, re tollant. sed de hoc peculiariter infra.

Pro prima sentẽtia negatiua sunt hæ rationes. Prima. Quod nullum habet esse, nõ est; materia prima nullũ habet esse; ergo nõ est; probatur minor, quia quidquid est, vel est substantia, vel qualitas, vel quãtitas, vel quid alterius prædicamenti; sed nullum horũ est materia prima ex 7. met. tex. 8. ergo materia nullum habet esse; ergo nõ datur.

Secunda rõ. si est materia, vel est à se ipsa, vel ab aliquo facta est ex alia materia; non primum, quia, quod à se est, est ens perfectissimum, independens, nullius indiguum, omniũ rerum principium, sibi ipsi sufficiens, & omnium procreator, ac Deus, hoc autem non est materia prima, quæ si est omnium rerũ sola imperfectissima est; quod si dicatur secundum, materiam nimirũ ex alia factã esse, idem quæretur de illa alia materia, & rursum de alia in infinitũ: ergo materia, quæ neq; à se ipsa esse potest, neq; ex alio, non est.

Tertia ratio. Si est materia prima, vel est vna cõmunis omnibus rebus, vel est in singulis rebus diuersa, non primũ, quia secus lignum non penitus differret à lapide; neque aqua ab igne; & sic de reliquis; si secundum non erit primum subiectum, atq; adeo non dabitur ulla materia, quæ sit primum rerum omnium naturalium subiectum.

Pro contraria sententia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima est ex Arist. tex. 50. & 51. omnis mutatio fit ex contrario in contrarium, vt patet inductione, calidũ enim fit ex non calido, album ex non albo, & sic de reliquis; vel igitur vnũ cõtrariũ in alterum recipitur; vel ambo recipiũtur in aliquo tertio; vel in nullo prorsus recipiũtur primũ dici nõ potest, quia contraria se mutuò expellunt, & interimunt, & vnũ in alio recipi non potest; tertiũ etiã dici nõ potest; quia est cõtra experientiam rerum omniũ magistrã; experientia enim docet vbi prius erat calor recipi frigus, & vbi erant dispositiones, & forma cibi, recipi dispositiones, & formã sanguinis, atq; viuentis; prætetea natura ad productionẽ vnius nõ corrũperet aliud, & tãtus ignis fieri posset ex paruo ligno, quantus ex magno; ergo dicẽdũ est secundũ, dari scilicet in omnibus generationibus aliquod tertiũ omniũ cõtrariorũ susceptiuũ, & hoc est, quod appellamus materiam primam; ergo datur materia prima.

Secunda ratiò tex. 52. res componuntur ex ijsdem principijs, ex quibus fiunt, at licet fiant ex contrarijs non possunt componi ex contrarijs; quia contraria non stant simul, saltẽ i supremo gradu; ergo debet dari tertium, quod cum altero contrariorum faciat compositionem, hoc autem est materia prima; ergo datur materia prima.

Tertia ratio tex. 53. in omni generatione sẽper reperitur aliquid permanens, quod mutatur ex vno opposito in alterũ oppositum; sed hoc non potest esse vllum ex oppositis, cum sub ambobus successiue idem maneat; contra vero oppositorum cum vnum est, non fit alterum, & altero adueniẽte, alterũ recedat; ergo illud permanẽs, quod ex vno opposito mutatur in alterum oppositum, est quid tertium, subiectum scilicet vtriusq;, quod vocamus materiam primam.

Quarta ratio tex 62. quidquid producitur, vel est substantia, vel accidens, si sit accidens, quod ad ipsum requiratur subiectũ docet experientia, & ratio, quoniam nullum accidens per se subsistit, sed inexistit in alio; si substantia cum sit debet fieri ex aliquo, hoc enim inductione patet; quoniã videmus animalia, & plantas fieri ex semine, ignẽ fieri ex ligno, aquã ex aere, aerẽ ex aqua, & sic de reliquis; ergo datur primũ subiectũ, ex quo omnia efficiantur, quæ est materia prima; ergo datur materia prima.

Quinta ratio tex. 69. datur subiectũ formarum artificialium; ergo, & naturalium; antecedens manifestũ est experiẽtia; forma enim statuæ non fit nisi vel in ære, vel in ligno,

gno, vel in marmore, vel alia simili materia; consequentia probatur, quia frustra natura in suis actionibus prærequireret aliquid prævium, vt in productione viuentiũ semen, si formæ naturales, perinde ac artificiales, materiam non postularent; & hę rationes ex Philosopho.

Sexta ratio ex Scoto, & Alcinóo apud Ficinũ. datur in rerum natura purus actus immutabilis, semperq; sibi similis; ergo & dari debet pura potentia; patet consequentia, quia in rerum natura debent esse omnes gradus entis; sicut ergo datur omniũ supremus, & primus, & intermedij, ergo & debet dari infimus à supremo remotissimus, qui non põt esse nisi materia prima.

Septima ex Auer. disp. 6. contra Algazelum, res sublunares inuicem & agunt, & patiuntur; sed impossibile est ab vna, & eadẽ natura primo prouenire actionem, & passionem; ergo statuẽda sunt duo principia in vnaquaque re, alterum, quod sit principium agendi, & hoc erit forma, alterum, quod sit principium patiendi, quod necessario erit materia prima; ergo datur materia prima.

Pro solutione.

Notandum, quod existentia materiæ si à priori inuestigari debet; aliquid se prius, à quo esse habeat, habere debet, nec solum habere debet, sed naturali via id debet posse cognosci: si enim per viam naturalẽ id cognosci non potest, frustra in ea inuestigãda tali via insistemus. At si quid prius materia prima est, & hoc ipsius causa est, nihil certe potest esse, quod constet materia, quia hoc materia posterius est, & in aliquo genere pro causa sui materiam habet. erit ergo aliquid immateriale. Sed primum immaterialia nos non cognoscimus nisi per materialia. Secundò facilius nobis est cognoscere quæ in rebus materialibus sunt: Quia magis sensata sunt, quã quæ supra materialia. Tertio quæ supra materialia sunt immaterialia causa materiæ esse nõ possunt, nisi vel per necessitatẽ naturę, vel per voluntatẽ. primũ cognoscere non possumus nisi comprendamus talem naturã; quamquã neq; hoc esse potest, quia qđ perfectius est, & sua natura independens non põt coarctari per necessitatem ad id, quod est imperfectius, & depẽdens: secus enim non perfecta, sed imperfecta illa esset natura; quia in tali necessitate non perfectio, sed imperfectio & defectus; quia non sibi sufficiens. Quod si dicatur bonum esse communicatiuum, verũ est, sed vincè bonum, & sibi perfectè bonum, si non libere, sed necessario extra se cõicare se debet, & tali enti, non simpliciter bonum; Quia non in se simpliciter, & summe bonũ. Itaq; si immateriale materiæ causa est per volũtatem, & liberè causa esse debet. at voluntatis alicuius quis certus explorator esse possit præter ipsum, & nos quomodo diuinę voluntatis possimus esse inuestigatores, qui ne nostras quidẽ voluntates vndequaque habemus exploratas? Itaq; per causã efficientem à priori habere non possumus existentiam materiæ, nisi primæ causæ liberum penetremus decretum, per quod ad extra operatur, quæcunq; operatur, quia voluntatẽ operatur, non necessitate: decretũ autem Dei nemo scit, nisi ipse reuelet; quia nemo cognoscit sensum Domini, nisi cui ipse manifestat, vt proinde à priori per causam efficientem existentiam materiæ habere non possimus. restat, vt illam inuestigemus per causam finalem; nam aliam causã materia prima habere non potest, sicut & cætera, quæ composita non sunt: finalis autem materiæ causa si qua est, bonũ vniuersi est, vt omnes gradus entis habeat Mundus, & constet perpetua generatio. Nã cũ esse melius sit, quàm non esse, omnia, quæ sunt, perpetuum appetent esse, ac proinde ad generationem non procedent, quæ non est sine corruptione, nisi quia retinere non possunt esse; aliud ergo in natura dari debuit principium ab ipso, quo res sunt, quod compellat ad generationem, quod proinde potestas debet esse ad nouas subinde generationes, & subiectum earum; vnde ex fine aliquo modo habemus dari in rebus aliquod primum subiectũ, quod transmutationum causa sit: ex ipsa tamen trãsmutatione id habemus apertius à posteriori: nam considerandum est, quod cum natura nihil faciat frustra, & ad omnem naturalem generationem requirat subiectum, non possit autẽ requirere ratione formæ, quam habuit, quia in generatione forma præcedens expellitur, & corrumpitur, requiret ratione formæ de nouo generandæ,

latet ergo aliquid sub vtraque forma, hoc autem primum subiectũ siue materia est; datur ergo in rebus naturalibus materia.

Quare.

Dicendum dari in rerum natura materiam primam, patet ex modo dictis, & rõnibus secundæ sententiæ. Confirmatur ex corruptibilitate rerum naturalium, nam cum nulla res apperat sui destructionem, vt dictum est, impossibile est, vt corruptibilitas in rebus proueniat per se primo à forma, vel à toto; quia nec forma, nec totum vult corrumpi, quod illud ostendit signum certissimum, quod contrariũ ad præsentiam contrarij obsistit, refugit, & repugnat quantum potest, quod non faceret si sui corruptionem appeteret: Corruptibilitas ergo in rebus per se primo prouenit ab aliquo alio, hoc autem aliud corruptibilitatem in rebus non causaret, nisi ex ea aliquid cõmodi, & emolumenti haberet; nullum aũt commodum acciperet si cum formę corruptione ipsum etiam interiret; debet ergo esse aliquid, quod ĩ corruptione perduret; perdurar autem vt nouã formam accipiat; quia videmus ad corruptionem vnius sequi generationem alterius, ergo datur aliquod primum subiectũ omniũ formarum susceptiuũ, quod ex vna forma transit in aliam, atq; hoc vt videbimus est materia prima; datur ergo materia prima, vnde.

Ad primam rationẽ in contrariũ tñdeò dicendũ, quod materia prima habet suum proprium esse, de quo infra; quod si aliqñ dicitur non esse, non est intelligendũ simpliciter, quasi materia nullum habeat esse, sed debet intelligi de esse specifico, & actuali, quod cum habeat à forma, de se dicitur non esse; quare in forma ad argumentum negatur minor: ad probationem dicẽdum illa procedere de esse completo, & specifico, non de incõpleto, quod est principium compleri.

Ad secundã dicendum materiam primã non esse à se ipsa, vt bene probat argumentum; quoniam implicat aliquid à se ipso habere esse, & hoc, esse imperfectum; quia si esse habet à se, & non ab alio communicatum, nulla est rõ, cur restringatur ad tale, vel ad tale esse, & quod diminutionem in suo esse patiatur, & expectet cõplemẽtũ sui esse ab alio à se; erit ergo necessariò materia prima ab alio, sed nõ ex alio, erit quidẽ ab alio, vt ab agente reducente illã ad esse ex non esse, non aũt erit ab aliquo alio subiecto, quod ipsi præfuerit, quia vt benè vrgebat argumentũ, idẽ quærendum esset de illo alio subiecto, & sic daretur processus in infinitum. Quare in forma ad argumentũ dicendum materiam esse factã ab aliquo nempè à Deo; sed nõ ex alia materia; quia Deus ad suas actiones nõ prærequirit subiectum; sed cũ sit infinitæ virtutis põt aliquid suscitare ex nihilo, & illi cõicare esse, cum nullũ prius esse haberet.

Ad tertiam de vnitate materiæ patebit infra, interim dicendum materiã posse spectari vel secundum se, vel vt est sub diuersis formis, si spectetur secũdum se est vna, quia nihil habet in se, per quod multiplicetur; si spectetur vt est sub diuersis formis iam habet, per quod multiplicetur, & dici potest multiplex. quare in forma ad argumentum, concedendum est materiam secũdum se esse vnam communem omnibus rebus, quia vt sic nondum habet, per quod distinguatur. ad probationem dicendum nõ esse absurdum vnam rem naturalẽ non esse penitus diuersam ab alia ratione materiæ, in qua cum alia participat, cum sæpe etiã in alijs conueniant, vt in genere, vel in specie, &c.

Obijcies 1. Phys. text. 77. omnia fiunt ex non ente, & 5. Phys. tex 8. subiectum generationis non est; at si daretur materia prima, quæ esset subiectum generationis, omnia fierẽt ex ente, & subiectum generationis esset; ergo non datur materia prima.

Respondeo dicendum, quod omnia fiũt ex non ente actu, sed ex ente potentia, qđ eo loco philosophi expresè dicitur, & sic ignis non fit ex igne; sed ex non igne, potẽtia tamen igne; materia autem maximè propter priuationem dicitur non ens, ex qua fiunt omnia, quæ naturaliter fiunt: eadem de causa subiectum generationis dicitur non esse; quamquam locus ille videtur potius procedere de termino generationis, siue de subiecto denominationis, quod propriè dicitur generari, quam de subiecto inhæsionis.

Art. 2.

Art. 2. Vtrum bene hoc primum subiectum, ex quo res fiunt, dictum sit materia.

QVod non bene materia dicatur, illa suaderi potest ratione: Nomen materiæ conuenit multis alijs rebus: ergo non bene dicitur de materia prima. probatur antecedens, quia apud Latinos materia dicitur de artificialis, ac præsertim de lignis rudibus, ex quibus per artem aliquid conficiendum est. vnde est illud Quintiliani; non est satis saxa, & materiam ædificij cōgerere, nisi disponatur; & Liuius. Multam inquit materiam cæciderat miles. præterea multis alijs modis dicitur materia, & multiplex est, ex qua, in qua, & circa quam, ex qua adhuc est multiplex, transiens, & permanens, permanens materia ex qua, vt saxa, & ligna in ædificio; transiens vt semen in generatione viuentiū, cibus in nutritione; materia in qua dicitur illa, in qua artifex operatur, vt marmor, in quod statuarius inducit formam statuæ, & vniuersim materia in qua alia est informationis, alia eductionis, informationis, quæ recipit formam, siue recipiat ab arte, siue à natura, & siue hæc sit accidentalis, siue substantialis; materia eductionis est, ex cuius gremio excitatur forma, atq; producitur ab agente, quę; ferè recidit cū materia informationis; materia circa quā ēr duplex est, vna circa q̄ agēs agit actione trāseūte, vt materia, circa quā operatur artifex, altera circa quā agit actione immanente, quæ dici potius debet obiectum, cuiusmodi sunt omnium potentiarum obiecta, visibile, tangibile, imaginabile, &c. vlterius alijs modis diuiditur materia ex 7. met. tex. 35. & 8. met. tex. 15. nam materia alia est sensibilis, alia intelligibilis, ītelligibilis dr quātitas, quæ in sciētijs mathematicis cōsideratur, ac si separata esset ab oībus qualitatibus sensibilibus, quæ ità separata solum cohęret per intellectum, & imaginationem, vnde dicitur intelligibilis; sensibilis vero est illa, quæ est affecta suis qualitatibus, sensibusque percipitur. rursum materia alia est proxima, alia remota; proxima est ex 8. met. tex. 12. vt exponit Commentator, quæ vna transmutatione eget, vt fiat illud, cuius est materia, vt cum lignum fit statua, remota, quæ pluribus eget transmutationibus, vt cū ex terra fit frumentum; cum ergo tot modis dicatur materia, & adhuc pluribus, male primum subiectum rerum dictum est materia prima.

Procontraria sententia affimatiua sunt hæ rationes. Prima materia ex communi vsu dicitur de re informi, & indeterminata, quæ potest formari, & determinari ab aliqua forma; sed nihil magis informe, & indeterminatum primo subiecto rerū; ergo illud bene appellatur materia prima.

Secunda ratio, illa nomina bona sunt, quæ sapientes veteres imposuerunt, & cōmunis vsus probauit; tale autem est nomen materiæ primæ pro primo subiecto; ergo, minor probatur, quia hoc nomen vsurpatum est ab Aristotele, & ante ipsum à Platone, & eo omnes postea vsi sunt Posteri.

Pro solutione tamen.

Notandum, quod cum materia maxime obscura sit, Philosophi varia nomina adhibuerunt, vt illam quasi delitescentem in apertum educerent, vnde quidam illam appellarunt fæcem primæ vitæ, vt Ægiptij; quidam non ens vt Plato, & Arist. quidā paruū, & magnum, vt idem Plato; quidam gremium, & conceptaculum formarum, vt Platonici; quidam dualitatē vt Sabelicus, quidam vmbrā, originem, massam, syluam, seminarium vt Arabes, ab Aristotele tamē, & Peripateticis communiter dici solet subiectum, materia, elementum; materia ex Them. dicitur ratione formæ futuræ, ad quam est in potentia, subiectum ratione formæ præsentis, quam sustinet, secundum alios vero dicitur materia respectu formæ substantialis, siue futuræ siue præsentis; subiectum ratione formæ accidentalis, sed hæc nomina sæpe confunduntur. secundum Auicennam, & Albertum nomina materiæ sunt in duplici differentia; nam alia sunt propria, alia Metaphorica; propria sunt hæc sex Hyle, subiectum, materia, massa, origo, & elementum, sed re vera Hyle, & materia non sunt nomina distincta, sed vnum, & idem secundum diuersum Idioma

aa,Hyle secundum idioma græcum, secun lum latinum materia; nomina metaphorica ex Alberto sunt ista, mater, sylua,fœmina,turpe; cum autem tot modis dicatur rimum principium subiectiuum formarum, & generationis,bene exprimi videur nomine materiæ primæ; quia per materiam non solum significare solemus subiectum res componens; sed etiam, vt dicebatur, significamus ens informe ad hoc ceptum, vt formetur, & quia hoc ens, quo modo agimus; est primum subiectum rerum,& secundum se penitus infor e,ideo.

Dicendum bene appellari nomine materiæ. patet ex modo dictis, & rationibus undæ sententiæ.confirmatur,quia nullo o nomine congruentius appellari solet. rationem in contrarium.

Respondeo dicendum tot illis modis urpari nomen materiæ; quia ferè in ombus illis exprimitur vna analogica habido,quæ est vel rei informis ad suum fortiuum,vel primæ potentialis radicis ad uppositionem;cum tamē ratio potentiatis passiuè primo sit in materia prima; o ad distinctionem aliorum, quæ materiæ nomine appellantur,nomini materiæ onitur vox primæ, per quam additam eria optime distinguitur; & signatur d ens,de quo modo quærimus.

rt.3. Vtrum materia à se habeat aliquam propriam existentiam.

Ost quam ostensum est dari materiam, & illam explicauimus saltem quoad nominis,iam inuestigandum est quolo hæc se habeat ad suam existentiam, m illam ne à se habeat, an potius illā piat à forma, sunt duæ sententiæ cele. Prima negatiua, quæ est Thomistarū munis,Dur.in 2.dist.12.quæst.2.Fer.2. ra gentes capit. 68. & primo Phys. t.11. Caiet. de ente, & essent.cap.5. t.8. Sonc.7.Met.q.17.& lib.8.quæst. a Soti hic, Iauelli, Heruæi, Capr. densis, & aliorum, videtur etiam D. n.1.par.quæst.7.art.2. ad tertiū.quæst. t.2.ad tertiam, & quæst. 45. art. 4. quæst. 66.art.1. & quæst. 4. de potent. art. primo.

Secunda sententia affimatiua est Alensis 7.met.t.8. Hērici quodlib.4. quæst.16. Scot.in 2. dist. 12. quæst. 1. & 2. cum quo communiter sentiunt Doctores ipsius fami liæ A.Andreas,Io: Canoni. Tromb.Barg. & alij, præterea eandem sententiam sequuntur Gab. Arim.& cæteri,qui nominalium apud multos nomine censentur in secundo loco citato, & ibidem Ricard. à Med.Vil.in eadem sententia sūt ex nostris Valentia in primam partem disputatio 3. quæst.2.punc.2.Tolet.1.Phys.quæst.13.Peteri. lib 5.cap.13 Fons.primo Met.Suares. tomo 1. disp.13 sect. 4. Ruuius. 1. Phys. Tractatu de materia quæst. 3 sed iam videndæ sunt primæ sententiæ rationes.

Et prima sit ex Arist. 5 Met.tex.15. forma est, quæ dat esse,ergo forma est, quæ dat existentiam;ergo materia ex se nō habet existentiam, secundo existentia est quidam actus; sed materia non est actu ex primo de generatione t.11. ergo materia ex se non habet existentiam. Confirmatur ex 5. Phys. tex.8. vbi Philosophus probat generationem non esse motum; quia quod mouetur est, quod generatur non est; vnde hæc subdit.hæc autem omnia incommoda, ex eo sequuntur,quod id,quod non est,moueatur, atq; etiam,si quid quid mouetur in loco est,id autem quod non est, in loco nō est,quippe quod alicubi esset;per quæ ver ba patet ex sententia Philosophi materiā nullam de se habere propriam existentiam, vt quæ de se neque est, neque est alicubi, si autem haberet existentiam alicubi esset.

Tertia ratio. actus existentiæ, cum sit actus substantialis,procedit ab essentia tāquam à causa emanatiua; sed ab essentia Materiæ,vt quæ est pura potentia,non potest procedere vllus actus; ergo materia de se non habet existentiam, probatur minor:quia pura potentia est ignobilior quocunque actu substantiali, sed à nulla causa potest procedere,vt à causa principali, & adæquata effectus nobilior; ergo existentia, quæ est actus substantialis nobilior materia non potest esse à materia, ac proinde materia de se nullam habet existentiam.

In contrarium pro secunda sententia af-

fir-

firmatiua pugnant hæ rationes. Prima ex Arist. Materia est substantia, ita 2. de anima tex. 37. Met. tex. 7. & 8. 8. Met. tex. 4. & 12. Met. tex. 14. & alibi; sed substantiæ conuenit habere existentiam per se, & nō per aliud; ergo materia de se habet suam existentiam. Confirmatur, quia intrinsecus modus substantiæ est subsistere; sed prius est aliquid existere, quam subsistere; ergo materia non potest habere modum, qui ipsi vt substantiæ conuenit, nisi habeat existētiam; ergo habet, quandoquidem non pōt carere modo per se standi, cum sit substantia.

Secunda ratio, ex tex 82. Materia est ingenerabilis, & incorruptibilis; quia tanquam subiectum supponitur cuicumque productioni; ergo non potest accipere esse, seu existentiam à forma.

Tertia ratio. quæ habet diuersam productionem, non habet eandem existentiā; quia vna quæque res accipit existentiā per suī productionem; sed diuersa est productio materiæ à productione formæ: quia productio materiæ fuit per creationem; productio formæ est per generationem; ergo materia habet diuersam existētiam, ab existentia formæ.

Quarta ratio. materia non potest accipere suam entitatem à forma; sed re idem est entitas materiæ cum sua propria existētia; ergo materia non potest accipere existentiam à forma, ergo habet à se ipsa; maior probatur, quia materia præsupponitur formæ, vt ex cuius potentia forma educi debet: minor supponitur ex Metap. ergo.

Quinta. Antequam forma actu sit, est materia; ergo per aliquam existentiam; quia existere est effectus formalis existentiæ; sed talem existentiam materia non potest habere ab eo, quod nondum est; ergo habet a se. Dices toto tempore antecedente productionem formæ genitæ, materiam habere existentiam a forma, quæ præexistebat; ab instanti autem generationis formæ habere à forma genita; sed contra. in illo instanti, in quo debet introduci noua forma in materiam, materia prius natura debet esse, vt quę in suo genere debet concurrere ad eductionem formæ illius. ergo per aliquam existentiam, non per existentiam acceptam à forma, quæ præcessit, & non est amplius, neque per existentiam acceptam à forma subsequente, quæ in illo priori nondum est; ergo per suammet existentiam.

Sexta ratio. Si materia in generatione acciperet existentiam ab illa forma, quæ fit, sequerentur multa inconuenientia, primum quod ipsa etiam materia fieret, quia illud fit, quod accipit existentiam. Secūdo quod causaretur à suo effectu, nempe à forma. Tertio quod causaret per illud ipsum, quod acciperet à suo causato, & consequenter, quod forma se ipsam causaret, quia quod est causa causæ, est causa causati. quæ omnia sunt absurda; ergo materia habet existentiam à se ipsa; primum absurdum iam probatum est, quia fieri non est accipere esse secundum essentiam, sed secundum existentiam, secundum essentiam enim res neque generantur, neque corrumpuntur, cum essentiæ sint æternæ; secūdum absurdum sic ostenditur forma materialis est effectus materiæ, quia educitur de eius potentia; sed eadem forma causat materiam; quia dat illi existentiam; ergo causaretur materia à suo effectu; deinde materia causat formam, quatenus subijcitur actioni agentis, & eam sustētat, sed habet existentiam à forma; ergo materia habet sustentare formam à forma, & consequenter per illud causat formam, per quod ab ipsa causatur.

Septima ratio. Si materia non haberet existentiam à se ipsa, sed à forma, sequeretur idem esse prius, & posterius secundum eandem rationem, & respectu eiusdem, quod implicat contradictionem, sequela probatur, quia ex deductis materia est causa, & effectus respectu eiusdem formæ, & secundum eandem existentiam, vt causa est prior, quia omnis causa saltem natura est prior effectu, vt effectus est posterior; ergo materia respectu formæ secūdum esse existentiæ est prior & posterior.

Pro solutione.

Notandum, quod materia cum sit primum subiectum, quod continet omnes formas materiales in potentia, impossibile est, quod accipiat existentiam à forma; nā cum existentia sit vltimus actus, per quem res ponuntur extra suas causas actu in mundo: necessario est ab illo, à quo ponitur

res extra causam suam, materia autem de potentia obiectiua, & logica, in qua erat antequam crearetur; facta est actu à Deo extrahente illam ex nihilo, ac proinde per creationem materia habet suam existentiam: nam pro vt facta est materia sine vllo subiecto, vt esset primum rerum omnium materialium subiectum, accipit aliquod esse, & existentiam in rerum vniuersitate, illam autem nunquam amisit, quia materia, cum non habeat contrarium, non potest corrumpi, & si corrumperetur, naturaliter redire non posset, quia à totali priuatione ad habitum non datur regressus, prætereàque toties corrumpi deberet, quoties nouæ fiunt generationes; necesse igitur est, vt suam existentiam à prima sui molitione ad hanc vsque diem semper seruauerit; sed considerandum est, quod cum existentia commensuretur ad esse rei, & esse materiæ sit valde imperfectum, vt nimirum potentiale, necesse est vt ipsius existentia sit imperfecta, & quasi potentialis, non potentialis in eo sensu, quod non sequatur materiam, & sit à forma, sed quod sit ordinata vlterius ad complendā cum existentia formæ vnam existentiam actualem, sicut ipsius esse ordinatum est ad complendum vnum esse cum forma; & quoniam forma est id, per quod expletur potentialitas materiæ, & vltimo completur existētia totalis totius constituti, ideo de hac loquendo non male dici potest, quod materia habeat existētiam à forma; at vero si sermo sit de existentia partiali, quæ est commensurata ad esse potentiale materiæ, hanc à forma habere non potest; quia cum aduenit forma, iam prius est materia, & amplius præcedens forma non est, vt per illam materia existere possit, nec vlla est ratio, ob quam cum desierit existere præcedens forma, desierit esse materia; quoniam materia millies corrumperetur, & generaretur, quod est inconueniens, & res de nihilo fierent, & agens non solum produceret totum producendo formam; sed vere totum produceret producendo vtramque partem compositotū. præter q̄ quod penitus corrueret causa, propter quam inuenta est materia à Physicis, & est posita primum subiectum generationis.

Quare.

Dicendum materiam de se habere suam propriam existentiam, patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. confirmatur. Sit v.g. producendus ignis ex ligno, in illo instanti, quo est producenda forma ignis ex ligno, non est amplius forma ignis, sed vel corrumpitur, vel corrupta est; ergo si materia existit per formam in eo instanti etiā materia non erit, sed corrumpetur, vel corrupta erit; ergo ex illa non poterit educi forma ignis: sed vt docet ratio, & experientia, educitur; ergo materia existit non per formam, sed ex se. Vlterius si materia accipit existentiam à forma non accipit proculdubio eandem à forma ignis, quam habebat à forma ligni; ergo accipiet diuersam saltem numero; sed quod existentia diuersum est, numero quoque diuersum est; ergo non erit eadem numero materia modo sub forma ignis, quæ erat sub forma ligni; ergo falsum erit, quod concedunt omnes Philosophi in generatione, & transmutatione terminum à quo corrumpi per aduentum formæ, subiectum vero manere idem sub vtroque extremo, cum non minus corrumpi debeat subiectum, quam corrumpatur priuatio; cum hoc tamen discrimine, quod priuatio non redit, redit autem subiectum, quod adhuc est difficilius, quia rediret sine producente, & fieret ex nihilo, ac proinde omnia in generatione naturali vere essent ex nihilo.

Ad rationes in contrarium. Ad primam respondeo dicendum, quod forma est, quæ dat esse; si tamen sermo sit de esse completo: dat enim esse hominem, esse Leonē, &c. quod habet, quia est vltimum constitutiuum, ac proinde dat essentiam completam, quam dicit hic homo hic Leo &c. & consequenter dat completam existentiam; cæterum loquendo de præcisa existentia, qua existit materia, hāc habet materia à se, vel potius hāc habet à suo efficiēte, à quo scilicet facta est in rerum natura; quoniam nullum esse creatum includit suam existentiam, quasi illa sit de quidditate ipsius, quia nulli naturæ creatæ essentiale est existere, vnde in hoc sensu creaturæ omnes existentiam habent ab alio, à sua scilicet

H causa

causa productiua, & primo principaliter ab Auctore Naturæ, à quo etiam ipsæ causæ sunt. Deus enim beatus, cui soli esse germanum, & natiuum est, vt qui ex se est sine vlla mutatione, & mutabilitate, in sua essentia includit summam actualitatem, & existentiam; at creaturæ omnes vtpote à primo esse participatæ, & nihil ex se, ex nihilo aliquo modo transire debent ad esse; vnde ab alio necesse est, vt accipiant existentiam; & quia nullus simpliciter dat existere ex nihilo, nisi qui ex se omne esse præhabens communicat esse, ideo simpliciter existentia rerum est ab auctore naturę; quoniam tamen res compositæ ita sunt extrinsecè ab efficiente, vt intrinsece formaliter coalescant ex partibus componentibus, idcirco loquendo de existentia cōpleta rerum compositarum hæc dici potest formaliter esse à partibus componentibus à materia, & forma, inter quas tamen forma, cū sit principalior, vt actus, & vltimū distinctiuum, & cōstitutiuum, habet principales partes, quare loquendo de existentia cōpleta formaliter hæc dici potest esse à forma primario scilicet, & principaliter. Ad argumentum autem in forma totum concedendum est, si sermo sit de esse specifico, & completo, & de completa existentia; totum negandum de esse, & in existentia incompleta.

Ad secundam respōdeo dicendum, quod existentia non est actus formalis, sed entitatiuus; materia autē dicitur non esse actu scilicet formali, quia non est forma, nec de se formam habet; sed est potentia susceptiua formarum, atque adeo potentia in ordine ad actum formalem; quare negatur consequentia. Ad Confirmationem respondeo dicendum, quod per non ens Aristoteles non potest intelligere non ens simpliciter, quia non ens simpliciter est nihil: sed debet intelligere non ens prædicamentale completum, quo pacto etiam materia definitur septimo met. tex. 8. quæ nō est quid, nec quantum &c. sicut ergo materia nō est ens completum; ita nullam existentiam completam habet, vnde, & nullibi dicitur esse, intellige determinatè; quia determinatio est à specie, atque adeo materia de se neque est sursum; neque deorsū; quoniam huiusmodi differentiæ loci proueniunt à speciebus sibi loca determinantibus; materia autem cum de se sit quid indeterminatum, ac proinde nec determinet sursum esse, nec esse deorsum de se bene dici potest nullibi esse. Dices neque formam esse ens completum, & tamen de illa dicit Aristotelis quod est, quod quid erat rei, & quidditas; ergo cum hoc negat de materia non intelligit de ente completo. Respondeo, & si neque forma est ens completum, tamē quia est id, per quod est proximè ens completum, ideo de ea dicit Philosophus quod est quidditas, & hoc negat de materia, quia ipsa est potētalitas solū, & inchoatio entis. Dices si hoc est dicere Aristot. subiectū generationis non esse, motus esse, erit dicere materiam non esse illud, quod generatur, quod est ridiculum. Respondeo sēsum Philosophi hunc esse subiectum generationis esse solum inchoationem entis, motus vero esse ipsum ens completū, quod per motum solum accidentaliter mutatur, cum subiectum generationis dicatur mutari simpliciter, quia per formam fit nouum verum ens, quod non contigit in motu.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod falsum est, quod existentia procedat quasi emanatiuè ab essentia; quia nulla essentia creata habere potest hanc vim, vt sibi faciat existentiam, quam tamen haberet, si ab ea existentia emanatiuè procederet, sicut habent ea, quæ per emanationem faciunt sibi aliquid, vt cum aqua reparat sibi frigus deperditum; vnde falsum est existentiam esse ab essentia, vt à causa effectiua; solum est ab essentia, vt à causa finali, cuius gratia est quodammodo existentia, & cui proinde debet esse proportionata; quare ad argumētum in forma negatur maior; ad illa vero, quæ ibi assumuntur dicendū existentiam non esse absolutè nobiliorem essentia; sed potius illi esse proportionatam; vnde actum imperfectum existentiæ, qualis est existentia materiæ, non excedere perfectionem potentiæ subiectiuæ, sed illi esse contemperatum, atque adeo finaliter esse posse à potentia subiectiua, vt à sua causa finali; efficienter vero fuisse à Deo, qui materiam produxit.

Obijcies ex Sonc. loco cit. primo omnis actualitas absoluta est ex se cognoscibilis quolibet alio circumscripto; sed materia non est cognoscibilis ex se, sed tantū per analogiam ad formā, vt dicitur primo

Phys.

Physic. ergò materia de se nullam habet actualitatē; & consequenter nec existētiā quia existentia est quædam actualitas; maior probatur, quia omnis actualitas quantumcumque imperfecta est ad aliquē gradum entis determinata, & per consequens aliquo modo potest mouere intellectum.

Respondeo dicendum, quod ex argumento solum sequitur materiam non esse actualitatem absolutam; non autem sequitur, quod materia non sit in rerum natura per suam existentiam: nam potentia existens non desinit esse potentia, nisi per potentiam intelligatur potentia, vt dicitur, obiectiua, nec sit absoluta actualitas, sed sit potentia existens: quare negatur consequentia; nam aliquid existēs potest non esse nobis ex se præcisè cognoscibile, quoniam essentialiter est ad aliud ordinatum, ac proinde, & ad aliud, vel per aliud cognoscibile, vt est materia prima: ad probationem maioris dicendum, quod si per actualitatem ibi accipiatur actualitas rerum, vt de facto in Mundo sunt, vere omnis actualitas est determinata ad aliquem gradum entis, quia quidquid est in Mundo est in aliqua specie substantiæ, vel accidentis: si vero soluantur res, & quæratur de ipsis principijs actu existentibus, non omnis actualitas in eo sensu est determinata ad aliquem gradum entis, sed solum est principium in suo ordine alicuius gradus entis.

Dices contra respōnsionem; etiam formam esse suum habet in ordine ad aliud, ac proinde, neque ipsa hoc modo erit cognoscibilis; cum tamen per Arist. sit contrarium, & forma vt actus cognoscibilis sit: materia vt omni actu carens nō sit cognoscibilis. Respondeo dicendum solum hāc esse differentiam, quod forma, vt actus cognoscibilitatem, quam habet in ordine ad aliud, à se habet, & transfundit in illud, in ordine ad quod est cognoscibilis; at materia, vt potentialitas cognoscibilitatem accipit à forma; vnde responsio bene valet in materia, nec potest habere locum in forma; quia licet in vno cōueniāt, in alio sunt oppositæ forma, & materia.

Obijcies secundo, si materia haberet existentiā sequeretur, quod quælibet substantia materialis secūdum se totam esset actus; sed hoc est falsum; ergo & illud, vnde sequitur; sequela probatur, quia quælibet eius pars esset actus, nam forma est actus, materia etiamsi præcisè existat est actus: ergo quælibet substantia materialis secundum se totam esset actus.

Respondeo dicendum, quod aliud est esse actu in rerum natura, aliud esse actū, quælibet substantia materialis, dum existit, est actu in rerum natura, ita vt singulæ ipsius partes actu existant; non tamen singulæ sunt actus; quia materia ex eo, quod per suam existentiam existit non fit actus, sed remanet potentia subiecta: quare negatur sequela, & ad probationem eius patet ex dictis.

Obijcies tertio. Materia sic est prope nihil, quod nihil ꝓpinquius ad nihil imaginari pōt: sed si aliquo modo esset actus possibile esset imaginari aliquid propinquius ad nihil; Pura si materia esset rātum potentia: ergo materia nullo modo est actus.

Respondeo dicendum, quod si in minori per actum intelligatur ipsa existentia, falsum est, quod imaginari possit aliquid propinquius ad nihil. Nam si intelligatur materia non existens, intelligetur nihil, sicut nihil sunt cætera omnia, quæ non sūt. Verum quidem est, quod nihil potest dici dupliciter. Primo de pura negatione, qualis est in ijs, quæ implicant. Secundò dici potest de talibus negationibus, scilicet de negationibus entium possibilium: si primo modo accipiatur nihil, potest imaginari aliquid propinquius ad nihil materia non existente, quia possunt imaginari Chimeræ, & alia implicantia, atq; impossibilia, quæ magis nihil sunt, quam materia non existens: si autem secundo modo accipiatur nihil, non potest quidquam imaginari, in genere substantiæ, quod sit ipsi propinquius, materia non existente, sicut forte non potest dari ens imperfectius materia, cuius negatio dicatur magis nihil.

Obijcies quarto de quolibet actu vere potest enunciari per propositionem de inesse, quod sit actus, dicendo, hoc est actus; sed esse actum, non potest vere enunciari de materia prima, quæ est pura potentia; ergo materia non est actus; ergo non habet existentiam.

Respondeo, dicendum, quod aliud est aliquid esse actum, aliud esse actu existēs,

de materia, quæ est pura potētia subiectiua, non obiectiua, non potest dici, quod sit actus, dici tamen potest postquā à Deo creata est, quod actu in mundo existat, etsi præscindamus formā. In proposito ergo: tota vis difficultatis consistit in æquiuocatione multiplici, quæ committitur in illo termino, actus, & actu: materia dici pōt esse actu, idest existens, non potest dici esse actus, neque esse in actu specifico, siue completo: quia materia neque est quid, neque quantum, neque quale, &c.

Obijcies quinto, si materia ex se haberet existentiam; ergo similiter etiam forma, & compositum, & in vno essent tria esse, seu tres existentiæ, quod videtur absurdum, siquidem vnius rei vnum est esse, vnaque existentia, sicut est vna res.

Respondeo dicendum, quod sicut non implicat res naturales, & compositas componi ex pluribus partialibus; ita non est inconueniens ipsarum existentias cōponi ex pluribus imperfectis, & partialibus: & sicut compositum non dicitur multiplex substantia; etiamsi ex multis substantijs partialibus coalescat; ita nec eius existētia dicitur multiplex existentia; tamen si de in de partiales existentias præscindamus, sicut & partes essentiales, & substantiales aliquando præscindimus, Sine inconueniē te dici debet in toto composito esse duas existentias partiales, & vnam totalem ex illis compositam, sicut in eodem composito sunt duæ substantiæ partiales, & vna totalis.

Art. 4. vtrum Materiæ concedi possit aliquis actus Entitatiuus.

ETsi ex proximè dictis hic iam solutus est nodus, idemque est apud Auctores cōmuniter Materiam habere aliquam suā existentiam, & habere, siue esse actū entitatiuum; quia hic actus entitatiuus aliud non est, quam entitas quæcumque tandem illa sit, actu existens in Mundo: tamē propter peculiares difficultates, & intelligentiam malam nonnullorum adhuc paululū in hac controuersia insistendum est. Nam quædam recens erupit sententia non parū absona, & absurda, atque principijs Philosophicis, Immo & fidei, possumus dicere contrariam; Hæc affirmat entitate vnū, & idem esse materiam, & formam, Quæ materia sit, prout pōt produci, siue prout potest in aliud permutari: Forma sit, vt producta, & actu est, compositum quid ponat vix potuit reperire. Verbo tenus illud componit, cum partes eius substantiales pessū re vera det, & de medio tollat, vt ex dicendis melius patebit. Huius inuēti magistri, ne patronis videantur destituti, ascribunt illam Aristot. S. Augustino, S. Thomæ, Commentatori, & alijs. Quod hi grauissimi Auctores subinde negent Materiam habere actum vllum, & habere solum concedant purum posse, atque esse puram potentiā. Ita Arist. pluribus locis, vt 7. Metaph. tex. 8 li. 1. phys. tex. 69. li. 8. Metap. tex. 3. vbi negās de materia quod sit hoc aliquid, de Forma tamen hoc concedit; cum tamen neque forma sit ens completum, vt proinde explicari nō possit hoc aliquid de ente completo, vt communiter explicatur. Præterea 8. & 11. Metaph. Aristot. ponit potentiam, & actum in omni prædicamento, sed in prædicamē to Accidentium non potest poni potētia, quæ sit aliquid distinctum ab actu, ergo vlterius 9. Met. tex. 13. 12. Metaph. tex. 32. Actus indeterminatus siue Vniuersaliter sumptus est prior potentia, determinatus vero est posterior: sed hæc saluari non possunt si Materia est actus entitatiuus, & existit, quia in sententia Aristot. erit ab æterno, ac proinde nullo modo erit posterior actu. Primo de Generatione tex. 28. confutantur dicentes id, quod augmentatur, augmentari ex certo corpore potētia, quod existeret in alijs corporibus, quia primo generatio existeret ex aliquo non corrupto: Secundo, quia cum ex aliquo generatur aliud, puta, aër ex aqua, tunc recederet aliquid ab eo, ex quo manente gene ratio fieret, nempe recederet Aqua ex illo potentia corpore perseuerante in Aere. Ex quibus concludit tex. 29. in hæc verba: Melius est ergo facere omnibus inseparabilem esse materiam, vt existentem vnā, & eandē numero, rōne autē nō vnā. Demū 2. de gener. tex. 30. refutat Aristot. ponētes pro materia corporum, corpus infinitum,

deſt vt exponunt Interpretes, indetermi- natum diuerſum à 4. elementis: at Mat. ſi eſt actus entitatiuus; erit eiuſmodi. Nec reſponderi poteſt philoſophos fuiſſe cõfutatos, quod ponerẽt corpus completum habens formam; quia ad hoc ipſum conatur eos deducere Ariſt. Hæc ferè ipſi ex Ariſt.

Ex S. Aug. 1. adducunt illud lib. 12. Cõfeſ. cap. 10. vbi S. doctor ait; Docuiſti me Domine dicere, quod priuſquam iſtam informem Mat. formares, atq; diſtingueres, non erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non tamen omnino nihil. Addunt illud ex cap. 6. vbi dicit S. Doctor ſe quandoque non bene cogitaſſe de Materia, quia cogitabat aliquid, quod non careret omni forma, ſed comparatione formoſiorum erat informe; ſed vera ratio, inquit, ſuadebat, vt omnis formæ qualiſcumque reliquias detraherem, ſi vellem prorſus informe cogitare, & non poterã, citius enim non eſſe credebam, quod omni forma priuaretur, quam cogitabã quiddam inter formam, & nihil, nec formatum, nec nihil, informe prope nihil. Et paulo poſt ait, mutabilitas rerum mutabiliũ capax ipſa eſt formarum omnium, in quas mutantur res mutabiles. Quod volunt eſſe, dicere apertè ipſam puram potentiam id eſſe, & non eſſe inexiſtentem rebus corruptibilibus, non vt ſubiectum formarum diſtinctum ab ipſis, ſed identificatum cum ipſis formis, ſolumque formalitate diuerſum, eſſe materiam. Quod confirmant, quia ſubdit Auguſt. quod ſi dici poſſit, diceret eam nihil aliud eſſe (interpretantur ab ijs formis, quas de ipſa negauerat) & non eſſe; id vero dici non poſſe, quia iam vtrumque erat, vt ſpecies caperet iſtas viſibiles. Et cap. 8. Illud inquit totum prope nihil erat, quod formari poterat. cap. 29. Materiam vult eſſe vt ſonum, ex materia formatum vult eſſe, vt cantum, qui ſono eſt poſterior ſolum origine. Et quia non tantus ait formatur vt ſonus fit, ſed ſonus formatur vt cantus fit, ſic eſt prior materia, quam id, quod ex ea fit, hoc exemplo qui poteſt, intelligat, inquit, materiam rerum primò factam eſſe, & appellatam Cœlum, & Terram; quia inde facta ſunt Cœlum, & Terra, nec tempore primò factam. Ita Aug. Ex hoc inferunt ipſi ſic. Si dediſſet materiæ aliquẽ actum entitatiuũ, vt Scotus, non negaſſet prius tempore factam, cum tamen ſupponat non potuiſſe fieri prius tempore. Addunt his, maximè ex 7. lib. de Geneſi, vbi de anima rationali quærit, vtrum facta fuerit poſt ſextum diẽ Creationis rerum ex nihilo, an ex aliqua materia, quæ iã fuerit, & alia huiuſmodi.

Pro ſolutione.

Notandum, quod ex duplici cap. haberi poteſt reſolutio huius quæſtionis. Et primò quidẽ ex improbabilitate opinionis, quam affingunt tantis doctoribus. Secũdò vero ex verbis, & doctrina ipſorum. Et quoad primum conſiderandum eſt, quod Auguſt. qui tam impensè laudat Deum, qđ ipſi cognitionem materiæ impertiuerit, in qua antea tantum ſe elaboraſſe fruſtra profitetur, & Ariſtot. qui & ipſe tam deſudauit in Materia prima inueſtiganda, non potuerũt pro materia accipere illud, quod cuique obuium eſt, quodque ferè magis notum eſt apud Idiotas, quam apud Sapientes. Nam ſi materia prima nihil aliud eſt, quam iſta rerum corruptibilium conditio, qua vnum deſinit & aliud fit, ſiue ipſum poſſe deſinere vnius, & aliud ipſi ſuccedere; quis adeò rudis eſt in populo, qui hoc neſciat, cũ id oculis quotidie videat? cur ergo tot ſapientum dictorum virorũ conatus in eruenda è latebris materia prima, ſi nihil hæc eſt, niſi potius hæc impotentia, quam potentia, qua durare nõ poſſunt res corruptioni obnoxiæ? Quidque admirabilitatis habet ſcire v. g. in ligno præter eſſe ligni, ſiue præter formã ligni, quod in idem recidit per aduerſarios, qui in compoſito ſolum formam agnoſcunt, neque volunt quidquam aliud in eo eſſe præter formam, ſcire inquam, hanc eſſe potentiam, verius dixeris, impotentiam, & miſeram conditionem ligni, vt poſſit deſinere eſſe, & ipſi toti corrupto ſuccedere poſſit aliud, quod tamen nihil ipſius accipiat: certè ad hæc intelligenda, non multum laborandum eſt, & niſi verba ſummi illi viri, dare nobis voluerunt, ineptè ſatis cartas & libros impleuerunt, cum tribus verbis totam controuerſiã tranſigere poſſent. Inhoneſtè igitur faciunt, qui tam abiectè ſentiunt de tantis Viris, & bonam ipſorum

ſerum fidem in tradendis diſciplinis, ſic calumniantur. Vidit ergo Auguſtin. vidit Thomas, vidit Ariſtot. materiam primam eſſe aliquid, & compoſitum Phyſic. verè eſſe compoſitum, & iſtam compoſitioné eſſe rerum, non verborum vnde & Subſtã tiã diuiſit Ariſtot lib 2. de anima, tex. 2. in materiam, formam, & compoſitum, tanquam in res, non tanquam in conceptus: nam ex iſta diuiſione oſtendit poſtea animam non eſſe corpus, ſed eſſe actum, ſeu formam corporis organici, quod oſtendere non poſſet ſi diuiſio ſubſtantiæ, ex qua oſtendit, non eſſet diuiſio in partes realiter diſtinctas, materiam ſcilicet, & formã. Patet hoc etiã apertius ex tex. 24 vbi colligens dicta, habet iſta verba. Anima vtiq; ratio quædam erit, & forma, ſed non vt materia, & ſubiectum. Tripliciter. n. dicta ſubſtantia, ſicut diximus, quarum hæc quidem forma, illa vero Materia, alia autem ex vtriſque, harum autem, materia quidẽ potentia, forma autem actus, quoniã quod ex vtriſque animatum; non eſt corpus actus animæ, ſed ipſa corporis cuiuſdam, &c. vbi etiam cum dicat corporis cuiuſdam, oſtendit alia eſſe corpora, quæ ſe habent ad ſuas formas, ſicut corpus organicum ad animam; imò idem non vno loco, ſed vbiq; clamat corpus eſſe aliquid realiter præter animam, & animam continere corpus, ipſumque formare, viuificare, & in ipſo eſſe vnde motus, cuius gratia, rationem, ſiue ſpecificã determinationé, & quidditatem; & hæc vere eſſe, & realiter, non verbaliter, & voce tenus, quod cõtingeret, ſi vt iſti dicunt anima eſſet tota ſubſtantia viuentis, nec corpus quidquam ſubſtantialiter diceret præter animam, vt ipſi concedunt. Quod cum non poſſit eſſe, nec tam ſapientes viri exiſtimare poterant. Nam quomodo in homine anima ſit ſubſtantialiter caro, & caro ſubſtantialiter nihil aliud ſit præter animam, cum anima ſpiritualis ſit, & attingat gradum immortaliũ, vt eius operatio manifeſtat, caro materialis ſit, & corrumpatur? quis hactenus ex dictis Viris dixit ſubiectum animæ, ſiue corpus, nihil aliud eſſe, vt dicunt ipſi, quam quantitatis, & accidẽtium aceruum; & in morte hominis nihil ſubſtantiale perire, ſed animam ſolam, quæ totus homo realiter, & ſubſtantialiter ſit, relinquere illa accidentia; cumque vbiq; Ariſtot. accidentibus ſolum tribuerit ineſſe, vbinam, & in quo ſubiecto hæc ipſi ſtatuunt, qui ponunt potius ea ſubiectum formæ, ſiue ſubſtantiæ, quæ idem eſt apud ipſos? peccant & in illo, quod tollunt omnem actionem Phyſicam.

1. de aĩa text. 92. li. 2. tex. 4. 5 6. 7. 8. & ſequẽtib' texr 39. eſt vn. de motus, &c.

Nam quomodo hæc ſit in ſubiecto, ſi per ipſos nulla eſt Forma recepta? ſin vero eſt aliqua forma recepta, aſſignandum eſt certe aliquod ſubſtantiale ſubſtratum, quod ipſam recipiat, quia accidentia per ſe ſola hoc non præſtant, cum & in ſubiecto potius ipſa ſint, quam ſubiectum; quia & ineſſe, ipſorum eſſe eſt, non ſubeſſe. Quod ſi velint vnumquodq; ſimplex ſubſtantiale quatenus determinatum eſſe formam, quatenus determinabile eſſe materiam; & in hoc errant toto cœlo; quia non eſt determinabile, quod ſimpliciter, & totaliter perit ad poſitionem in eſſe eius, a quo dicunt eſſe determinabile. Fieri præterea, apud ipſos, rerum Phyſic. idem eſt cum creari, ſolumque in eo inueniunt diſcrimen, quod illud eſt ſecundum ordiné rerum, creari præter ordinem, ideſt ſecundũ ipſos vere ad deſitioné ligni fit ignis, in quo nihil penitus eſt ex illis, quæ erant in ligno, non magis quã eſſet, ſi Deus igné de nihilo crearet; tamen illud creari non eſt, quia Deus ſtatuit, vt Ignis ſic fiat, quæ eſſet creatio, ſi ſic non ſtatuiſſet: Vnde concedunt conſequẽter conuerſionem, quantumcumque miraculoſam, non differre à generatione naturali, niſi quia illa eſt præter ordinem, quem conſtituit Deus. Qui ſanè ipſorum philoſophandi modus, non ſolum repugnat doctrinæ peripateticæ, ſed quòd deterius eſt euertit infallibilem fidẽ noſtram. Nam quis ipſis credet corpus humanum eſſe, vel ſolam animam, vel certe non eſſe quidquam ſubſtantiale præter animam, & teneat illud ſymboli. Sicut anima rationalis, & caro vn' eſt homo, ita Deus & homo vnus eſt Chriſtus? & illud. Perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens? quis rectè de animæ immortalitate ſentiat, qui animam cõfundat cum carne, & idem velit eſſe cum corpore? quis tranſubſtantiationem in Sacramento credat, qui cum ipſis illud conflatũ accidentium Panis dicat eſſe materiam? Vbi iſti ſaluabunt creationem animarum

ratio-

rationalium, si in re apud ipsos inter generationem formarum,& creationẽ, discrimen non est? & ambæ vere subiectum non habent, sed tota sunt rei substantia, illudque dicitur creari,quod fit præter ordinem consuetum naturæ, illud generari, quod fit secundum ordinem consuetum. ?? iam vbi inuenient hoc discrimen in forma hominis? cum hæc non minus ordinariè fiat,& secundum naturæ ordinem,quã at forma equi; vel alterius animantis. Ita ue falsa erit doctrina hæc de creatione a- imæ rationalis,quæ communis est in tota cclesia, & altioribus veritatis fundata rincipijs,quam ut possit conuelli. Præte- ea vbi erit generatio viuentium, in qua liquid generantis est in genito? si genitũ hil prorsus est aliud substantiale, quam rma quę fit,& forma est tota substantia? bi erit apud ipsos resurrectio mortuorũ, præter animã in homine nihil aliud est? uid enim tunc resurget? certè de acciden- bus resurrectio non dicitur. Adde quod cidentia præterita,magna ex parte in re rrectione non restaurantur: Quoniam ua fiunt corporum accidentia, qualia licet illum decent statum, secundum il- d Apostoli, seminatur in corruptione, rget in incorruptione,seminatur ĩ igno- itate,surget in gloria,seminatur in infir tate,surget in virtute. Quare repudie- r hic modus philosophandi, & a verita- & a peripatetica doctrina alienus,& sic ncludamus. Dantur veræ actiones, & mæ receptę,ergo verè datur subiectum quod de genere substantiæ. Inest vera s,& potentia in vno quoq; cõposito phy. ad generationẽ alterius ex ipso,quę cũ n possit esse in forma,quæ magis ad hoc ugnat, erit in aliquo alio ipsius præter mã, quod est materia, quæ proinde erit ncipium transmutationum, vt ex quo. generatione Viuentium,aliquid viuen- est in genito;ergo neque genitum, neq; nerans est sola forma, sed cum forma teria,& subiectum de genere substãtię. mo ex vera philosophia, & doctrina lesiæ verè est substantialiter composi- ex anima rationali, & carne; ergo ani- non est tota substantia hominis, sed ter animam,corpus,& materia. Ani- rationalis non fit ex semine, cœteræ næ substantiales animalium fiũt ex semine, ergo in semine vera materia est eductionis formarum. Agere, & pati rerum physicorũ arguunt in ipsis duo principia non solum voce,& conceptu,sed re ipsa,ergo præter formam datur primum subiectum, quod est materia. Demum in rebus Phys.corruptibilibus datur vera substãtialis cõpositio, in qua materia est vera pars id proclamante Aristotile, & disertè bis in tex 66.lib 3 Phys.cuius ea sunt. Pars .n. materia totius est,sicut æs statuæ, & paulò post. Materia enim est pars totius,quemadmodum Cuprum est pars statuæ Cupreæ, igitur materia non est realiter forma, sed aliquid ab ea distinctum. Sed iam ad propositam controuersiam.

Dicendum si Materiam esse actum entitatiuum sit Materiã verè esse in rebus Physic.aliquid distinctum à Forma, & non solum per conceptum,Materia, & per S.Augustinum,& per S.Thomam, & per Aristotilem,atque adeo per omnes rectè sentientes habet actum entitatiuum, nec vllo modo sustineri potest sine manifesto errore entitate idem esse materiam, & formam, & distingui solo posse modo explicato a dictis recentioribus. Patet conclusio ex dictis,& confirmatur ex illis ipsis,quæ adducuntur in contrarium. Nam purum posse, quod concedunt Materiæ grauissimi illi Doctores August.Thom.,Aristot. aliquid in subiectis Phys. ponit præter Formam, quæ vt determinatio, & actus, non est capax huius puri posse. Dici quidem possit formam corruptibilem habere posse ad nõ esse;dici tamen non possit formam in quocumque tandem conceptu habere posse ad esse aliam formam, puta formam ligni ad esse Ignem, quia potius hoc ipsi repugnat, vt proinde aliud à forma sit principium, quod huius puri posse capax est. Vnde dicit Phyl.1. de generatione tex. 51. Proprium est formæ agere, sicut Materiæ pati.Si autem re idem esset forma, & materia,proprium formæ esset vtrumque. Et tex.4.eiusdem libri,illa verba habetur. Et hoc rectè dicit Diogenes,quod si non esset ex vno omnia, non esset facere, & pati ab inuicem,vt calidum infrigidari, & hoc calefieri rursus;non enim transmutantur caliditas,& frigiditas in se inuicem,sed manifestum est,quod subiectum.Quapropter in quibus est facere, & pati necesse est horum

rum

rum vnam subiectam esse materiam. Hæc Aristoteles, quę vt patet, satis apertè ingu lant oppositam opinionem, & eodem lib. text. 55. ait. Ignis igitur habet in materia caliditatem; si autem aliqua esset separata caliditas, hæc nihil vtique pateretur. Non igitur in forma esse illud posse, & pati, quod ponunt esse materiam, sed aliquod formæ substratum, re distinctum à forma. Secus enim quomodo distingueret Aristoteles formam separatam, & non separatã? & quomodo in forma non esset illud posse, & pati? Nam eo loci Aristoteles nõ loquitur de caliditate, vt de accidẽte Ignis, sed vt de forma illius, sicut semper in dictis libris, quæ fuit causa, vt aliqui Peripateticorum putarint præter has qualitates, non esse alias formas elementorum. Sed veniamus ad solutionem oppositorum.

Aristoteles negat Materię omnem actũ, verum est, & bene; quia cum solũ cognouerit Materiam vt in ordine Physico est, consequenter omnem actum attribuit formæ: quamquam si de hoc præcisè sermo sit, de quo controuersia est, non est putandus Aristoteles in cõtrarium, vt ex doctrina illius manifestum est.

Locis citatis negat materiam esse hoc aliquod, quod concedit aliquo modo de forma: bene, quia forma est, qua vnaquaque res est hoc aliquid, non materia, vt proinde materia nõ possit esse hoc aliquid, possit esse in aliquo vero sensu forma. Vnde bene negatur de materia, quod sit hoc aliquid completum, non tamen sicut negatur de forma. Nam de forma hoc negatur quatenus in hoc aliquid completum ingreditur etiam materia, de materia negatur, & quia hoc aliquid cõpletum ingreditur forma, & hoc ipsum est à forma proximè, & determinatè, non à Materia, quæ de se non magis facit hoc, quam illud 9. Metaph. & 12. Actus prior est potentia, verum est, quia esse potentia etiam si verè sit, respicit tamen actum, vt id, per quod potest esse, quod est potentia, ac proinde semper respicit actum, vt se natura priorẽ, maximè cum in toto ente, quod est potentia debeat esse ab eo, quod est actu; ac proinde indeterminatè quod est potentia, posterius est eo, quod est actu, & determinatè hoc potentia respicit vt prius hoc actu, & simpliciter, quod est potẽtia illud, quod simplex est actus, saltẽ natura etiã facta suppositione, quod vtrumque sit ab æterno, quia quod est potentia expectat actum ab eo, quod est actu: determinatè tamen hoc actu posterius est hoc potentia si factum est ex eo, quod erat potẽtia, quo autem in vtroque prædicamento sit potentia, & actus, patebit infra. Primo de generatione Aristot. negat augmentum fieri ex certo corpore potentia, quod existeret in alijs corporibus, non negat tamen fieri ex aliquo principio corporis, quod vult simpliciter de se esse vnum, ratione autem non vnum, quia à pluribus formis trahitur ad plura esse: imò doctrina Aristotelis de augmentatione non subsistit, si re, idem est materia cum forma, vt vult opposita opinio, quia tunc augmentum non fieret ex alimento, sed post illud, quod erat alimẽtum; quia nihil quod erat in alimento esset in aucto. Itaque illa, quæ nobis opposita sunt, dicit Aristot. ad tollendum corpus quod ponebant antiqui, vt statuat materiã quæ corpus non est, sed principium corporis, & solum cum forma corpus, iuxta quẽ sensum, etiam tex illo 3. lib. 2 de generatione refutat ponentes pro materia corporum, corpus infinitum. Nec cõtra est, quod Aristoteles conetur deducere antiquos ad hoc ipsum inconueniens ponendi corpus incompletũ pro principio materiali; quia & hoc inconueniens est: quoniam entia naturalia non componuntur ex entibus completis, sed ex principijs entis completi, videlicet ex potentia, & actu, vnde absurdũ est ponere pro principio materiali ens cõpletum, cum solum poni debeat potentia, siue Materia, vt ponit Aristoteles, qui proinde lib. 1. Phys. tex. 82. concludens definitionem Materiæ, dicit, illam esse primum subiectum, ex quo fit aliquid, cũ insit, quod verbum temere à Philos. positum non est, illud enim posse, quod secundum oppositã opinionem erat in forma corrupta non inest, neque ex eo inexistente fit, quod generatur, sicut neque forma, quæ fit de nouo constituit nouum ens, tãquam per aliquod subiectum, per posse, quod in ipsa sit ad aliud esse.

Iam ad Augustinum: verba ipsius tam apertè clamant contra ea vsurpantes in cõtrarium sensum, vt ad eos confutandos satis

tis

is sit illa legere. Quid enim est mate-
iam informem antequam illam forma-
et,& distingueret Deus non fuisse aliquid
idelicet non colorem, non figuram, non
orpus nec tamen omnino nihil, nisi mate-
iam esse aliquid re à forma distinctum,
am si nihil distinctum est & realiter for-
na est antequam Deus illam distingueret
& formaret, siue formas procrearet, ne in
erum quidem natura vllum erat posse, ni-
i per non repugnantiam, & in poten-
ia obiectiua vt dicunt, siue Logica ac pro-
nde tunc verius dixisset Augustinus mate-
iam fuisse nihil, siue tunc non fuisse peni-
us. Nam solum illud posse tunc posset di-
i non esse omnino nihil, cum positæ sunt
ormę in esse, in quibus sustententur, an-
e vero omnes formas nihil omnino est,
cuti cœtera possibilia, vt proinde sal-
ari non possit sensus verborum S. Docto-
is, si materia nihil aliud est prçter posse
ormę ad aliud esse, siue verius dixeris ad
num non esse, quandoquidem ex ceno
liud non fit sine formę destructio-
e.

Alia eiusdem Augustini verba ex cap.
. non video quomodo accommoda-
i possint ad confundendam materiam
um forma, si aperte dicit Augusti-
us se male aliquando cogitasse de mate-
ia, quòd cogitaret aliquid formatum
ec omni forma carens, cum cogitare de-
eret aliquid carens omni forma, non om-
ino nihil, sed quiddam inter formam, &
ihil; nam si re idem est materia,& forma,
b conceptu tamen diuerso vt ipsi ponunt,
erum non est materiam esse aliquid ca-
ens omni forma, quo enim pacto carere
otest omni forma, quod forma est. Addo
uod eodem cap. August. habet illa ver-
a quæ tollunt omnem scrupulum. Inten-
i in ipsa corpora, eorumq; mutabilita-
em altius inspexi, qua desinunt esse, quod
uerãt,& incipiũt esse quod non erant, eũq;
ransitum de forma in formam per infor-
ne quiddam suspicatus sum, non pro om-
ino nihil; sed nosse cupiebam, non suspi-
ari. In quibus verbis agnoscit ex trãsmuta
ione corporum primum subiectum quod
areat omni forma non tamen vel nihil
t, vel sit identificatum cum forma,
t patet. Quod si addamus locum ex lib. de
de,& symbolo, Cap. secundo non erit cur
iam dubitemus de mente S. Doctoris ibi
autem ista habet. Quapropter rectissime
credimus omnia Deum fecisse de nihilo,
quia etsi de aliqua materia factus est
mundus, eadem ipsa materia de nihilo fa-
cta est, vt ordinatissimo Dei munere pri-
ma capacitas formarum fieret ac deinde
formarentur quęcumq; formata sunt. Itaq;
materia quidem est capacitas ac pura po-
tentia, sed inexistens rebus & non solum
ad non esse, sed ad esse: illud vero posse
in ipsa forma quod ponunt esse mate-
riam: solum est ad non esse, quia non ac-
tuatur in genito, sed solum fuit in cor-
rupto, cum quo perijt; quia nihil eius re-
manet, ne fundamentum quidem; nisi
forte dicere velint remanere per ęquiua-
lentiam, quod tamen solum semper est ad
non esse, nec ad recipere vt vult Augusti-
nus, qui vult materiam recipere species i-
stas visibiles, & per species formari. Nec
exemplum illud de sono, & cantu est
in contrarium, nam similitudo in eo
est, quod sicut sonus est quodammodo
quid infiguratum, quod recipit harmo-
niam,& figurationem per cantum; ita ma-
teria recipit formam, & per illam forma-
tur; non tamen si idem est sonus, & can-
tus, idem erit materia, & forma, cum
illud tunc non disputet S. Doctor. sed
vel it tantum ostendere qua prioritate ma-
teria prçcesserit formas. Prçterquam
quod satis exploratum est in exemplis
non esse requirendam omnimodam veri-
tatem, sed similitudinem in eo, ad quod
afferuntur. Nec valet illud, quod si essent
distincta materia, & forma, non negas-
set August. materię prioritatem tempo-
ris; nam si putauit August. materia sub
formis factam esse, certe non prçcessit ma-
teria formas tempore, sed origine solum.
Vltima illa, quę adducunt ex quęstioni-
bus illis tractatis à S. Doctore illis locis
vim non habent in contrarium vt patebit
consideranti.

Iam quod S. Thomas vbiq; agnoscat
materiam distinctam à forma, manife-
stius est, quam vt verti possit in contro-
uersiam, cum ne vlla quidem pars do-
ctrinę ipsius constet sine ista distinctione.
Nam quando vnquam confudit corpus
cum anima maximè in homine, cùm etiã
ostendat, vt postea patebit, ne essentiam

quidem hominis esse à sola forma, vt dixerunt aliqui? quando negauit, compositionem realem ex substantijs potentia, & actu in rebus Phys. vt quid disputaret de resurrectione, & identitate corporum resurgentium? & alia eiusmodi innumera, quæ si forma realiter idem est cum materia, frustra quærentur, & nullum locum relinquit disputationi.

Et aduerti debet, quod eludi hæc non possunt introducendo in animatis formas mixtionum, siue partiales pro materia, quia S. Doctor tales formas non agnoscit, & putat, in composito plures formas substantiales repugnare.

Restaret Auerroes, cuius auctoritas etsi tanti nobis non est, vt de illa maximopere curandum putemus, tamen & com. 18. lib. 12. Met. quo aduersarij nituntur, pro nobis est, vt legenti liquido constare potest, & com. 63. lib. 1. Phys. expresse reijcit illorum placitum, ne dicam somnium, dicens: quod autem indiuiduum substantiæ scilicet compositum ex materia, & forma fit, & transmutatur secundum totũ de non esse ad esse sine aliquo deferente transmutationem, impossibile est omnino, nisi nõ esse indiuidui compositi mutaretur in esse indiuidui substantiæ compositi (quæ est expressa sententia aduersariorum,) quam ita putat esse falsam, & impossibilem, vt subdat, & morari in hoc est superfluum. Et tex. 56. eiusdem libri. Genitum inquit est ex materia per se cum sit pars eius; ex priuatione autem est aliquid per accidens, cũ non remaneat, ita quod sit pars generati. Ita Auerroes. Inueniant nunc quomodo posse fieri ignem ex ligno sit pars ignis geniti, & remaneat in igne genito ex ligno, vt pars eius. Multa alia ex isto auctore possent adduci, quæ passim apud eum reperiuntur, & maxime quæ habet contra creationem 8. Phys. & alibi; sed conclusio nostra ijs non eget, & auctoritas eius tanti nobis non est. Et de hac controuersia satis &c.

Art. 5. Vtrum materia in sua essentia includat aliquem actum, nempe Entitatiuum.

PRima sententia, quæ vult de essentia materiæ esse actum entitatiuum his videtur probari rationibus.

Prima illa quæ sunt in potentia ad omnem actum prorsus nihil sunt; sed materia non est nihil, sed aliquid; ergo non est in potentia ad omnem actum: ergo in sua essentia includit aliquem actum, hic autem non potest esse alius, quam entitatiuus; quoniam actus entitatiuus est, qui includitur in entitate, quam necessario dicit materia, ex eo quod non est nihil; ergo materia in sua essentia includit actum entitatiuũ.

Secunda materia secundum se est substãtia ex secundo de anima capite primo, & 7. met. ca. 3. vbi & id probat Philosophus, quia secus nihil esset; nam non esset aliquid ex alijs prædicamẽtis, ac proinde vel nihil esse debet, vel substantia. Et item ait Philosophus, materia substantia est; nã si hæc non est substantia, quæ alia est, fugit nos, demptis enim cœteris, nihil aliud remanere videtur, &c. materia ergo secundum se est substantia, licet non perfecta, & solum inchoata: Ergo secundum se est actu ens: sed non potest esse actu ens sine actu entitatiuo, à quo ens actu dicitur: ergo materia quidditatiue est actus entitatiuus.

Tertia ratio. Materia ponitur, vt sit primum subiectum omnium mutationum: Ergo præsupponitur ad omnes mutationes; sed præsupponi non potest, nisi ratione suæ actualis entitatis: ergo de sua ratione materia dicit actualitatem entitatis, siue actum entitatiuum.

Sententia negatiua primæ contraria negat actum entitatiuum esse de essentia materiæ, in qua concordant multi ex illis, qui materiæ dant actum entitatiuum, cum illis qui materiæ omnem actum negant.

Et probatur his rationibus.

Prima ideo ponitur in materia actus realis

ealis entitatiuus, quia est entitas actualis, ealis, extra causas: sed hæc ratio non est ufficiens, ergo non bene in materia poniur actus entitatiuus. Minor probatur prino quia ex 5. Met. Tex. 14 & lib. 9. Tex. 1. ns reale, & quod est extra suas causas pri na diuisione diuidi debet in actum, & po entiam, sub potentia autem est materia: icut sub actu forma; ergo datur aliquod ns reale, quod est extra suas causas, vt est ssentialiter potentia, non actus; non igiur actus esse potest de essentia materiæ.

ecundo quia materia nullam habet actua tatem, & specificam determinationem ni per formam; ergo essentia ipsius in hoc onsistit, vt sit potentia ad formam: non er o includit actum.

Secunda ratio ens incompletum nullam abet specificam differentiam; sed est prinipium entis completi; sed principiorum ntis completi substantialis alterum est otentia, alterum est actus: actus vero est orma: ergo materia erit potentia: non gitur potest materia in sua essentia includere vllum actum.

Pro solutione.

Notandum quod actus maxime dicitur upliciter secundo de anima cap. 1. primo icitur de ipso esse rei, & dicitur actus pri us. Secundo de ipsa operatione rei, & citur actus secundus. Si ergo primo odo spectatur notio actus apparet actum ci de eo, quod habet proprium esse deerminatum, & vltimo constitutum, quale t specificum, & indiuiduale, vnde nomé ctus perpetuo excludere videtur potenalitatem, & indeterminationem, ac prode si per actum entitatiuum accipiamus ntitatem determinatam, completam, & ltimo in mundo constitutam, nomé actus titatiui materiæ conuenire non potest: d tamen aduertendum est, quod illud, uod in aliquo ordine determinatum non t, potest tale esse in alio ordine, vt æs, uod in genere artificiatorum nihil est de rminate, sed artificiata potentia; in gene tamen entis naturalis est ens determina m, ac proinde non potentia, sed actu est. ateria igitur considerari potest, vel in or ne ad entia completa, & perfecta, quæ oprie extra sunt, & non inchoationes en tis, & certum est sic acceptam materiam es se puram potentiam, & nullum dicere actum. Considerari deinde potest materia in ordine ad purum non ens, vel ad illud ens, quod adhuc est in causa, siue in potentia obiectiua, & logica, & secundum hanc considerationem materia est actu ens, cum esset ens tantum potétia antequam a Deo produceretur, nec solum est actu ens, idest habet actu existentiam, sed etiam est actu ens, quod cótradistinguitur à nihilo, quod est aliquo modo habere existentiam actualem entitatis. Sed rursum considerandum est, quod actus entitatiuus dici potest de eo, quod in se actu habet esse, & entitatem ex se summe actu, ac proinde sub ratione entis dicit omnimodam actualitatem, excludentem potentialitatem, & in hoc sensu actus entitatiuus non solum dici non potest de materia; sed neque de forma creata & composito; sed solum dicitur de primo ente, in quo est esse ex se, & summe actu, non vero aliunde. Quare actus entitatiuus prout dicit perfectam actualitatem in genere entis non potest dici de materia prima; sed neque dici potest de ea, vt dicit ens completum, & determinatum secundum aliquod esse, sed solum dicitur quatenus accipitur pro entitate actuali, quæ cótradistinguitur ab entitate in causa, vel in potentia obiectiua; sed quoniam esse entitatem extra suas causas, & extra potentiã obiectiuam non est de essentia vllius creaturæ, ideo habebit quidem materia actum entitatiuum, sed actus entitatiuus non erit de illius essentia. Sed iterum aduerti debet, quod cum quærimus vtrum actus entitatiuus sit de essentia materiæ, quæstio dupliciter procedere potest. Primò quidem, vt esse actu in mundo sit de essentia materiæ, & iam dicendum est non esse: secundo autem quæstio erit, vtrum materia in suo conceptu veram dicat entitatem siue existat, siue non existat, quod est quærere vtrum in sua essentia materia dicat actũ entitatiuum, quodammodo in actu signato, non exercito. idest vtrum dicat esse illud, quod si a Deo pducatur exister in mũ do per entitatem vere actualem, & existẽtem de se, non vero per existentiam acceptam aliunde, & tunc quæstio coincidit cũ ea, quæ supra soluta est. Attamen quia quæsitum magis priorem illum sensum facit, quam

quam hunc, ideo.

Dicendum actum entitatiuum dici quidem posse aliqua ratione de materia, sed non essentialiter. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur. Quia illud est de essentia, sine quo res non potest intelligi; sed sine actualitate entitatis intelligitur materia prima, sicut & omnis alia creata natura: Ergo non est de essentia materiæ primæ. Vlterius illud est de essentia materiæ primæ, per quod materia distinguitur à forma, & per quod illi correspondet, vt cum ea faciat vnum; sed hoc est pura potentia informationis. Ergo.

Ad rationes primæ sententiæ quatenus facere possunt contra conclusionem.

Ad primam respondeo dicendum, quod actus non simpliciter opponitur ad nihil; nam siue accipiamus purum actum, qui est Deus, non habet pro opposito nihil, cum dentur creaturæ, quæ non sunt nihil, & tamen non sunt puri actus; siue accipiamus pro actu informante, vel etiam pro actu entitatiuo, illud, quod opponitur actui, non est nihil, cum detur quasi medium potentia: solum actus entitatiuus acceptus pro vera entitate contradistincta à ficta, vel impossibili opponitur ad nihil, quo sensu concedimus materiam dici posse actum entitatiuum, & etiam esse de essentia ipsius, acceptum tamen in actu signato, non in actu exercito, quia essentiæ creatæ abstrahunt ab existentia, sed tunc est dicere ens reale acceptum in tota sua latitudine esse de essentia materiæ. Quare in forma ad argumentum neganda est maior, nisi hoc vltimo modo accipiatur.

Ad secundam, & tertiam rationem patet ex dictis.

Art. 6. vtrum per diuinam omnipotentiam materia existere possit sine forma.

Negatiua sententia est illorum, qui negant materiam habere vllam propriam existentiam, & præterea Ægidij cap. 1. & 2. sui exameron Herue. quod lib. 6. qu. 1. S. Bonau. in 2. dist. 12. art. 1. qu. 1. Zima. Theor. 15.

Affirmatiuam defendunt Ricard. in 2. dist. 12. q. 4. & alij superiori articulo citato pro secunda sententia, nec non Sotus primo Phys. qu. 6.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima implicat esse aliquid in rerum natura sub determinato genere, quin sit sub determinata specie, vt quod sit animal aliquod, & nec sit rationale, nec irrationale: sed si materia per se existeret sine vlla forma esset aliquid sub determinato genere puta corporis, vel substantię, & nō esset sub vlla determinata specie: Ergo materia per nullam potentiam potest per se existere.

Secunda ex Dur. sicut se habet esse accidentale ad formam accidentalem, ita esse substantiale ad formam substantialem: sed nullo modo fieri potest, vt aliquid habeat esse accidentale sine forma accidentali, puta quod aliquid sit album sine albedine: Ergo fieri non potest, quod aliquid habeat esse substantiale sine forma substantiali, quod tamen eueniret, si materia esse posset sine forma. Ergo.

Tertia ex eodem Dur. materia secundum se est pura potentia, actus autem materiæ est forma: Ergo si materia esset actu sine omni forma sequeretur, quod esset actu sine omni actu, quod implicat contradictionem: sed si materia esset per se, esset actu: Ergo sine vllo actu esset actu. Ergo.

Quarta ex eodem esse existentiæ, vel est idem, quod essentia rei, vel aliud: si sit

si sit idem actualis existentia erit idem, quod essentia, quæ est actus, & forma: potentialis vero existentia erit idem cum essentia, quæ est potentia, siue materia: completa vero existentia erit idem cum essentia completa, quæ est compositum: Tunc sic procedit argumentum: Materia non potest existere sine actuali existentia; quia oppositum implicat contradictionem; Sed forma est essentialiter actualis existentia: Ergo materia non potest existere sine forma: si vero esse existentiæ sit aliud ab essentia idem sic probatur. Esse existentiæ, vel est substantia, vel accidens, si sit substantia, cum non sit materia, neque compositum erit forma, & sic idem quod prius: si vero sit accidens adhuc idem sequitur; Quia omne accidens absolutum est quædam forma; & sic semper implicat contradictionem, quod materia existat sine omni forma.

Pro contraria sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima prorsus opposita sic. non implicat contradictionem materiam existere sine omni forma: sed quod non implicat contradictionem potest fieri à Deo: Ergo per diuinam omnipotētiam potest materia existere sine omni forma. Probatur maior. Quia materia, si non est merum nomen sine re, sed est aliquid in rerum natura, est aliqua entitas distincta a forma: Ergo ex eo quod talis entitas præcise à Deo conseruatur, non sequitur vlla contradictio: sequeretur enim contradictio si ex suppositione conseruationis esset aliquid, & non esset aliquid, & fieri entitas materiæ esset entitas formæ: nam de existentia modo quærimus ... Ergo.

Secunda, potest Deus cum ignis agit in lignum, in ligno corrupta forma ligni, nō concurrere ad eductionem formæ ignis: Ergo in eo casu manebit materia sine forma. Antecedens patet, quid enim cogit Deum, ne in eo casu suum concursum suspendat, cum libere agat? Consequentia probatur. Quia tunc ex vna parte nihil est, quod materiam corrumpat: ex alia materia habet aliquod esse distinctum à forma ligni. Ergo sub illo Deus conseruare poterit materiam sine vlla forma.

Tertia ratio, per diuinam potentiam accidens potest esse per se sine subiecto: Ergo multo magis esse poterit materia sine forma. Antecedens patet in Eucharistia. Consequentia probatur. Quia magis quo ad existentiam accidens dependet à subiecto, quam materia à forma; Quoniam illius esse est inesse seu inexistere; huius esse est per se existere, & formam materialem potius sustentare. Dices cum Durādo vbi supra, magis dependere materiam à forma, quam accidens à subiecto; Quia materia est pura potentia. Sed contra, quia vel pura potentia excludit omnem entitatem, & omnem actū entitatis, vel solum excludit actum formalem: si primum materia erit nihil; si secundum; Ergo sicut materia de se habet aliquam entitatem substantialem, quæ est principium substantiæ completæ, de se in dato casu habebit existere multo magis, quam accidens, quod cum sit entis ens petit inexistere in alio.

Pro solutione.

Notandum quod propriè controuersia non habet locum in potentia Dei; nam Dei potentia nulla ex parte limitata est, vt ipsi aliquid possit esse difficile, vel impossibile; tota ergo controuersia in eo vertitur, vtrum implicet contradictionem materiam existere sine forma; implicabit autem contradictionem, si forma sit essentialiter existentia materiæ; quia existere cum sit habere existentiam, implicat habere existentiam, si hæc est forma, & non habere formam; Vnde existere sine forma erit existere sine existentia, ac proinde non existere, quæ sunt contradictoria. Considerandum igitur est, quod existentia sequitur entitatem, & essentiam prout terminat actualem influxum suæ causæ effectiuæ, ita vt impossibile sit causari effectiue, & non accipere existentiam in mundo. Materia igitur si quam habet de se entitatem, vt certe habere debet, nam si entitatem habet à forma, vel habet in genere causæ formalis, vel effectiuæ: non formalis; quia impossibile est potentiam formaliter esse potentiam per actum; non effectiuæ: quia materia præcedit formam,

&

& forma antequam esset causaret sibi suũ efficiens, per quod acciperet esse, quæ sunt absurda manifeste. Materia igitur non habebit suam entitatem à forma, sed neque habebit in forma, cum ipsa potius sit subiectum formæ. Restat igitur, vt materia de se habeat suam entitatem, per quam præsupponitur formæ; sed entitas non est sine existentia; quia nulla entitas terminat productionem suæ causæ, & fit actu in mundo, cum antea actu non esset, sed in potentia causæ, esset nisi per existentiam: Sequitur igitur, quod materia de se habeat aliquam existentiam: si autem de se habet existentiam, licet hæc sit ordinata ad formam, à Deo tamen conseruari poterit absque eo, quod actu cum forma sit; Quia hoc nullam dicit repugnantiam, & contradictionem: & quod non implicat contradictionem cum sine scrupulo cōcedi debeat Deo, qui potest facere supra id, quod intelligere possumus, & cui non est impossibile omne verbum, vt testatus est, qui ipsum optime nouerat Archangelus, ideo, simpliciter.

Dicendum posse à Deo conseruari in mundo materiam sine vlla forma, siue substantiali, siue accidentali. Patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ; Quia solum Deo denegatur id, quod implicat contradictionem, non quasi aliquid non possit Deus, qui cum sit fons totius esse, & vis infinita, totum esse habet sibi subiectum, & in sua potestate; sed quia quod implicat cōtradictionē se ipsum destruit, & dicit non esse, ac proinde tollit esse: ad non esse autem non requiritur vis & potentia; vnde non est intra obiectum potentiæ: cum ergo materiam sine forma existere non implicet contradictionem, poterit hoc fieri à Deo, vt obiectum comprehensũ intra latitudinem suæ potentiæ infinitæ.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod maior procedit de genere completo, non de genere incompleto, quale esset si darentur per se entia incompleta: Nam tunc, sicut genus non esset proprie genus, & esset quid incompletum, ita & eius species; immo nec in eo casu erunt genera, vel species. Nam si ponamus, quod vna sit materia secundum se omnium materialium, illa nullum fundare poterit genus. Patet quia ex ea abstrahi non poterit vlla conuenientia generica, vnde non habebit speciem, cũ species coalescat ex genere, & differentia. Quare in forma ad argumentum, ad maiorem dicendum est illam procedere de genere, & specie completa: Minor est simpliciter neganda; quia materia solum est principium substantię, siue corporis in suo ordine, non substantia, siue corpus, nisi dicere velimus, quod in eo casu materia posset fundare genus quoddam incompletum substantiæ per ordinem ad formã, sub quo esset proxima ipsius species, quæ esset substantia potentialis, nisi forte detur alia materia à sublunari, specie ab ipsa diuersa: nam tunc substantia incompleta potentialis esset genus, sub quo essent duæ species, substantia potentialis corruptibilis, & incorruptibilis, & sub substantia potentiali corruptibili esset, vt indiuiduum hæc materia sublunarium.

Quare nulla est consequentia.

Ad secundam respondeo dicendum, non valere illam propositionem: Quia esse substantiale materialium coalescit intrinsece, & essentialiter ex duobus, non vero esse accidentale; Quare non est eadem ratio, ac proinde negatur maior.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod materia est pura potentia, non quocumque modo, sed subiectiua, & forma est actus ipsius non quicunque, neque existentię, sed informans; ac proinde falsa est illa consequentia, quæ solum valeret si poneremus materiam sine forma existere actuatam, & formatam in certa specie completa; Quia tunc vere sequeretur contradictio, & existeret materia actu sine actu.

Quare negatur consequentia.

Ad quartum respondeo dicendũ, quod esse existentiæ siue ponatur, idem re cum esse essentiæ, siue diuersum, quod non sequitur, quod infertur: quia si sit idem cum essentia materiæ, non cum essentia formæ; nec facieda est vis in istis nominibus actualis,

tis, & potentialis: Nam existentia, quæ est idem cum essentia potentiali materiæ, non est existentia potentialis; Quia existentia potentialis est rei adhuc existentis in causa, non in se, qua existentia dici potest existere rosa in hieme; at existentia materiæ, licet sit entis potentialis, cum tamen sit entis potentialis non logicè, sed Physicè, idest entis de cuius ratione est, etiam dum actu est, esse potentiam, & primum subiectum formarum physicarum; ideo non est existentia potentialis intransitiuè, sed transitiuè, idest potentiæ subiectiuæ, ac proinde cum hoc, quod sit potentialis transitiuè, esse poterit actualis intrãsitiuè, sicut è contra existentia, quæ est à forma, est transitiue, & intransitiue actualis.

Ad argumentum ergo materia non potest actu existere sine actuali existentia accepta existentia actuali transitiue, negatur maior; non potest existere sine actuali existentia intransitiue, transitiue potentiali, conceditur maior, sed tunc negatur minor; quia forma est dum est actualis existẽtia transitiue, & intransitiue; materia existens solum actualis intransitiue, & transitiue potentialis idest entis potentialis, potentialis quidem non ad suum existere, cũ iam facto est, sed ad existere in ente completo, & formato forma, ac per hoc facto hoc aliquid.

Ad secundam partem argumenti nõ est quod respondeamus; Quia si existentia nõ sit idem re cum essentia, erit modus ipsius, non accidentalis, sed substantialis; quia sequetur entitatem essentiæ, ac proinde etiã ad essentiam incompletam materiæ sequetur suus modus existendi incompletus, qui non erit forma, vt forma contradistinguitur à materia, sed forma erit, vt forma est quid latius patens, & opponitur ad potentiam logicam, vel obiectiuam illius, quod non est in se.

Obijcies ex S. Thoma prima parte que. 45. art. 1. terminus creationis est ens actu, ipsum autem, quod est actus, est forma: dicere igitur materiam præcedere sine forma, est dicere ens actu sine actu, quod implicat contradictionem; Ergo ex S. Tho. & eius ratione implicat contradictionem materiam existere sine forma, sed quod implicat contradictionem non potest fieri à Deo: Ergo per diuinam potentiam materia non potest sine forma existere.

Respondeo dicendum, quod aliqui volunt S. Doct. loqui de actu essentiali completo, & specifico, non de actu existentiæ incompletæ, ita vt velit non potuisse materiam in principio mũdi duratione præexistere sine forma; Quoniam cum creata sunt elementa, non fuerunt elementa nisi per formam, & sic de reliquis? vnde implicat contradictionem in principio creationis fuisse materiam sine forma, cum terminus creationis sit ens completum, quæ expositio confirmari potest: Quia S. Thomas quę 4. de potentia art. vlt. vult materiã non posse existere sine forma: Quoniam quidquid est in mundo est actu per formam, actu scilicet completo, & specifico. Vlterius vult S. Doctor materiam non posse esse sine forma; quia nihil est in genere, quod non sit in aliqua specie, quæ etiam procedunt de ente completo. Prętere a ex prima parte que. 45. art. 1. creatio est totius subsistentis; nam ibi ad Secundũ vult, terminum creationis esse totam substantiam rei, quod etiam docet ar. 4. corpore. Quod ergo dicit fuisse impossibile creari materiam sine forma, intellexisse videtur de creatione, qua ponitur in esse id, quod perfectum est secundum modum operandi Dei, cuius perfecta sunt opera. Et hæc quidem iuxta piam supradictorum explicationem.

Atq; ex dictis habetur non solum per diuinam potentiam materiam existere posse sine forma substantiali, sed etiam sine forma accidentali; nam si materia existentiam non habet à forma substantiali, multo minus habebit ab accidẽtali, cum magis accidens existere habeat à substantia, cui inesse debet: Vtrum autem cum sola forma accidentali esse possit materia negat cum alij. Dur. vbi supra, cuius rationes sunt. Prima. Quia impossibile est aliquid actu existere, & carere actu sui generis. Secunda. Quia ex materia & forma, quæ primo illi aduenit semper fit vnum per se ex materia autẽ & forma accidentali non potest fieri vnum per se, ac proinde forma accidentalis nõ potest primo materiæ aduenire; sed necessario supponit aduenisse formam substantialem. Maiorem probat Dur. Quia vbi non est nisi vnus actus, ibi non est nisi simpliciter vnum. Hæc ille sed ad primam iam

patet

patet ex dictis materiam sua existentia partiali non existere existentia formæ, ac proinde in eo casu futurum, vt existat existentia sui generis. In secunda illud aperte falsum est, quod ex eius positione sequitur, non esse discrimen inter formam substantialem, & accidentalem, nisi quod forma substantialis sit prima, quæ aduenit materiæ; Nam siue prius siue posterius accidentale forma substantialis adueniat materiæ, semper forma substantialis est distincta ab accidentali, & semper cum materia facit vnum per se, quod non potest facere vlla forma accidentalis quocumq; tandem tempore materiæ adueniat: Et sane si materia per ipsum non habet vllam existentiam, si ex alia parte accidentis est ex communi doctrina in subiecto inexistere; Quia eius esse est inesse. Quomodo cum materia accidens faciet vnum per se; etiamsi per impossibile ante formam substantialem adueniat materiæ, cum tunc nullum ante formam sit existens, nec etiam post positionem formæ accidentalis in materia existens sit, cum materia non existat, & hæc forma; quia esse ponitur habeat solum inexistere, quod proculdubio præsupponit aliquid per se existens, in quo existat. Quare se destruunt illa, quæ assumit Durandus, & pugnant cum doctrina eius de existentia materiæ, vereq; censendum est per diuinam potentiam esse posse materiam cum sola forma accidentali per illam, quam ei dedimus existentiam, nec tunc futuram accidentalem illam formam substantialem, sed remansuram in suo ordine, et à materia sustendandam.

Art. 7. Vtrum materia separata ab omni forma existere possit naturaliter, & quo cōcursu Dei indigeat.

Non solum posse existere, sed de facto etiam extitisse probabile putauit Marsi. in 2. quæ. 8. ar. 2. qui voluit esse probabile eam in principio mundi creatam fuisse sine omni forma & in 3 q. 13. ar. 1. vuult in corpore Christi domini mortui fuisse sine omni forma substantiali in triduo. Posse autem existere videtur consequens in sententia quæ dat materiæ actum Entitatiuum. Contraria sententia negatiua est cōmunis in schola S. Thomæ.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima materia non recipit existentiam à forma; Ergo si forma spolietur; sine illa existet. Patet consequentia; Quia vna quæque res, quæ suam peculiarem habet existentiā. Ea existere potest, cum ad existendum nō requiratur nisi existentia.

Secunda si materia spoliata forma debet corrumpi, a quo corumpetur? non à cōtrario; quia non habet contrarium: non per defectum dispositionum; Quia ad existendum nō alia dispositione indiget materia, quam sua existentia, quam habet etiam sine forma, vt probatum est; non igitur corrumpetur ac proinde naturaliter existet.

Pro Contraria sententia sunt hæ rationes.

Prima ab Auctoritate philosophi Secun. do phy. Tex. 12. & 4. phys. Tex. 59 materia enim separabilis non est à corporibus & primo. de gener. Tex. 31. & 39. idem docetur.

Secunda, agens naturale non expellit formam à subiecto nisi introducat dispositiones connaturales formæ generandæ; sed ad introductionem dispositionum necessario consequitur noua forma: Ergo materia naturaliter esse non potest sine forma.

Tertia, materia est quid essentialiter imperfectum; sed nihil esse potest sine eo, à quo dicit essentialem dependentiam: Ergo materia naturaliter esse non potest sine forma.

Pro Solutione.

Notandum quod quæstio plures potest habere sensus: nam aliud est quærere. Vtrū naturaliter materia existere possit sine forma idest vtrum separari possit ab omni forma & sic existere & hoc modo certum est naturaliter materiam non posse existere sine omni forma. Quia nunquam vnam formam relinquit quin suscipiat aliam & hoc probat secunda ratio secundæ sententiæ. Sensus secundo esse potest. Vtrum si materia siue naturaliter siue supernaturaliter separetur

pareretur ab omni forma existeret naturaliter. Quod adhuc potest intelligi dupliciter. Primo vtrũ existeret secundum ordinẽ naturalem causarum secundarum. Et certum est in eo casu quod materia non existeret naturaliter. Quia cursus causarum secundarum postulat vt materia sit cum sua forma. Secũdo intelligi potest: Vtrum necessario corrumpi deberet materia, ita vt esse non possit, nisi illi daret Deus maiorem aliquem concursum ad existendum, & de hoc est difficultas. Et quidem in sententia illorum, qui materiæ omnem negãt existentiam, certum est, quod non existeret, sed deberet corrumpi: in sententia autem illorum, qui posuerunt illam creatam in principio mundi, sine forma existeret naturaliter: At secundum illos, qui volunt secundum cursum naturæ materiam omnino esse debere cum forma, nec aliter esse posse: in eo casu considerandum est, quod materia spoliata forma nihil aliud amittit, quam illud, quod habet à forma; solum autem à forma habet esse specificum, & completum, nec non existẽtiam huic esse proportionatam, suum vero esse incompletum, & partiale, similemque existentiam à forma non habet; Ex quo fit, vt materia in eo casu existere deberet: Sed tamen in contrarium est, quod neque forma suam existentiam habet à dispositionibus, & tamen naturaliter sine dispositionibus, esse non potest, ita vt corruptis dispositionibus necesse sit materialem formam corrumpi.

Quare.

Dicendum materiam sine omni forma naturaliter existere nõ posse, nisi Deus suppleat dependentiam naturalem, quam habet à forma. Patet ex modo dictis à simili de forma: nam forma à dispositionibus formaliter non habet existentiam. Et tamen naturaliter non potest existere sine omnibus suis dispositionibus, nisi hoc suppleat Deus: Ergo & materia etiamsi existentiam non habeat à forma, ab illa separata naturaliter existere non poterit, nisi Deus suppleat dependentiam, quam habet ad illam. Hoc autem supplementum forte non est ullus maior concursus, sed solum nouum illud decretum Dei efficax, quo velit sic manere materiam, cum ex decreto, quo constituit res naturales, eo pacto manere non debeat; sed vel suscipere formam, vel abire in nihilum. Quare sufficienter videtur posse existere materiam sine omni forma ex eo, quod Deus velit sic illam existere, cum in materia nihil de nouo addi debeat. Neque est simile de accidentibus sine subiecto; nam ad hoc, vt ista sic existant, debet Deus supplere concursum subiecti, vel dando illis modum aliquem de nouo, vel certe id supplendo effectiue, quod non est in casu nostro; Quia materia à forma non pendet vt à sua causa, sed vt à concausa, cum qua debet vnum constituere. Et per hæc patet ad quæsitum.

Ad rationes pro prima sententia, quantum faciunt contra conclusionem. Ad primam respondeo dicendum, quod ad hoc vt materia naturaliter existat, non sufficit, quod suam existentiam habeat ex se, & non à forma; sed vlterius requiritur, vt sit sine dependentia naturali ad formam, quod cũ non habeat, non poterit naturaliter existere sine forma; hęc autem dependentia in materia est ex natura rei ipsam semper debere esse cum forma, vt quid ad ipsam ordinatum.

Ad secundam respondeo dicẽdum in eo casu debere corrũpi per subtractionẽ concursus primæ causæ, vt forte corrumpitur forma in subiecto, cum non habet amplius suas dispositiones.

Ad rationes secundæ sententiæ. Prima quidẽ & secunda potius probant materiã nõ posse naturaliter separari ab omni forma, quam sic separatam non existere. Tertia vero probat separatam non debere existere; sed ad hoc vt existat suppleri debere à Deo dependentiam ipsius ad formam; Quæ quidem dependentia in aliquo sensu dici potest essentialis, quatenus scilicet est rei diminutæ, & ordinatæ ad existendum cum forma: non est tamen essentialis, quasi terminus huius dependẽtiæ sit intrinsecum constitutiuum materiæ.

Obijcies existẽtia formæ est perfectior existentia materiæ; sed forma cum sua existentia non potest existere sine peculiari Dei concursu, quo suppleat dependentiam, quam habet à materia: Ergo neque

materia separata à forma existere poterit sine peculiari Dei concursu, quo suppleat dependentiam materiæ à forma. Respondeo dicẽdum, quod existentia formæ considerari potest dupliciter primo in ordine ad materiam præcise, & tunc falsum est, quod existentia formæ sit perfectior existentia materiæ, cum existentia formę materialis sit quodãmodo inexistentia. Secundo considerari potest in ordine ad totum, & tunc existẽtia formæ est perfectior existẽtia materiæ; Quia existẽtia formæ in toto cõplet ipsũ totũ, materia solũ inchoat.

Art. 8. Vtrum materia sit substantia aliqua perfecta.

IN sententia affirmatiua multipliciter peccatum est. Nam aliqui antiqui, vt est apud Aristotilem primo metaphysicæ sum 2. cap. 1. existimarunt materiam esse substantiam quandam perfectam ingenerabilem, & incorruptibilem, quæ nullius formæ substantialis subiectum sit, sed tantum accidentalis, ideoque res non fieri, nec mutari substantialiter, sed tantum accidentaliter, vt cum Socrates fit Musicus, ita illi, si eos tamen fideliter retulit Philosophus. Aliqui alij eo stoliditatis peruenerunt vt assererent materiam primam esse Deum, ita ex Alberto Alexander quidam Epicuræus, qui dicebat omnia esse essentialiter Deum, & formas esse accidentia imaginata, & non habere vere entitatem; idẽ censuit ex D. Thoma quidam Dauid de Dinanto motus hoc sophismate. Si Deus & materia prima non essent idem, distinguerentur, & sic non essent entia simplicia, sed composita.

Sententia Peripatetica, & communis negat materiam esse perfectam vllam substantiam. Probatur his rationibus. Prima omnis perfectio est à forma; sed materia non est forma; Ergo materia non est substantia perfecta. Maior probatur. Quia omnis perfectio est actus, actus autẽ forma est. Minor patet: Quia materia contradistinguitur à forma.

Secunda si materia esset substantia perfecta frustra mutaretur ad formas substantiales. Sequela probatur. Quia materia non debet appetere formas substantiales, & ad illas mutari, nisi vt acquirat aliqua perfectionem substantialem: si autem materia de se esset substantia aliqua perfecta, cessaret hic finis, ac proinde materia non appeteret formas substantiales, & ad eas non mutaretur.

Tertia ex substantia perfecta non fit cõpositio cum alia substantia, nisi per accidens: sed ex materia & forma substantiali fit vnum per se: Ergo materia de se non est substantia perfecta.

Pro solutione.

Notandum quod vnaquæque res eaten' habet perfectionem, in quantum est actu: Nam homo est perfectus, quando actu adeptus est illam staturam, robur, sapiẽtiam, & virtutes, quæ hominem decent secundũ suam naturam: idem dicitur proportionaliter de plantis, & alijs viuentibus spectatis singulis iuxta propriam naturam: Pari modo in generibus accidentium, illud est exem. Gratia lucidum perfectũ, & candidum perfectum, & sic de reliquis, quod perfecte possidet formam lucis, & candoris, vt proinde in tota natura, quo plus res de actu participant, quem aptæ natæ sunt habere, eo sint perfectiores. Considerandum igitur est, quod materia cum sit in potentia ad omnem actum, vt ostendit transmutatio tum accidentalis, tum substantialis, & quidem potentia sit de genere substantiæ; Quia hæc sola est potentia ad omnem actum (substantiæ enim accidens est, quia entis ens, non substantia accidentis) necesse est, vt in eodem genere imperfecta sit.

Quare.

Dicendum materiam non esse substantiam perfectam. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur; eo res est imperfectior, quo magis recedit à primo perfecto, & prima regula perfectionis: sed materia maxime recedit à primo perfecto, & prima regula perfectionis, qui est Deus; Deus siquidem ita est actus, vt nihil participet de potentia actui opposita materia, vero, ita est potentia informationis, vt in se nullum includat actũ infor-

informantem, ac proinde omnibus modis formabilis, & determinabilis: Erit igitur materia substantialiter imperfecta.

Ad primam opinionem antiquorum patet ex transmutatione substantiali materiã esse subiectum formarum substantialium: aliud enim est generari ignem, aliud quid fieri frigidum, vel calidum, vel album, vel nigrum, vel aliter accidentaliter mutari: debet ergo in generatione ignis produci aliquid aliud præter accidentia; hoc autẽ erit forma substantialis. Erit igitur materia subiectum formarum substantialium, ac proinde licet de se sit ingenerabilis, & incorruptibilis. Erit generabilis per accidens ratione formarum, de se autem erit substantia incompleta substantialiter ã forma perfectibilis; vnde res naturales per formas vere distinguentur inter se essentialiter.

Ad secundum errorem patet satis ex naturali lumine muscam, vermes, & cœtera creata non esse essentialiter Deum, cum essentia Dei in se includat omnem perfectionem, & id sit Deus, quo nihil melius, nihil pulchrius, nihil perfectius, cum sit substantia sine fine infinita, sine vlla varietate immutabilis, sine vllo defectu omni bono ditissima, sibi sufficiens, & se perfecte contenta, atque beata, nullis circumscripta locorum finibus, omnia potens &c. quæ communicare muscis, & alijs huiusmodi quisquilijs est egregie insanire. Ad Sophisma Dinanti dicendum, quod etiam simplicia inter se distinguuntur, non vero solum cõposita.

Obijcies, illa substantia non potest esse imperfecta, quæ continet in se res omnes generabiles; huiusmodi est materia prima: Ergo materia prima non potest esse substantia imperfecta. Maior patet: Quia quo res plures continet perfectiones, eo est perfectior. Mi. probatur: Quia formæ omnes generabiles, & corruptibiles educuntur de potentia materiæ: Ergo in illius virtute continentur. Respondeo dicendum, quod multiplex est continentia; alia enim est continentia formalis, qua res est in actu, & hæc dicit perfectionem; alia est continentia virtualis, & eminentialis, & hæc quoque dicit perfectionem; quia dicit actum perfectiorem ipsamet perfectione formali: Et hoc pacto Deus habet omnia creata in se: Quia ea in se habet in esse intellectiuo, & spirituali, sine mutatione, & defectu: cum res in se corruptibiles sint & materiales, mutabiles, limitatæ, & defectibiles.

Tertia continentia est passiua, qua aliquid accipere potest actum ab extrinseco; & hæc non dicit perfectionem, sed imperfectionem: neque enim aeris perfectio est posse suscipere lumen, nisi quatenus talis potentia includit aliquem actum, vt perspicuitatem; sed potius est imperfectio; Quia est carere perfectione. Ita in artificiatis non est perfectio pilei, vel calcei capere posse pedem, vel caput; sed illud habere; nec præcise maior est perfectio aceõmodari posse pluribus pedibus, quam vni, cum hoc sæpe dicat imperfectionem. Cum ergo capacitas, & continentia materiæ sit passiua, non actiua, neque formalis; Ideo potius imperfectionem dicit, quam perfectionem. Et per hæc patet ad argumentum.

Art. 9. Vtrum Materia sit essentialiter corpus.

Sententia affirmatiua est Iacobi Zabarellæ lib. 2. de materia prima cap. 17. qui confitetur non grauate hanc suam sententiam videri nouam, & discedere à communi, & recepta maxime his temporibus; conatur tamen eam fulcire aliquibus antiquorum auctoritatibus.

Contraria sententia negatiua est communis, quæ vult materiam primam solum esse partem & principium corporis.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima corpus, quod est summum genus in prædicamento substantiæ, debet esse vniuocum ad omnia corpora specifica: omne enim summum genus est vniuocum ad sua inferiora, vt patet ex prædicamentis: sed corpus non potest esse vniuocum, nisi materia sit vere corpus: Ergo materia essentialiter est corpus. Minor probatur: Quia omnis ratio vniuoca sumitur ab aliqua natura simplici, quæ participatur eodem modo ab inferioribus: Ergo & gradus corporis debet sumi ab aliqua natura simplici, quæ eodem modo reperiatur in

omnibus inferioribus. Antecedens patet inductione. Nam ratio, propter quam viuens dicitur vniuoce de suis inferioribus est anima vegetatiua, quæ participatur ab illis omnibus: Ratio propter quam animal in omnibus animalibus vniuoce reperitur est anima sensitiua, quæ in illis omnibus est, & sic de reliquis: Sed ratio corporis est vniuoca: Ergo debet dicere aliquam naturam, quæ in omnibus inferioribus, in omnibus scilicet corporibus eadem sit; hæc autẽ cũ nulla forma sit, vt melius patebit, cum ostendetur nullam dari in materia formam corporeitatis; Erit consequenter materia, ac proinde materia erit essentialiter ratio corporis, siue corpus, quo omnia corpora constituuntur.

Secunda ratio. Si materia non esset corpus, neque etiam forma esset corpus: Ergo neq; compositũ esset corpus: Quia corpus non est tale, nisi quia vel per formam, vel per materiam sit tale; materia autem si essentialiter corpus non est, sicut & forma, corpus consequenter non constituit; Quia nihil dat quod non habet.

Tertia ratio. Materia est trinæ dimensionis principiũ: Ergo materia essentialiter est corpus. Probatur consequentia: Quia principiũ corporis Mathematici est corp⁹ Physicum; id enim est corpus Physicũ, cui conuenit trina dimensio: sed materia est illa, cui conuenit trina dimensio, ergo materia est essentialiter corpus.

In contrarium pro sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima ab auctoritate Philosophi, qui cũ tradidit diuisionem corporum nunquam meminit materiæ primæ, tanquam ea sit corpus. Patet ex 2. Physicorũ initio, primo cœli. Tex 6., & 34. Tertio cœli Tex. 52. & alibi; ne ergo manca, & imperfecta sit diuisio Aristotelis asserẽdũ est secundum Aristotelem materiam de se non esse corpus. Dices materiam non esse corpus specificum; sed genericum, ac proinde fuisse suppositum, vt diuisum, non vt species aliqua, vel aliquod membrum diuidens. Contra est; Quia non datur genus nisi cõtractum ad aliquam speciem: patet: neque enim est aliquod animal cõmune secundum rẽ, quod non sit hoc, vel illud animal specificũ. Pari modo, neq; dari debet corpus, quod nõ sit simplex, vel mixtũ. Cõfirmatur ex primo cœli Tex. 6. omne corp⁹ vel est simplex, vel est mixtum: materia de se neq; est corpus simplex, neq; mixtũ: Ergo non est corpus. Minor probatur. Materia non est corpus mixtũ, vt certũ est; sed neq; est corpus simplex, Quia ex loco citato omni corpori simplici debetur aliquis motus simplex: non est autem assignate quis motus conueniat materiæ, vt sic.

Secunda si materia de se esset corpus, vt sic siue essentialiter, cętera corpora essent species illius: sed neq; ignis, neq; terra &c. species sunt illius corporis, quod est materia: neq; materia prędicatur in quid de istis corporibus: Ergo materia nõ est essentialiter corpus: Confirmatur ex cõment. 7. met. com 43. & 9. met. com. 12. quæ est etiam doctrina Aristotelis pluribus locis; materia non prædicatur nomine principali, sed denominatiuo; at si esset essentialiter corpus prædicaretur de qualibet specie corporis in quid, ac proinde diceretur animal est materia, lapis est materia &c.

Tertia illud, quod est essentialiter corpus, est adæquata ratio trinæ dimensionis in illo; corpus enim mathematicũ est passio corporis Physici: sed materia per se solam non est adæquata ratio trinæ dimensionis, quæ est in corporibus: Ergo materia non est essentialiter corpus: Minor patet in igne, & in alijs corporibus; nam cum ignis in eadem materia diuersam extensionem habeat, ac haberet materia illa cum erat sub forma aquæ, proculdubio diuersitas illa extensionis non proficiscitur ex materia; Sed ex forma; ac proinde materia non est adæquata ratio trinæ dimensionis, quæ reperitur in corporibus: & consequenter nec est de se essentialiter corpus; quandoquidem opposita sententia hoc habebat pro fundamẽto, vt patet ex tertia ratione.

Pro solutione.

Notandum, quod hoc est proprium principiorum componentium, ita per sui compositionem constituere aliquid tertiũ, vt ipsa principia per se non sint illud. Patet hoc primum in artefactis; ita enim tabulæ componunt lectum, & pedes ac fulcra componunt sedem, vt neque tabulæ lectus sint, nec pedes sedes. In natu-

aturalibus etiam ita forma leonis consti
it leonem, vt ipsa tamen non sit leo; idē
pparet in compositis accidentalibus: ne-
ue enim albedo est album, neque lac, sed
rumque, albedo scilicet in lacte: cum er-
o hoc sit perpetuum in principijs compo
entibus, valere id quoque debet in ma-
ria prima, quæ si vllum est simplex
incipium, ipsa est, cum sit illud pri-
um in rebus materialibus, ex quo fit
quid cum insit; non igitur materia
t corpus, sed principium corporis, non
actus, & forma; sed vt subiectum.
onsiderandum præterea est, quod for-
, quæ constituit gradum inferiorem,
nstituere etiam debet gradum superio-
n: Quod ex eo manifestum est. Quia
nis forma est determinatus actus:
go exempli gratia forma leonis, ita
nstituet tale corpus, sentiens scilicet,
ecessario illud faciat viuens, & cor-
. Quo enim pacto faciat tale corpus,
hoc ipso non faciat corpus? sicut for-
lapidis faciens talem substantiam,
omodo non faciet substantiam? si er-
forma lapidis faciens talem substan-
, & substantiam facit, corpus per
d ipsum fiet, per quod fit tale corpus;
ertum est lapidem non fieri tale cor-
per materiam primam, cum æque
eria prima sit in ijs, quæ lapides non
: Ergo per illud, per quod lapis est,
ale corpus, & corpus est; per for-
n scilicet lapid s in materia. Quod
ens etiam est in accidentibus, nam
illud, per quod lac tale quale est,
album, per illud ipsum quale est;
e enim duæ formæ Physicæ accidenta
n lacte, per quarum alteram fiat al-
, per alteram fiat quale, sed vna Phy-
virtute, vero, conuenientia, & for-
tate multiplex, quatenus fundat plu-
gradus.

Quare.

icendum à vero alienum esse, quod
ria sine forma de se sit essentialiter
s de prædicamento substantiæ. Patet
ctis, & rationibus secundæ sententiæ.
rmatur quia si materia de se esset es-
aliter corpus, bis esset corpus, & ex ip
formis corporum fieret vnum per ac-
.

Ergo.

Ad rationes in contrarium. Ad primam respondeo dicendum, quod adhoc, vt aliqua ratio sit vniuoca, non est necesse dari a parte rei naturam aliquam præcisā, & distinctam ante omnem operationem intellectus à cœteris, quæ in eadem re sūt, vt patet ex dictis: nec verum est, quod in sentientibus, anima, qua compositum sit sentiens, alia sit ab ea qua sit viuens, vt ostēdimus alibi.

Ad secundam respondeo dicendū, quod neque materia de se, neque forma de se est corpus; sed corpus, forma cum materia: nam album neque est albedo de se, neque paries, sed vtrumque simul; eodem modo materia de se non est corpus, sed tamen cū qualibet forma substantiali informante cōstituit corpus, & tale corpus; Quia quod constituit tale corpus, prius natura constituit corpus. Quare negatur consequentia. Ad probationem dicendum hoc esse proprium causarum formalium, & materialium dare effectum, quem non habent; sed sed cuius sunt principium.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod materia non est principium trinæ dimensionis, nisi inadæquate, sicut ex dictis manifestum est in tertia ratione pro sententia negatiua.

Art. 10. Vtrum materia de se habeat aliquam formam substantialem, siue. Vtrum in materia detur forma aliqua substantialis ipsi coæua.

Præter antiquos maxime poetas, qui ante orbis constitutionem confusas posuisse videntur in materia omnes formas, quibus pugnarent ad inuicem iuxta illud

Frigida pugnabant calidis, humentia siccis,
Mollia cum duris &c.

Affirmatiuam sententiam tenuerūt Auicembron apud S. Thomā prima parte qu. 66. art. 2. Auicen. in primo sufficiētiæ c. 2. &

& in secundo tractatu metaphysicæ cap. 2. & Alb. Mag. Linconiensis, Io. Ganda. Aug. Suessanus, & Mar. Anto. Genua apud Zab. lib. 2. de prima rerum mat. cap. 12. qui putant in materia dari formam quandam corporeitatis, quæ illi sit coæua, a qua habeat esse corpus. D. Bonauentura in secundo distinctione 12. quæst. 3. vult materiam esse creatam cum forma quadam imperfecta, quæ non omne desiderium ad formam expleat, sed sit dispositio quædam ad vlteriores recipiendas formas; & dat exemplum de Embrione respectu animalis: Quamquam non vult formam illam materiæ esse tantæ actualitatis, sicut est forma Embryonis.

Secunda sententia negatiua, quæ vult in materia non dari vllam propriam ipsius formam, quæ sit coæua ipsi, est proculdubio Aristotelis, imo & ante ipsum Platonis, qui omnia constituisse videtur ex 4. elementis. Eandem sequuntur S. Thomas prima parte quæst. 66. articulo primo Opusc. de natura mat. & alibi. Alb. primo Phys. Trad. 3. cap. 13. & prima parte sententiæ de quatuor coæuis licet eum Zabarellà vt supra, & Zimara citent in contrarium. idē sentit Auer. apud eundem Zim. Theore. 28 nec non Scholastici communius in secūdo dist. 12.

Pro prima sententia sunt hæ rationes. Prima in materia quantitas, & aliæ dispositiones debent præcedere formā generandam: sed nō possunt præcedere, nisi in materia detur forma corporeitatis: Ergo datur. Maior patet: Quia quantitas, & dispositiones sunt necessariæ ad hoc, vt præparent materiam ad formam. Minor probatur: Quia materia prima non potest esse subiectum immediatum accidētium: Omnia enim accidentia fundantur in substantia composita.

Secunda ratiò. Ex Suessano, nisi aliqua forma præcederet in materia, forma, quę generatur, generaretur ex non forma: Ergo fieret ex nihilo. Sed quod fit ęx nihilo creatur: Ergo omnia, quæ generantur crearentur, quod non est dicendum.

Tertia ratio: Materia est vna specie, sed formæ, quæ generantur, & corrumpuntur sūt specie multæ; Ergo in materia dari debet proportionata forma, per quam in sua specie constituatur.

In contrariū prò sentētia negatiua sunt hæ rationes. Prima ab auctoritate Philosophi multis in locis; sed maxime primo de gener. Tex. 1. vbi reprehendit antiquos philosophos, qui ponebant subiectum generationis esse corpus quoddam immutabile, qualis esset materia prima si haberet formam aliquam coæuam. Secundo de gener. Tex. 6. docet elementa esse composita ex materia prima, quam vocat potētia corpus: non igitur matèria prima de se habet aliquam formam corporis.

Secunda omnis forma posterior est magis determinata, & perfectior priore minus determinata: sic forma mixti est perfectior forma elementi; forma viuentis est perfectior forma mixti: sed si daretur hæc forma coæua materiæ esset perfectior posterioribus: Ergo non datur. Probatur minor: Quia hęc forma esset incorruptibilis, illę corruptibiles: incorruptibile autē perfectius est corruptibili.

Tertia hæc forma vel est generica, vel specifica: non primum: Quia tunc darentur vniuersalia extra animam, & genus distingueretur realiter à speciebus, & differentijs: neque secundum; quia sic materiæ daret esse specificum, & materia non posset suscipere alias formas: alioquin enim materia haberet plures formas specificas, quod repugnat.

Pro solutione.

Notandum, quod cū philosophus in naturalib. nihil asserere debeat, ad quod asserendum aliqua ratione non compellatur, formam corporeitatis coæuam materiæ asserere nō debet nisi ad id impellatur aliqua ratione, quæ à priori vel à posteriori desumpta sit. A priori colligi posset talis forma, si vel necesaria esset propter finē, ad quem natura instituit materiam; vel si esset intrinsece requisita à natura materiæ. A posteriori haberi posset dari talem formam, si id ostenderet effectus aliquis, proprietas, vel signum. Consideradūm igitur est, quod à priori colligi non potest hæc forma Primo, quia nullus est finis, propter quem ponenda sit; nam si quis est finis maxime qui tactus est in rationibus primæ sententiæ; sed finis ille nullus est; neq; enim valet primum, quod propter quātitatem,

&

& dispositione formæ, quæ generari debent ponēda fit talis forma: Nam in diuersis generationibus sunt diuersę dispositiones, & sæpe contrariæ, quę nō possunt prouenire ab vna forma, quæ sit coæua materiæ, & semper eadem sit: nec valet secundum; Quia etiãsi ponatur talis forma; vel formę deinde, quæ generãtur fiunt de nouo, vel non fiunt: si secundum, nulla erit generatio; si primum eodem modo vel dicendæ erunt creari, vel ad illarum productionem necessaria non erit materiæ forma coæua. Vlterius ad formas, quæ generantur ista forma coæua vel concurrit in genere causæ materialis, & hoc non; Quia adhoc sufficit materia præparata dispositionibus formæ generandæ: vel in genere causæ componentis, & hoc non; Quia forma, quæ de nouo fit, cum sit valde diuersa à forma, quæ ponitur coæua materiæ, non potest ex ea componi, & formæ præsertim substantiales non componuntur: vel concurrit in genere causæ efficiẽtis, & hoc esse nō potest; Quia efficiẽs est extrinsecũ. Nullũ igitur munus habere potest ista forma, ꝓpter quod à priori colligere possimus illam esse materiæ concedendam. Sed neque potest colligi à posteriori; Quia nulla est proprietas, vel signum, quod illã manifestet. Nam omnes virtutes actiuæ in compositis sunt à proprijs ipsorũ formis: Quoniam variato essentialiter composito variantur dispositiones, nō solum actiuæ, sed etiã quæ materiales dicũtur, vt quãtitas, densitas, raritas &c. nam si ex aqua fit aer, vel ignis, quod erat frigidum fit calidum, & materia quæ erat sub minori quãtitate fit sub maiori, vt proinde omnes virtutes compositorum, omnes proprietates, omnesque dispositiones sint propter formã cōpositi, nihilque restet, ex quo colligere possimus formã corporeitatis, vel aliam, materiæ coæuam.

Quare.

Dicendum nullam dari formam materiæ coæuam, quæ sit ipsius propria, & cum qua perseueret in omni composito. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ negatiuæ. Confirmatur. Si materia de se esset cum aliqua forma deberet aliquando ad ipsam fieri resolutio: nam sicut viuentia resoluuntur in mixta, & mixta in elementa, elementa aliquando resolui deberent in illud simplicissimum compositum ex materia & forma sibi coęua; sed hæc resolutio vt experientia manifestat in rebus non datur: ergo materia non habet istam formam sibi coæuam.

Ad rationes in contrarium. Pro prima sententia.

Ad primã patet ex dictis omnes dispositiones in corporibus optime reduci ad formas ipsorum.

Ad secundam Respōdeo dicendũ, quod formæ non creantur; sed educuntur de potentia materiæ: quando creari est fieri vndequaque ex nihilo.

Ad tertiã respōdeo dicẽdum; quod materia proprie non habet speciem, cùm ex 7. Met. nec sit quid, nec quantum, neque quale &c. si tamen consideretur per se dici potest principium materiale omniũ specierum materialium: Quare de se non habet constituere vllam speciem prędicamẽtalem.

Obijcies in prima rerũ molitione prius tempore creata fuit materia, vt videntur velle aliqui Sancti Patres, Basilius, Ambrosius, Chrysostomus; sed probabile non est creatam esse materiam sine omni forma: Ergo vere creata fuit cum forma scilicet imperfecta corporeitatis.

Respondeo dicendum, quod de constitutione, & formatione orbis sunt diuersę sanctorum sententiæ; nam aliqui, vt Augustinus putant informitatem materiæ non precessisse tempore formationem ipsius, sed solum origine; ad quod adducit exemplũ illud de sono & cantu, de quo supra, & vult omnia simul vno tempore distincta fuisse, & formata. Alij vero volunt mundum fuisse formatum, & perfectum sex diebus proprie intellectis, vt habet littera Genesis; siue tamen hoc, siue illo modo factum sit, dici potest cum S. Thoma prima parte qu 66. art. 1. informitatem materiæ, de qua loquuntur Sancti Patres, accipi posse sic, quod non statim à principio mundus habuerit formositatem, & pulchritudinem, quam habuit postquam facta est lux, & aquis discoperta terra, ac vestita est floribus; quod non statim factum est, si mundus vno momento simul perfectus nō est, sed diuersis diebus, sicut in Genesi scriptum

ptum est: in principio tamē censendum est materiam creatam fuisse sub formis cœlorum, & elementorum, ex quibus deinde cœtera facta sunt.

Art. 11. vtrum in materia saltem sint inchoationes formarum, siue possibilitates quædam ipsi coæuæ.

Pro prima sentētia affirmatiua sunt aliqui apud Alex. d'Alesſ. in lib. 7. Met. qui dixerunt in materia præexistere formas secundum aliquam sui partem, quæ cōcurrat ad perfectam formarum productionē. At Ricard. in 2. dist. 12. distinguit varias acceptiones materiæ, & dicit, quod accipi potest vno modo pro eo, quo materia potest recipere formam, & sic idem realiter est, quod ipsa materia, sola ratione differens ab ea. Secūdo pro eo, quo de ipsa educi potest forma educibilis de potētia materiæ, & sic nō est realiter idem, quod ipsa materia, sed est id, quo forma efficitur, quod est quoddam possibile transmutabile in formam educibilem, ita ille. Mag. vero Alber., vt communiter existimatur, licet hoc non admittat fonci. 7. Met. quę. 28. voluit formā præexistere in mat. secundum essentiam, ab agente autem produci secundum existentiam.

Contraria sentētia negatiua, quod nullæ inchoationes formarum, seu possibilitates præcedant in materia est communis.

Pro prima tamē sententia sunt hæ rationes. Prima Naturalia distinguūtur ab artificialibus, quod naturalia habent in se principium suorum motuū, artificialia solum habent in Efficiente: Ergo naturalia in se habebunt principiū suæ generationis: sed hoc principiū nō pōt esse sola materia prima: Ergo erit aliquid aliud. Probatur minor. Quia materia prima æque est in artificiatis. Secundo. Quia cū vna, illa, quæ generantur, sunt multa, & diuersa; sed diuersa vt sic non possunt habere vnum intrinsecum principium sui esse: Ergo habebunt diuersum: sed non possunt habere diuersum nisi in materia dentur inchoationes formarum, vel possibilitates substantiarum.

Ergo dantur.

Secunda ratio. Si nō dantur istæ inchoationes formarum sequitur generationem substātialē esse violentā. Probatur sequela. illud est violentum, quod est ab extrinseco nullam conferente vim passo: sed talis erit introductio formæ substantialis in materia, si in ipsa nihil ipsius præcedat: Ergo. Probatur minor. Conferre vim alicui est coagere: sed materia secundum se non est actiua: Ergo secundum se non potest conferre vim ad introductionem formæ substantialis, ac proinde vera erit minor.

Tertia primo Phys. Tex. 49. Principia oportet semper manere: sed forma secundum suum esse perfectum non semper manet: ergo dicenda erit manere secundum suum esse imperfectum. Igitur secundum hoc esse præexistit in materia.

Quarta, formam educi de potentia materiæ est formam, quæ præexistebat secundum esse imperfectum extrahi, & deduci ad perfectum: nam nihil educitur ex aliquo, in quo non sit: Ergo forma pręcedit in materia secundum esse imperfectum: sed hoc non potest esse ab heri, & nudius tertius:

Ergo à principio.

Pro sententia Negatiua contraria sunt hæ rationes. Prima si in materia essent istæ inchoationes formarum, in materia simul essent contraria; Nam sicut ponuntur inchoationes formarum substantialium, ita poni deberent inchoationes formarum accidentalium; ne eodem modo dicamus accidentia creari, vel fieri violenter; sed si hæ ponantur in subiecto erunt simul omnia contraria. Præterea in materia erunt entitates actu infinitæ; Nam vel habent has inchoationes omnes formæ, quæ debent, & possunt fieri in materia in indiuiduo, vel solum in specie: Non in specie; Quia forma in indiuiduo secūdum se tota heret, & sic rediret difficultas: Ergo in indiuiduo, & tūc sequetur infinitum actu in materia; Quia formæ in indiuiduo extrahibiles de potentia materiæ sunt infinitæ.

Secunda ratio. Si præcederent inchoationes

tionẽs formarum substantialium in materia, generatio esset intensio, quod tamen nullo pacto admitti potest. Sequela probatur: Quia intensio fit quando forma imperfecta accipit augmentum vsq; ad suam perfectionem, vt patet in intensione caloris, luminis, & aliarum huiusmodi formarum: Ergo. Adde quod generatio proprie esset motus; Quia esset à termino positiuo ad positiuũ, Qualis est motus: cum tamen ex 5 phis. mutatio proprie dicta, qualis est generatio, fit à termino priuatiuo.

Tertia pars præxistens siue inchoatio formæ, vel est vna respectu omnium formarũ, vel formis distinctis specie correspondent partes in materia distinctæ specie: si primum, ergo idem numero erit pars formæ ignis, & aquæ, quæ cum sint distinctæ specie necessario dicendum erit formam esse compositam ex partibus diuersarum rationum, & specierum: si secundum aut singulæ partes informant materiam, aut vna tantum; si singulæ: Ergo materia erit simul informata à formis substantialibus distinctis inter se, & repugnantibus: si vna tantum: Ergo pars formæ ignis, quæ est forma materialis, erit in materia, & materiam non informabit.

Quarto contra possibilitates formarum Ricardi Durandus arguit sic. Arist. cæterique philosophi non agnoscunt aliud ens pure potẽtiale seu possibile prçter materiã primam: ergo. Prçterea hoc purum potentiale vel distinguitur are, quæ producitur, vel nõ: si primũ non poterit in aliud conuerti: si nõ iam tollitur generatio à rebus: Vlterius illa possibilitas formæ vel est substantia, vel accidens: si accidens: Ergo non poterit esse possibilitas ad formã substantialem: si substantia: Ergo cum materia faciet vnum per se: Ergo in materia erunt infinitæ substantiæ. Adde quod hoc possibile vel est essentia formæ, vel aliquid aliud; si essentia; Ergo formæ iam sunt secundum essentiam; Et cum formæ sint essentialiter actus, male illud appellatur purũ ens possibile, & materia actuatur à formis diuersis, & repugnãtibus; aliud, quod sit assignari non potest; Ergo. His omnibus accedit quod ista opinio incidit in adsurda, quçcu piebat vitare: Nam in generatione produ-citur aliquid reale positiuum, quod non erat in materia: Ergo hoc fit ex nihilo &c.

Pro solutione.

Notandum, quod tripliciter fingi potest istas inchoationes formarum, vel possibilitates prçcedere in materia. Primo vt ipsæ cõuertantur in formas perfectas. Secundo vt concurrant actiue ad eductionẽ formę ex potentia materiæ. Tertio vt disponant materiã ad vnã potius formam quam ad aliã. Propter primum esse nõ possunt: nam. Considerãdum est, quod ista cõuersio fieri debet eo, quod addito aliquo de nouo cum ipsis inchoationibus formarũ fiat forma perfecta: sed tũc quęretur de illo, quod de nouo fit, quomodo fiat, & vtrũ fit eiusdem rationis cũ inchoatione præcedente, vel diuersæ: non potest dici quod sit diuersæ rationis; quia tunc cum inchoatione nõ posset facere vnam formam: si vero eiusdem est rationis, & de nouo fit æque potetat fieri tota forma; cum agens, cuius virtute producitur, non solum habeat vim ad producendam partem formæ, sed totam formam: vnde frustra ponuntur istæ inchoationes: si enim aliquid formæ quod non erat fieri potest sine creatione, pari ratione fieri potest tota forma; Quia quoad hoc non plus requiritur ad faciendam totam formam, quam ad faciendam partem. Secundum etiam dici non potest; nam frustra huiusmodi inchoationes actiue concurrent ad eductionem formæ de potentia materiæ, cum ad hoc agens extrinsecum habeat sufficientem actiuitatem, vt patet cum ignis ex ligno producit ignem. Præterquam quod difficile assignari potest ratio, qua istæ inchoationes formarũ actiue concurrant ad productionem formæ. Adde quod nec vnum cum forma producta facere poterunt nisi dicere velimus idẽ producere se ipsum. Tertium etiã frustra ponitur quoniã ad has potius formas recipiẽdas, quã illas, satis materia præparatur per dispositiones, quæ illi adueniunt ab agente. Nam per calorẽ intensum, & siuitatem, satis disponitur materia ad formã ignis; Per frigus, & humiditatẽ satis disponitur ad formam aquæ vt proinde ponere propter hanc causam istas inchoationes, vel possibilitates satis consonum rationi non sit. Cum ergo nulla rationabili causa poni possint istæ in-

choationes formarum, & non tollant difficultatem, quæ est in intelligenda eductione formæ substãtialis de potentia materiæ.

Ideo.

Dicendum non dari in materia inchoationes formarum, nec possibilitates ipsi coæuas. Patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ.

Confirmatur. Quia ex primo de Generatione generatio est mutatio totius in totum; sed totum nõn fit nisi per formam; Ergo in generatione tota fit forma: si enim aliquid ipsius præcederet non fieret mutatio simpliciter in totum.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam & secundam respondeo dicẽdũ, quod principium, quod cõferret vim passo, si axioma illud appropriare volumus generationi substantiali, & per quod naturalia sufficienter differunt ab artificialibus est materia prima, vt tamen est cum certis dispositionibus, ratione quarum nũc est dispositio ad hanc formam substantialem, nunc ad illam. Quare negatur assumptum.

Ad probationem dicendum, quod licet materia prima sit vna; præparata tamen certis dispositionibus vim confert agenti ad eductionem huius formæ substantialis, non alterius: Ob quam causam optime dici potest passum conferre vim. Præterquam quod aduerti debet; quod, quo forma, quæ fit est perfectior, eo perfectiores habere solet in passo dispositiones: vnde nonnunquam habet etiam formam substantialem, quæ conferat ad formam generandam, vt apparet in seminibus; sed de his in presenti non est sermo; sed de inchoationibus formarum, quæ fuerint in materia à principio ad omnes formas.

Dices si contrarium dicto axiomati in proposito saluatur per hoc, quod materia concurrat in suo ordine ad generationem, sequetur omnes motus etiam violentos esse naturales; sed hoc est absurdum; Ergo, & id, vnde sequitur.

Respondeo illud non sequi; nam licet ad omnes motus materia passiue concurrat; tamen aliquibus dicitur naturaliter conferre vim, quatenus ad illos habet potentiam proximam, per quam concurrit, & est ad illos tam preparata, & disposita per certas dispositiones, per quas cum ad aliquem motum non est præparata; sed potius habet formam, & dispositiones contrarium postulantes, dicitur passum nullam conferre vim.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod principia compositionis, debent semper permanere, dum manet res, cui⁹ sunt principia; vel etiam absolute dicendum principia semper manere, idest reperiri in omni mutatione substantiali, ad quod non est necessarium, formas præcedere in materia secundum esse imperfectum, & inchoationẽ sui. Quare ad argumentum negatur minor, si ea intelligatur secundum sensum dictum; Quod scilicet non reperiatur, vt principium in omni mutatione forma, & duret dum res generata durat.

Ad quartam respondeo dicendum, quod educi de potentia materiæ non est aliud, quam formam fieri ab agente in materia, ipsa materia concurrente cum agente in suo ordine; ad quod non est necessarium formam prius vere in materia esse, vt latere; tum per actionem agentis in apertum, & in lucem proferri.

Art. 12. Vtrum materia sit pura potentia in genere substantiæ.

Sententia affirmatiua est communis. Secunda negatiua est Ianduni 1. Physic. qu. 25. asserentis potentiam materiæ esse qualitatem quandam super additam materiæ, & ab ea realiter distingui, per quam materia fit potens ad recipiendas formas: Ad eandem sententiam accedit Zabarella, qui lib. 1. de materia cap. 6. ex Themist. in sua magna digressione 1. Physic. ait dupliciter considerari posse materiam; primũ secundum se, & vt est ens quoddam substãtiale: secundo vt est materia: primo modo consideratam materiam, vult esse ens absolutum, de cuius essentia nullo modo sit potentia; sed solum sit eius proprietas, sicut flexibilitas est proprietas ceræ: secundo vero modo consideratam materiam habere

bere essentialem potentiam, & potentiam esse de essentia ipsius.

Pro sententia negatiua, quod materia non sit pura potentia in genere substantiæ, sunt hæ rationes.

Prima potentia passiua, sicut & actiua, est de prædicamento qualitatis ex Aristotile in illo prædicamento: Ergo nulla; ex illis est essentialis materiæ, quæ est in genere substantiæ. Patet consequentia: quia prædicata accidentalia non possunt esse de essentia substantiæ.

Secunda adueniente forma in materia tollitur potentia illius: actus enim & potentia opponuntur; sed adueniente forma nihil tollitur essentiale materiæ: Ergo potentia non est de essentia materiæ: Non igitur materia est pura potentia in genere substantiæ.

Tertia in vna materia possunt esse plures potentiæ ad varias formas, vt ad formã ignis, ad formam aquæ &c. Sed essentia materiæ est vna; Ergo potentiæ nõ possunt esse de essentia materiæ.

Quarta nihil denominatur à se ipso: sed materia denominatur potens: Ergo à potentia à se distincta: Ergo materia non est pura potentia.

Quinta ratio pro secundo dicto Zabarellæ Materia, vt sic est principium rerum materialium in sublunaribus: Est enim materia id, ex quo aliquid fit: Ergo hac ratione est illi essentialis potentia: Principium enim passiuum in suo conceptu essentiali dicit aptitudinem, & potentiam ad constituendum id cuius est principium.

In contrarium pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima materia in sua essentia nullum includit actum; nam materia neque est actus per se subsistẽs, neque est actus informãs, neque actus existentiæ, licet actum existẽtiæ habeat; ergo vel est pura potentia, vel nihil: secundum dici non potest: Ergo primum.

Secunda ex Aristotile 7. Met. Tex. 8. materia neque est quid, neque quantum, neque quale &c. sed hæc omnia potentia: Ergo essentia materiæ est esse potentia.

Tertia ex primo Phys. Tex. 69. ita se habet materia prima ad formam substantialem, sicut se habet æs ad figuram, quę in ipsum inducitur per artem: sed aes nullam ex se habet talem figuram, sed in genere artificiatorum est pura potentia: Ergo materia in genere naturalium, erit pura potentia ad formam substantialem: potentia igitur erit de essentia materiæ.

Quarta nullum accidens prædicatur in recto, & quidditatiue de substantia: sed potentia prædicatur in recto, & quidditatiue de materia: dicitur enim materia est pura potentia: Ergo potentia materiæ non est accidens ipsius.

Quinta si potentia in materia esset accidens realiter distinctum, posset Deus proculdubio illam à materia separare, quod si fieret num in materia remaneret potentia ad formam substantialem, vel non remaneret? dici non potest, quod non remaneret, quia materiæ sic spoliatæ potentia si Deus vniret formam substantialem ex materia, & forma fieret vnum per se: sed vnũ per se substantiale non fit, nisi ex potentia, & actu ea lib. 2. de anima Tex. 7. & ex 8. met. Tex. 15. ergo materia de se est potentia.

Sexta si materiæ potentia, qua recipit formam substantialem, esset aliquid distinctum ab ipsa, daretur processus in infinitũ, quod est absurdum: nam si potentia in materia est accidens, per quid materia potentiam illam recipiet? vtrum per aliam potentiam, quæ sit accidens? si hoc: Ecce processus in infinitum. Si vero dicatur, quod illam materia recipiat per se immediate, iam materia de se est potentia, & vlterius si materia de se est potentia ad accidens, multo magis erit ad substantiam: Quia materia de sua natura non est instituta, vt faciat vnum per se cum forma accidentali tanquam potentia cum actu proportionato: materia enim non est accidens: sed magis est ordinata, vt faciat vnum per se cum actu substantiali: vt potentia illi proportionata: Ergo.

Pro solutione.

Notandum, quod tunc perfecte cognoscimus quid res sit, cum eius essentiam cognoscimus: essentia autem constat genere, & differentia: Vnde perfecte cognosceretur materia, quando constabit de ipsius genere

& differentia: Et quamquam res incompletæ proprie non habent genus, & differentiam;tamen per analogiam ad res completas in eis saluari potest quædam similitudo generis & differentiæ. Videndum igitur est de genere, & differentia materiæ, ac genus quidem certum est nō esse aliud, quam substantiam incompletam: tum quia Aristoteles lib. 2. de anima Tex. 2. & alibi, & cum eo peripatetici communiter diuidunt substantiam in materiam, formam, & compositum; substantia autem nō componitur ex non substantijs: tum quia lib. 8. met. Tex. 4 habetur. Quod autem materia quoq; sit substantia patet in cunctis, namque transmutationibus est aliquod transmutationis subiectum, hoc autem est materia: Cum ergo per philosophum constet de genere materiæ, restat ad perfectā cognitionem materiæ quærendum solum de differentia. Considerandum igitur est, quod cum forma, cui materia relatiue opponitur, sit actus; materia necessario erit potentia; sed potentia non vno modo dicitur. Nam & est potentia actiua, a qua est actio, & est potentia obiectiua, & logica, per quam rem esse non repugnat. Prima potentia dicuntur esse illa, quæ cum actu non sint in mundo, possunt tamen naturali virtute existere; quia sunt in potentia actiua naturali alicuius causæ secundæ. Secunda potentia dicuntur esse illa, quæ cum causam naturalem non habeant, possunt tamen existere per diuinam virtutem; quia dicunt terminos, & prædicata componibilia, in quibus nulla inuoluitur implicātia; præter dictas alia est potentia subiectiua, seu receptiua, hæc multiplex adhuc est: nam alia est primum principium passionis, & primum subiectum formæ, ipsi commensuratum ad vnum in eodem genere constituendum: alia est proxime receptiua passionis, agenti vt sic commensurata: hæc non potest esse de essentia materiæ; Quia est multiplex, & in sui ratione præter materiam includit alia, vt quantitatē, cœterasque materiales dispositiones. De prima est controuersia. Sed præterea diuidi potest potentia materiæ in vniuersalē; quæ respicit omnes formas, & particularē, quæ respicit determinatas formas, quæ aduenit completiue materię per dispositiones, per quas ad certam formam recipiendam materia disponitur & determinatur, non potest ergo esse de essentia materiæ; neque potentia particularis; Quia hæc est multiplex ex Philosopho. 8. met. Tex 10. dicente; materiam primam vnam & communem omnibus, proximam tamen aliā, & aliam; Et quia materia in sua essentia non potest includere accidens, neque etiā de essentia materiæ potest esse potentia proxima, qua respicit agens, & recipit actionem eadem de causa: sed de illius essentia erit potentia vniuersalis, & potentia receptiua, accepta pro primo principio passionis, & pro subiecto commensurato formæ informanti; cum per talem potentiam materia essentialiter ponatur in esse, & ab omni alio ente siue completo, siue incompleto distinguatur, & relatiue respondeat actui informanti, cum quo debet vnum per se constituere in genere substantiæ.

Quare.

Dicendum materiam esse puram potentiam subiectiuam de genere substantiæ in ordine ad actum informantem. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur sicut se habet actus ad formam substantialem; ita ād materiam primam potentia prædicta: sed forma substantialis non per aliquid additum, sed per se ipsam essentialiter, & in primo modo dicendi per se est actus informans: Ergo materia eodem modo per se primo erit potentia receptiua. Maior & minor patent ex lib. 2. de anima Tex. 2. est materia quidem potentia, forma autem actus, & vlterius probatur; Quia nihil prius assignari potest, quod sit forma, quam actus informans, & materia, quam potentia receptiua actui informanti proportionata; neque duplex ille modus considerandi Them. & Zabar. satis fundatus est: nam non potest considerari quidditatiue materia, si materia præcisę consideretur, vel vt ens, vel vt substantia; neque enim p rationem entis, vei per rationē substantiæ cōpletur materia in sua essentia forma .n. est ens, & substantia: requiritur ergo aliquod aliud prædicatū, quod cōpleat quidditatē materiæ; hoc autē esse nō potest nisi potētia in sensu dicto. Quare considerare

mate-

materiã, vt materia est, illã cõsiderare est secundũ suã propriã quidditatem, & essentiam: cõsiderare vero materiam; vt ens, vel substantiam, non est considerare illam secundum suam quidditatem complete: sicut considerare hominem, vt hominem, & vt rationalem, est considerare illum secundum suam propriam quidditatem: considerare vero hominem vt animal, non est considerare illum secundum suam propriam quidditatem. Quare etiam si de quidditate materiæ consideratæ vt ens, vel substantia præcise non sit potentia, non tollitur, quin potentia sit de quidditate materiæ, & ingrediatur vt propria differentia materiam consideratam, vt talem substantiam incompletam, vnde, & intelligere materiam sine potentia est impossibile, secundum illud commẽtatoris difficile est cognoscere quidditatem primorum principiorum, intelligere autem materiam sine forma impossibile. Et 4. phys. Tex. 16. Aristotiles vult disputationem de forma, & materia esse difficilem; quia neutra per se absque altera cognosci potest. Ex quibus sic probatur conclusio. Materia, & forma ita sunt inter se commensuratæ, vt vna sine altera cognosci non possit: sed non possunt interse esse commensuratæ nisi in ratione actus informantis, & potentiæ subiectiuç; Ergo essentialiter forma erit actus informans, & materia potẽtia subiectiua.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam. Respondeo dicendũ, quod si per potentiam passiuam accipiamus primum, & radicale subiectum passionis in ordine ad constitutionem totius substantialis, quod potentia passiua nõ est de prædicamento qualitatis, sed substantiæ; si vero accipiatur ꝓ principio ꝓximo patiẽdi, & vt potentia passiua respicit potentiam actiuam, vt ad quam dicitur per ordinem transcendentalem; verum est antecedens, & consequentia, quod talis potentia nõ sit essentialis materiæ, sed accidẽtalis sed falsa erit secunda cõsequentia, quæ procedit in primo sensu. Quare informa distinguendum est antecedens, & iuxta distinctionẽ assignatam neganda, vel concedenda cõsequentia; nec aliud vult Aristoteles in predicamento, quãdoquidem loquitur de potentia, qua facile, vel difficile patimur.

Ad secundã. Respondeo dicendũ, quod illa, quæ opponũtur opositione secundũ relationem, non se mutuo tollunt; sed vnum perficitur per aduentũ alterius; vnde per aduentum formæ non destruitur potentia substantialis receptiua, sed perficitur, & expletur: solũ tollitur priuatio: Vnde materia non amplius potest dici in potentia ad illam formã; Quia ille modus loquendi non solũ ostendit materiam esse potentiam ad formam; sed habere vlterius formæ priuationẽ, & ad illam tẽdere; cæterũ bene adhuc dicitur materia. Esse potentia.

Quare negatur maior.

Ad tertiam. Respondeo dicendũ, quod in vna materia possunt esse plures potẽtiæ particulares ratione dispositionum cõtrahentium, quas potentia particularis addit supra potentiam vniuersalem: non vero posse esse plures potentias vniuersales, sed hanc esse vnã, qua materia respicit formã, vt formam, & omnem formam particularem, vt formam etiam talem, vel talẽ cõtradistinctã ab alia; Sed solũ secũdum restricionem actuationis per quod censetur fieri particularis, & hanc esse de essentia materiæ, illam vero esse accidẽtalem; Quia includit aliquod accidens, & præterea censetur aduenire materiæ iam constitutæ in suo esse. Quare in forma distinguenda est maior, & iuxta distinctionem neganda consequentia.

Ad quartam. Respõdeo dicendũ, quod materia nõ proprie denominatur potens; si tamen quandoque sic denominatur, dici potest denominari ab illa potentia particulari quæ est quid distinctũ ab ipsa materia; Quia est prædicatum illi accidentale: quamquam, & falsum est nihil denominari à se ipso, con quãtitas vt linea, vel corpus denominetur quantum.

Ad quintam. Respõdeo dicendũ, quod materia non potest esse principium rerũ sub lunarium nisi secundum id, quod dicit essentialiter, & vt substantia; nam vt dictũ est principia intrinseca componentia substantiam non possunt esse nisi substantiæ; Quia substãtiã nõ cõponitur nisi ex substãtijs: si ergo materia, & vt materia, & vt substãtia essẽtialiter est potẽtia, ꝓcul dubio potẽtia est de essentia materię; Quan-

do

quidem materia non habet aliam essentiam, nisi eam, qua est substantia, & principium rerum materialium.

Obijcies substantia est quid absolutum; sed materia est essentialiter substantia; ergo est quid essentialiter absolutum; sed si esset pura potentia receptiua, esset quid respectiuum; Ergo materia non est pura potentia receptiua. Respondeo dicendum, quod absolutum, & relatiuum prædicamentale opponuntur, non absolutum, & relatiuum transcendentale: nam multa sunt absoluta, quæ tamen quia sunt imperfecta, vel alia tali causa, sunt connotatiua, & alteri commensurata; cum tamen in se habeant suum esse, vt patet ex ijs, quæ alibi dicta sunt de relatiuo transcendentali; huiusmodi est materia, quæ est pura potentia receptiua in genere substantiæ, quod esse non potest sine connotatione, per quam dicitur respectiua. Quare in forma concedenda est maior intelligendo absolutũ, vt tamen includit ens connotatiuum, non relatiuum prædicamentale, & negandum assumptum, quod procedit de respectiuo proprie dicto, & prædicamentali. Et sane quod consideratio entium in esse connotatiuo non repugnet cum rebus absolutis prædicamentorum, ex eo manifestum est, quod rationes omnes genericæ, & specificæ sunt ad inuicem connotatiuæ, & in sciẽtijs neque subiectum ad passiones, neque passiones de subiectis considerantur sine ordine transcendentali ad inuicem. Quare non est verum. Quod materia debeat habere duplicem notionem quasi in vna possit absoluere à respectu transcendentali.

Obijcies secũdo. Vt se habet forma substantialis ad agendum; Ita se habet materia ad patiendum: sed forma non agit nisi per suas potentias à se distinctas: Ergo & materia patietur per potẽtiam à se distinctam: Ergo nõ erit pura potentia. Respondeo dicendum, quod primo non valet illa proportio; Quoniam agẽs cum per actionem attingere debeat aliquid extrinsecum forte ad id coaptari debet per aliquid sibi additum, de quo alibi; sed passum, de quo modo est sermo, cũ pati debeat, vt aliquid in se recipiat, cum quo vnum debet constituere, debet se ipso immediate ad id concurrere; Quia nisi cum recepto se ipso vnũ per se immediate constituat, ibitur in infinitum. Quare proprie sicut se habet forma substantialis ad formandum, ita se habet materia ad recipiẽdum: Et sicut forma informat per se, & hoc est illi essentiale; ita materiæ est essentiale subijci recipiẽdo formam substantialem: non autem sicut se habet forma ad agendum; ita se habet materia ad patiendum, quando sermo est de principio, quo materia spectat actum substantialem. Adde quod materia cõsiderari potest in ordine ad actionẽ accidentalem, vt quid passiuum ad illam, & tunc etiam materia patitur non quidem penitus per aliquid à se distinctũ; sed tamen cũ aliquo à se distincto: vnde talis potentia non est illi essentialis, sed accidẽtalis, etiam realiter.

Obijcies tertio materia habet genus incompletum, & differẽtiam, vt dictum est; sed differentia est forma, & actus metaphysicus; Ergo materia est essentialiter actus, non vero potentia. Probatur consequentia; Quia id est vnaquæq; res essentialiter, quod est per suam differẽtiam essentialem, vt patet in homine, qui est essentialiter rationalis: Quia hæc est ipsius differentia.

Respondeo dicendum, quod aliquid potest dici actus dupliciter primo denominatiue, secundo essentialiter illud dicitur actus denominatiue, quod ex eo denominatur actus; Quia participat rationem differentiæ, quæ est actus metaphysicus, quæ etiam dici potest actus secundo intentionaliter, & hoc modo materia ratione suæ potentiæ est actus; Quia potentia est ipsius differentia, eo modo, quo datur differentia in rebus incompletis. At vero essentialiter illud dicitur actus; Quod denominatur tale; Quia ei⁹ essentia cõsistit in actu, Quod etiam dici potest actus primo Intentionaliter, & hoc modo materia non potest dici actus, sed potentia: forma vero dicitur actus, quia eius essẽtia in eo cõsistit. Quare in forma concessa maiore ad minorem dicendum est differentiam specificatiue, & primo intẽtionaliter nõ esse sẽper actum, reduplicatiue vero, & secundo intentionaliter denominari semper actum: hoc autem secundo modo cum materia ratione suæ potentiæ tãtum dici possit actus, quod est dici actum denominatiue, non primo

modo,

modo, negatur consequentia. Ad probationem dicendum, id esse vnamquamq; rem essentialiter, quod est per suā differentiam, specificatiue, & primo intentionaliter, nō reduplicatiue, & secundo intentionaliter: secus enim homo esset differētia; Quia per, rationale acceptum reduplicatiue, vt differentiam, denominatur differentia: rationale enim differentia est.

Obijcies quarto ex materia quatenus est essentialiter Potentia, & forma substātiali fit vnum per se; sed tale ens per se puta lapis non fit ex forma lapidis, & potentia vniuersali materiæ, sed ex ea vt est talis potentia, proportionata videlicet formæ lapidis; Ergo de essentia materiæ non est sola potētia vniuersalis. Respondeo dicendum, quod in proposito potentia vniuersalis potest fieri particularis dupliciter. Primum per aliquid per modum actus secundi, sicut via publica & vniuersalis fit via huius, cum illam calcat, & hoc pacto vt apparet in exemplo particulare & vniuersale idem est secundum rem, diuersum solum secundum restrictionē cōnotationis, & hoc modo materia sub quacunq; forma ponatur censetur esse potētia particularis, & eadem est cum potentia vniuersali, solumque restringit connotationē & respectum ad formam hanc. Secundo potentia particularis accipi potest facta talis per dispositiones accidentales, quibus ad particularem formā disponitur, & sicut ex hac & forma non fit vnum per se, ita talis potentia dici non potest essentialis materiæ. Verum quidem est, quod si illud, quod addit potentia vt particularis sit de genere substātiæ, & ex speciali actus ratione vindicetur ab ipso, nec aliter fiat vnum per se, quam ex tali actu & tali potentia, quale est Verbi Gratia corpus organicum respectu animæ, potentia illa includet aliquid & formaliter & realiter, quod non includit potentia materiæ, vt est vniuersalis; tamen hoc non est de essentia materiæ primæ vt sic sed de ea essentialiter est, quod sit talis potentia, quæ per talem additionem fieri possit hæc: Vt autē facta est hæc, nō amittit illud, Vt proinde adhuc viuens fiat ex anima & materia prima, sed nō sola; Quia materia prima vt sic nude nō est tali actui proportionata potentia, vt inuicē conspirent ad faciendum tale compositum; sed debet esse proportionata per tale substantiale mixtum, quod naturaliter solum est proximum susceptiuum animæ.

Art. 13. vtrum potentia materiæ ad accidentia sit illi essentialis.

PRo sentētia affirmatiua sunt hæ rationes. Prima ex. 7. Met. Tex. 8 Materia vt sæpius dictum est, neque est quid, neque quale, neque quantum &c. Sed hæc omnia potētia: Ergo ex Arist. materia est eodem modo potentia ad formas accidentales, & substātiales; sed ad formas substātiales potentia est de essentia materiæ; ergo & ad accidentales.

Secunda ratio. Omnia, quæ immediate recipiuntur in materia recipiuntur in potentia illius: sed aliqua accidentia immediate recipiuntur in materia, vt quantitas: ergo accipiuntur in illius potētia, & consequenter materia habet potentiam receptiuā respectu accidētium sibi essentialem; Quia nihil est aliud potētia essentialis materiæ, quam ipsa potentia receptiua.

Tertia potentia materiæ nihil est aliud, quā passiua aptitudo ad recipiendū formā, ad quā ē aptitudo: sed materia habeat hāc aptitudinem ad recipienda accidentia; Ergo habet potentiam ad illa: cum ergo potentia non possit esse accidentalis materiæ, esse essentialem necesse est.

Quarta accidentia sunt media, quibus materia potest in se recipere formas substantiales, ad quas est potētia: nam in materia antequam inducatur formæ substantiales prærequiruntur quædam dispositiones, quibus mediantibus formæ substantiales introducantur; sic ad formam ignis in materia prærequiritur siccitas & calor, & sic de reliquis; ergo materia vt potētia debet respicere formas substantiales, & accidentales. Consequentia probatur à simili de fine: sicut enim eodem actu appetimus finem, & media, vt cum volumus medicinam propter sanitatem; ita etiam materia eadem potentia essentiali, qua respicit formam substantialem, debet respicere accidentia, quæ sunt media ad formam substan-

stantialem. Confirmatur adhuc à simili; Quia lapis per eandem potentiā motiuam nempe per grauitatē tendit ad finem, qui est locus deorsum, & transit per medium, vt sit deorsum; similiter idem dici potest de leuitate ignis, qua tendit sursum: Ergo materia per eandem potentiam recipere debet accidentia, & formam substantialem.

Pro Contraria sentētia negatiua sunt hæ rationes. Prima ex communi peripateticorum auctoritate materia primario dicit ordinem ad formas substantiales, secundario ad accidentales: sed essentia respectiui consistit in respectu ad suum terminum primariū; Ergo essentia materiæ consistit in potentia ad formas substantiales.

Secunda forma substātialis, & accidentalis sunt diuersi actus: Ergo debent diuersificare diuersas potentias: Ergo nō potest esse eadē essentialiter potētia ad formam substantialem & accidentalem: sed potentia materiæ ad formas substantiales est essentialis materiæ; Ergo ad accidētales erit accidentalis. Confirmatur non potest materia respicere actus diuersi generis eodē modo: sed forma substantialis, & accidentalis sunt actus diuersi generis; respicit autem materia essentialiter actum substantialem; Ergo actum accidentalem respicit accidentaliter.

Tertia si materia haberet potentiam essentialem ad accidentia, materia faceret vnum per se cum illis? Quoniam ex lib. 2. de anima Tex 7, non est quærendū cur anima, & corpus faciant vnum per se: Vnum enim efficiunt; Quia alterum est potentia, altera actus: Ergo ex potētia & actu essentialiter sub ordinatis fit vnum per se: sed si materia esset essentialiter potentia ad accidentia, materia & accidētia in ratione potentiæ & actus essentialiter essent sub ordinata: Ergo facerent vnum per se: at faciunt vnum per accidens; non ergo in ratione potentiæ, & actus possunt esse essentialiter sub ordinata, ac proinde materia non est essentialiter potentia ad accidentia.

Quarta Potētia essentialis est depēdētia essentialis, vel certe in voluit dependentiam essentialem: materia non habet essentialem dependentiā ab accidentibus: Ergo neque ad illa potentiam essentialem. Minor probatur primò: Quia id quod est prius in eo, quo est prius, non, potest depēdere à suo posteriori; sed ex 7. met. Tex. 4. substantia est prior accidēte ratione natura, & tempore; Ergo non potest dependere ab accidentibus. Probatur secundo eadem minor. Quia id, quod essentialiter depēdet ab aliquo intrinsece perficitur ab illo; sed materia secūdū suū essentiale perfectiuum respicit solam formam substantialē; Ergo ab ea sola dependet, & perficitur; Ergo materię solum est essentialis potentia ad formam substantialem. Confirmatur si potentia ad accidens esset essentialis materiæ: Ergo accidens essentialiter perficeret materiam; at perficit accidētaliter: Ergo.

Pro solutione.

Notandum, quod certum est apud auctores vtriusque sententiæ, materiam esse potentiam ad formas substātiales, & accidentales; cum non solum formas substantiales, sed etiam accidentales recipiat, sed controuersia est, vtrum comparata ad formas accidentales potentia illa debeat dici essentialis materiæ, an solum dici debeat essentialis materiæ comparata ad formas substantiales. Pro quo primum cōsiderare oportet, quod distinctio substantiæ, & accidentis in natura non est nominum tantum, sed rerum, vereque aliud est præcisis non vllis formalitatibus metaphysicis, & cōnotatiuis, substantia, aliud accidens, & hoc illius est, & propter illam institutum est, & ab ea dependet, vt proinde bene à philosopho dictum sit accidens entis ens. Substantia autem composita cōstat ex materia, & forma. Quare hæc actus, sicut dictum est, illa potētia actui Ergo, qui substantia est, respondet ex natura rei potentia, quæ quoque substantia est, & potentiæ quæ materia est, respondet actus, qui forma est, & forma quidem substātialis, sicut & potentia substantialis vt ex vtriusque vnum fiat substantiale; sed quia physicum substantiale non est sine accidente; substantiæ enim naturales diminutæ & quasi ab accidentibus in sua finitate accipientes cōplementū, ideo hoc post illud est, & propter illud: respiciet ergo secundario accidens materia, ac proinde & potentia erit

ad

ad accidens, sed secundario, nō primario: non igitur potentia ad accidens erit materiæ essentialis. Pro quo secundo considerandum est, quod illud est de essentia, quod primario conuenit rei constituens ipsius conceptum, & definitionem; illud non est de essentia, sed potius tanquam passio adueniens, quod conuenit rei iam constitutæ in esse, & intelligitur extra essentiam, & definitionem ipsius; & quia esse potentiam ad accidens secundario conuenit materiæ, & est extra conceptum primarium, & definitionem quidditatiuā materiæ: nam optime concipi potest essentia materiæ non intellecto in ipsa ordine ad accidens, per hoc quod concipitur primū subiectū, ex quo inexistente fit aliquid.

Ideo.

Dicendum potentiam materiæ ad accidentia non esse ipsi essentialem. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur quia ex philosopho in omni prædicamento est potentia & actus: sed potentia in prædicamentis accidentium non est substantialis, vt patet, materia autem est substantia: Ergo. Præterea quale non fit, nisi ex non quale, & potentia quale, non autem ab eo, quod sit potentia substantia; ergo potentia ad accidentia secundum conceptum est diuersa à potentia ad formas substantiales; sed ad formas substantiales est essentialis materiæ: ergo ad alias non est illi essentialis. Adde: illa ratio est alieni enti essentialis, quæ prius cæteris illi conuenit, & est ratio, quare cætera illi conueniant: illa vero non est essentialis, quæ ab alia priore profluit; sed materia idcirco respicit formas accidentales; Quia sunt dispositiones ad formas substantiales, atque adeo prius concipitur respicere substantiales, quam accidentales; immo ordo ad accidentales est ex ordine ad substantiales; Ergo potentia materiæ ad formas accidentales non erit de essentia materiæ.

Ad rationes in contrarium pro prima sententia.

Ad primam respondeo dicendū illā definitionem materiæ non esse quidditatiuā; Quia datur per negationem; est tamen bona descriptio per quā peruenire possumus in cognitionē naturæ materiæ: Videtur autē definitio essentialis illa, qua definitur 1. Phys. Materia est primū subiectū, ex quo inexistente fit aliquid; de qua infra.

Ad secundam respondeo, dicendū, quod omnia, quæ immediate recipiuntur in materia, recipiuntur in vna potentia illius realiter, non formaliter, idest nō recipiuntur in potentia illius accepta sub eadē ratione formali potentiæ: Quia quantitas nō recipitur in potentia materiæ, nisi vt materia est potētia quāta, nō autem vt materia est potentia quid, quare materia habet potentiam receptiuam accidentium sibi essentialem specificatiue, non reduplicatiue.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod materia realiter nihil est aliud, quam aptitudo ad recipiendam formam, formaliter tamen ad diuersas formas dicitur diuersa aptitudo, Quia alius est conceptus materiæ, vt est aptitudo ad recipiendam formā substantialem, & eiusdem generis cum ipsa, alius ad formam accidentalem, cū qua differt genere, & non constituit vnum.

Ad quartā respondeo dicendū, quod materia considerari potest, vt potētia ad accidens præcise, & tunc, vt dictum est, nō est de essentia materiæ, secūdo considerari potest, vt est potētia ad accidens propter formā substantialem, & tunc si accipiatur, vt vnus ordo, qui primario attingat formam substantialem, secundario formā accidentalem, vt est quid formæ substantialis, vna erit potentia essentialis materiæ, quæ primario, & directe terminabitur ad formā substantialem, secundario & indirecte ad formam accidentalem, sicut vnus est appetitus, quo appetitur mediū propter finem, vel finis cum medio: duplex vero est cū appetitur finis secundum se, & medium solitarie, & in hoc est similitudo, non in eo ꝙ forte vult illa confirmatio in contrarium pro quarta ratione: Et hoc solum, quod dictum est probare videtur obiectio, quæ fieri potest huiusmodi. Potentiæ cognoscitiuæ, vt puta visus, vnum tantum constituunt obiectum, & vnam essentiam in ordine ad visibile, & ad suos actus; Ergo & potentia materiæ ad accidentia, & ad formas substantiales vna erit essentialiter, & vnicus conceptus; Nam quoniam nunquā tales potentiæ feruntur in obiectum, nisi

per actus, neque considerari possunt ad suos actus, nisi quatenus versantur circa obiectum suum, ideo vnum solum habent adæquatum conceptum, & in ordine ad actus,& ad obiecta; At materia,quia præcise considerari potest,vt potentia ad accidentia, ideo vt sic diuersum conceptum constituit ab eo,quem dicit,vt potentia ad formas substantiales.

Art. 14. Vtrum omni formæ accidentali correspondeat suũ potentiale.

AFfirmatiua sententia est Caiet.prima parte qu.54.ar.3. & qu.77. ar.1. de Ente cap.7. & Sonc.12. met.q.26. qui vult quæstionem quadrupliciter intelligi posse.

Primo accipiendo potentiale pro materia,ita vt quæstionis sensus sit. Vtrum accidens componatur ex materia, & forma; secundum accipiendo per potentiale inchoationem accidentis in subiecto eo modo,quo aliqui posuerunt inchoationes formarum substantialium in materia, de quo supra iam decisum est.

Tertio accipiendo per potentiale essentiam accidentis,per actuale esse ipsius, vt sit sensus quæstionis, vtrum accidens componatur ex essentia,& esse.

Quarto accipiendo per potentiale quãdam entitatem accidentis,quæ sit potentialis respectu alterius,quæ sit actualis, vt sensus quæstionis sit. Vtrum sicut in prædicamento substantiæ substantia componitur ex duplici parte vna potentiali, quæ est materia,altera actuali, quæ est forma; ita in quolibet prædicamento accidentis sit duplex entitas accidẽtalis, quarum vna sit potentialis respectu alterius, altera actualis: Et hoc vltimo modo amplectitur partem affirmatiuam concedendo omne accidens in subiecto habere suum potentiale eiusdem generis, quod præsupponat in subiecto, non autem ex quo componatur,vt substantia completa componitur ex materia & forma.

Suarez in met.dist.14 sec.2.dist.15. sect. 10. nu.69. & 70. Sententia negatiua contraria est communis, quæ licet non neget in aliquo prædicamento accidentium aliquid esse potentiale respectu alterius, non vult tamen hoc esse perpetuum, & vniuersale.

Pro prima sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima lib.3. met. Tex.15. mouet quæstionem Philosophus; Vtrum omnium eadem sint principia, quam postea soluit 12. metaph. Tex.23. dicens, quod sint eadem secundum analogiam, quem locum explicat. Comm. asserens in vnoquoque prædicamentorum accidentium inueniri principia secundum proportionẽ ad principia substantiæ, ita vt sicut sunt tria principia in prædicamento substantiæ materia,forma,& priuatio, ita tria sint in omni alio prædicamento, diuersa tamen, & solum secundum proportionem eadem: Commento vero 26. habet potentia & actus,quæ sunt principia substantiæ sunt alia à potentia & actu, quæ sunt principia qualitatis,& sic de alijs prædicamentis. Confirmari potest per auctoritatem S. Thomæ & etiam eiusdẽ Commentatoris, qui alibi vt 3.Phys.com.9 affirmat, quod potentia ad vnumquodque prædicamentum est in illo genere prædicamenti,in quo est actus.

Secunda ratio. Omne quod definitur constat ex potentia & actu:accidentia definiuntur: Ergo constant ex potentia & actu,non alterius generis, & prædicamenti: Ergo eiusdem.

Confirmatur ex 7.met.Tex.50. vbi Philosophus facit hanc consequentiam. Si omnis substantia est incomposita, sequitur, quod nullius substantiæ sit ratio, siue definitio.

Tertia omnis mutatio per se vna est ad terminum per se vnum: sed calefactio est mutatio per se vna, vt patet; Ergo productum per eam est per se vnum; hoc autem productum non est forma simplex, quia ex 7.met. talis forma non generatur, nisi per accidens,nec tale productum est compositum ex accidente,& subiecto, quia tale compositum non est vnum per se; Ergo est compositum ex accidente potentiale,& actuale.

Pro contraria sententia negatiua ratio.

Pri-

Primã quidquid est in subiecto ipsum informando est actus; sed potentialitates accidentales, quæ ponuntur, sunt in subiecto ipsum informando: Ergo sunt actus: Ergo non datur accidens potentiale. Respondet Caiet. actus esse in duplici differentia, quidam qui sunt primo, & per se actus, & propter se intenti à natura, vt actus secundi potentiarum; Quidam qui sunt per se primo potentia, quamuis habeãt modum quendam actus; Quia recipiuntur in subiecto, tamen sunt potentiale; quia instituti sunt propter alium actum, vt potentiæ actiuæ, & passiuæ: Quando dicitur omnẽ actum habere propriam potẽtiam sibi correspondentem, quæ est eiusdem generis, intelligitur de actibus primo modo, qui quidem sunt per se primo actus, & vt tales intenti à natura, non autem de illis, qui sunt essentialiter potentia, licet habeant modum quendam actus; quia ad potentiam non est potentia eiusdem generis; nã sic daretur processus in infinitum. Sed contra. Si in omni genere accidentium esset potentiale, & actuale dicto modo deberet esse etiam in quantitate: at in quantitate assignari non potest aliquid eiusdem generis, quod sit potẽtiale, & aliud quod sit actuale; Ergo in omni genere non datur quid potentiale distinctum ab actuali.

Secunda ratio. Accidens de sua natura est entis ens, & dicit inesse: ergo pro suo subiecto, & potentia subiectiua agnoscit substantiam: ergo neque vniuersaliter omne accidens actuale habet aliud tanquam sibi potentiale, & potentiale quod est substantia saltem secundum rem immediatum esse debet alicui actuali accidentis.

Tertia accidentia in suo genere sunt formæ simplices: ergo non debent componi ex potentia, & actu: Ergo in accidente non est necesse dari potentiale, & actuale.

Pro solutione.

Notandum, quod non omni actui distincto debet secundum rem correspondere distincta potentia: secus enim omni formæ substantiali, saltem secundum speciem distinctæ, respondere deberet distincta materia, non solum secunda, sed prima, ac proinde non esset vnum principium materiale omnium generabilium, & corruptibilium; Vna ergo potentia sufficiet ad multos actus; Quoniam in plus se habet potentia, quam actus saltem successiue, & sic vnum lignum successiue habere potest, & frigus & calorem; non tamen idem calor potest habere plura subiecta; Et vna causa potest habere plures effectus, non tamẽ vnus effectus plures causas, nisi ad summũ partiales, & diuersi ordinis; cum ergo in plus se habeat potentia, quam actus, non omni actui distincto debet respondere potentia redistincta. Iam actus accidentales cum sint quasi complementum substantiæ, ita sunt ordinati ad substantiam, vt nũquam ab ea possint penitus præscindere, vt proinde non debeat illis respondere potẽtia proprij generis, cum qua vnum quid constituant, & quasi à substantia absoluãt. Considerandum tamen est, quod actus accidentales, cum sint multi, non debent esse omnino inter se disparati, maxime cũ sint ordinati ad vnum subiectum perficiendũ: debent ergo inuicem ordinari: si autem inuicem ordinantur, ordinari debent vel in genere causæ efficientis, quatenus vnus enascitur ex altero, vel in genere causæ materialis, quatenus vnus recipitur in altero, vel in genere causæ finalis, quatenus vnus est propter alterum, & sic operationes immanentes, & sunt à potentijs, & sũt in potentijs, à quibus producuntur, & propter operationes producendas ipsæ potentiæ sunt. Sed tamen aduertendum est, quod non solum inter accidentia debet deueniri ad vnum, quod immediate subiectetur in materia, ne procedatur in infinitum, sed vlterius verum non est, quod debeat in eodem genere esse illud, quod subiectatur, & quo medio in substãtia subiectatur; nam potentiæ in genere qualitatis sunt, vi sic, & alij huiusmodi actus in genere actionis: Calor qualitas est, at superficies, in qua calor, non qualitas, sed quantitas. Igitur & est quidem aliquod primum, quod de se immediate recipitur in substãtia, ac proinde ad illud non datur aliquid potentiale eiusdem generis, & quo recipitur non semper est eiusdem generis cũ eo, quod recipitur, vt proinde solum aliqua accidentia ex peculiari ratione habere possint aliud, vel in eodem, vel in diuerso

prædicamento, quod sit ad ipsa potētiale. De quo inuestigandum est. Et primum reliqua accidentia præsupponunt, vt quid potentiale quantitatem; Quoniam cum debeant accipi in subiecto quanto, quantum autem sit subiectum, vt postea demōstrabitur, per quantitatem, in eo necessario præsupponunt quantitatem. Secundo aliqua accidentia sunt per modum actus secundi, non solum subiecti, sed simmul principij, hæc ergo cum in subiecto sūt, iam aliud accidens præsupponunt, in quo sint: Erit ergo omnis potentia, quæ ad operationem ordinata est, in ordine ad suum actum secundum, qui sit proprie immanens operatio, non solum principium elicitiuum, sed etiam receptiuum, ac proinde quid potentiale in ordine ad illum. Tertio aliqua alia accidentia reperiūtur, quæ ex sua particulari ratione sunt alicuius determinati actus, vt lumen, quod est actus diaphani, species visiles, quæ sūt quasi actus luminis, vnde lumen in subiecto præsupponunt, quod in alijs quoque euenire solet, quæ certam dispositionem præsupponunt in subiecto, sine qua non subiectantur, sed hoc in omnibus non est, vt proinde.

Dicendum sit non omni accidenti in subiecto respondere potentiam realiter ab ipso distinctam in eodem, siue etiam in diuerso prædicamento, si de potentia accidentali sermo sit, sed solum aliquibus ex aliqua sua peculiari ratione, omnibus tamen accidentibus respondere potentiā proportionatā quoad conceptum. Conclusio habet tres partes quarum prima, & secunda satis patet ex dictis. Tertia vero probatur; Quia potentia materiæ ad accidentia, licet secundum rem non sit accidens, est tamen accidens materiæ, quatenus formaliter est extra essentiam ipsius, quæ sufficienter saluatur sicut dictum est per ordinem ad formam substantialem, rursum quod hæc multiplicetur formaliter in omnibus prædicamentis. Patet ex eo, quod quale cum fit non fit ex substantia potentia, sicut ex non substantia actu potentia autem substantia, sed ex non quale actu, quale potentia, quod idem dicitur de cæteris, sed quod est potentia quale, vt sic differt ab eo, quod est potentia quantū vt sic &c. Ergo in omni prædicamento secundum conceptum, & formaliter est distincta potentia. Confirmatur quia vbi sunt actus diuersi, respectus per se ad illos debent esse diuersi, sed in singulis prædicamentis sunt actus diuersi; Ergo potentia, quæ per se ipsos respicit debet esse diuersa.

Ad rationes primæ sententiæ in contrarium.

Ad primum respondeo dicendum, quod secundum philosophum diuersorum prædicamentorum diuersa sunt principia, formaliter loquendo, sicut in tertia parte conclusionis dictum est, quæ cum principijs substantiæ conueniunt secundum proportionem; cum quo tamen stat, vt non sit realiter potentia diuersa in omni prædicamento. Quare conceditur formaliter loquendo in vnoquoque prædicamento esse suam propriam, & peculiarem potentiam, sed hæc realiter loquendo in pluribus poterit esse vna.

Dices priuatio & forma, quæ etiam sunt principia in singulis prædicamentis, sunt realiter diuersa: Ergo & potentia. Respondeo quidquid sit de antecedēte, quod negari potest, nisi accipiatur in sensu negatiuo, & quatenus dicunt connotatiue res diuersorum prædicamentorum, negatur consequentia. Et ratio disparitatis est, quod res per formas simpliciter differunt, à sæpe inter se contrariantur, ac inuicem pugnant, quod non est nisi formæ sint realiter diuersæ, neque vnquam idem est forma cum sua negatione, at vna potentia simpliciter non contrariatur alteri. Verum quidem est, quod idem dici potest de potentijs, quod de illo antecedente, ratione negationis, quam potentia intelligitur includere.

Ad secundam respondeo dicendum, quod potentia & actus in proposito est duplex, metaphysicus, & physicus, quod definitur definitione completa, & essentiali cōstat actu, & potentia metaphysica, genere scilicet & differentia, non autem semper constat actu, & potentia physica, materia scilicet & forma; Verum quidem est quod accidentium definitiones sunt per additamentū, idest in eis poni solet subiectum. Quare ad argumentum in forma conce-

concedi potest totus syllogismus, & negari assumptum; nam hoc est propriũ definitionis accidentalis, vt constet materia, de Physica loquendo, alterius generis, & prædicamenti.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod omnis mutatio per se vna est ad terminum per se vnum loquendo de termino formali, seu de termino quo, non dè termino materiali, & de termino quod; Cum enim est per se vna dealbatio est ad albedinem per se vnam, non autem ad album, Quia album non est quid per se vnum. Quare negatur consequentia intelligẽdo de producto proprie, quod est, vt ibi infertur, compositum non forma, quæ solum est id quo aliquid producitur: nec in genere accidentium debet esse vnum quod producitur, Quia accidens presupponit substantiam, & illi aduenit vt ipsius complementum.

Obijcies quod est simplicius illud est perfectius, sed quod non est compositũ est simplicius; Ergo est perfectius. tunc sic. substantia ex dictis est composita, accidens nõ est compositum; Ergo accidens est perfectius substantia. Respondeo dicendũ, quod illud quod est simplicius cœteris paribus est perfectius, hic autem non sunt cœtera paria, ac proinde negatur consequentia.

Ar. 15. Vtrum in materia præter potentiam naturalem, assignari possit potentia obediẽtialis, violenta, & neutra.

De potẽtia obediẽtiali concordant cõmuniter auctores christiani dari in materia. Est autẽ potẽtia obediẽtialis, qua entitas quæcumq; creata agit, vel patitur, quæ vult auctor naturæ; Vnde potẽtia obedientialis re non distinguitur ab entitate vniuscuiusq; rei: Omnis enim res creata ita dei imperio subiecta est, vt præpotens ille rerum opifex sine vlla repugnantia possit illam assumere ad præstanda siue actiuæ, siue passiue quæcunque non implicãt contradictionem; Et sic Deus quãdo ille libuit assumpsit ignem ad refrigerãdum, aquam assumit in baptismo ad producendam gratiam, verba in Eucharistia ad transubstantiandum panem & c. Materia ergo, vt substat ineuitabili Dei imperio, potest agere, & pati etiam contra cursum & ordinẽ naturæ non solũ hoc, & illud, sed omnia, quę tamen contradictionem non inuoluunt; Quia vbi est contradictio non est ens, sed repugnantia entis. Materia Ergo sic considerata dicitur potentia obedientialis, quæ re nihil supra se ipsam addit, formaliter tamen addit connationem ad Deum sic illam assumentem, & ordinantem ad hunc, vel illum effectum, quem ex tali assumptione præter ordinem naturæ exhibet; ita vt conceptus obedientialis potentiæ in materia supposita ipsius entitate duplici connatatione consumetur, vna ad Deum materiam suo efficaci decreto assumẽtem, altera ad effectum, ad quem præstandum vel actiue, vel passiue per tale decretum redditur potens. Si quidem ea est vis diuinæ voluntatis, vt possit in creatura sua quæcumq; vult, iuxta illa. Voluntati eius quis resistit? Et omnia quæcumque voluit fecit in cœlo, & in terra, in mari & in omnibus abissis. Nam & sũme Deus beatus est habens quæcumq; vult, & sũme potẽs, quæ placita sibi sunt exequẽs, & summus Dominus, iubens, & obtinẽs, & hæc de potentia obedientiali.

Iam de potentia violenta & neutra est duplex sententia, altera affirmatiua, altera negatiua. Potentiam violẽtam & neutram in rebus astruit Scotus in prologo quęst. 1. & in 2. dist. 2. quæst. 6. At Cai. Tom. 3. opusc. Tract. 3. quæst. 1. Sotus secundo phy. q. 1. Potentiam neutram non admittunt, & potentiam neutram & violentam tollit Molina prima parte quęst. 12. art. 1. disp. 2.

Pro prima sententia sunt hæ rationes Prima materia nõ nihil cõfert motui violento, cũ violnetet aliquid mouetur, & tamen illi simpliciter repugnat; Ergo datur in ea potẽtia violenta. Pręterea ad aliquos motus materia neq; inclinat, neq; obluctatur; Ergo datur potentia neutra.

Secunda neutra illa potentia dicẽda est, quæ non magis inclinat in vnã partẽ, quam in aliam; violẽta autem, quæ vniparti simpliciter repugnat, licet secũdum quid conferat; Vtrumq; habet materia; Ergo in illa datur potentia neutra, & violenta.

Pro

Pro contraria sententia negatiua sunt hæ rationes.

Prima. potentia violenta in se ipsa implicat; Ergo dari non potest. Patet Antecedens, quia potentia dicit inclinationem, violentia inclinationem tollit, & dicit repugnantiam; Ergo potentia violenta in se repugnat. Ex eodem fere capite probatur non dari potentiam neutram: quia potentia dicit inclinationem: neutrum autem est quod non magis in vnam partem inclinat; quam aliam: Ergo non datur potentia neutra.

Secunda. potentia actiua neutra repugnat, vt manifestum est; Quia actiuum nõ est, quod alicuius non sit actiuum. Quod autem repugnet, & neutra passiue probatur sic. Vel neutra passiua est illa, quæ de se determinatur ad genus, sed est indifferens ad species, vt superficies in corpore, quæ in eo determinata videtur ad qualitatem, sed est indifferens videlicet ad albũ, & nigrum, ad calidum & ad frigidum &c. sed hoc non valet; quia secus in materia non esset potentia naturalis, sed solum neutra: Nam materia ita capax est formarum in genere, vt tamen ad hanc, vel ad illam non determinetur nisi ab agente. Præterea album quando fit in hac superficie educitur de potentia illius subiecti; Ergo potentia illa non potest dici neutra.

Tertia ratio, aut per potentiam neutrã intelligitur mera negatio, & hæc nullo modo dicitur potentia; aut intelligitur aliquid positiuum, & tunc videtur repugnantia dicere, quod sit potentia, & sit neutra, vel violenta. Nam potentia 9. met. Tex. 13. definitur per illud, ad quod est potentia: Si ergo est potentia, est inclinatio respectu actus, si autem sit neutra, nulla est inclinatio, si violenta repugnat inclinationi.

Pro solutione.

Notandum, quod materia considerari potest, vel de se præcise, & vt est materia prima, ac proinde potentia ad omnes formas, vel vt est iam sub aliqua forma, & certis dispositionibus determinata, & solet dici materia secunda. Si primo modo consideretur non potest vllo pacto admittere nomen potentiæ violentæ, vel neutrius; ratio est de primo; Quia, vt dictum est, implicat, quod res dicat inclinationem, & capacitatem ad aliquid, quod est esse, potentiã, & simul ad illud habeat repugnantiam, quod est esse violentum.

De secũdo ratio est; Quia quod est inclinatio, & capacitas ad aliquid, non potest simul non esse, vnde repugnat potẽtia neutra, quæ non magis dicit capacitatem, quã negationem illius. Verum si materia cõsideretur, vt est sub aliqua forma, tunc adhuc considerari potest dupliciter, vel præcise, vt est determinata ab illa forma, & hoc pacto non admittit potentiam saltem violentam, vel vt est determinata per illã formam, & adhuc de se est potentia ad omnem actum, & tunc admittere potest potentiam violentam, & neutram. Nam considerandum est, quod ad aliquem actũ materia potest habere capacitatem; Quia de se est capax omnis actus, & simul habere repugnantiam quatenus est sub certis dispositionibus excludentibus actum, licet non omnino, & tunc erit potentia violenta; Quia respectu, & ratione diuersorum vtrumque habet, & inclinationem scilicet, & repugnantiam, de se habet inclinationem, vt est sub talibus dispositionibus passiue quodammodo repugnat, vnde cũ difficultate admittit actum; cum tamen nec ita passiue repugnet, vt tollatur omnis capacitas ipsius ad formam illam, cui repugnat per dictas dispositiones; nam si tollatur omnis capacitas iam amplius potentia nõ erit, proxime saltem, & quoad actum. Vlterius materia cum de se dicat inclinationem ad omnem actum, vt est sub certis dispositionibus, & formis potest se negatiue habere, vt se habet ignis in sua sphœra ad motum circularem; Ergo in materia sic concepta dabitur potentia neutra.

Quare:

Dicendum materiam de se consideratã non habere nisi potentiam naturalem, & obedientialem, & hanc quidem respectu auctoris naturæ. Consideratam vero cõiunctim secundm id, quod ipsi conuenit de se, & quod ipsi conuenit determinatæ per certas dispositiones, & formas, habere posse potentiam violentam, & neutram. Patet conclusio ex dictis, & confirmatur;

Quia

Quia fecus in natura respectu passi non darentur motus violenti,& præternaturales: Nam motus violeptus est semper in aliquo subiecto: Ergo subiectum ad illũ debet passiue concurrere, sed simul debet repugnare; Quia secus non esset violentus: Ergo motus violentus est, qui passiue est a potentia violenta, modo dicto; Præternaturalis præterea ille est, qui cum educatur de potentia subiecti, tamen subiectũ acceptum cum forma, neque repugnantiã, neque inclinationem ad illum habere videtur, sicut dicebatur de circulari motu ignis; Ergo motus prætetnaturalis est ille, qui est à potentia neutra.

Ad rationes in contrarium.

Et quidem prima, & secunda pro parte affirmatiua nihil aliud probant, quã quod in secunda parte conclusionis dictum est, vt patet.

Ad rationes pro sententia negatiua.

Ad primam respondeo dicẽdum, quod potentia violenta implicat si totum id, quod dicit, accipiatur respectu eiusdem, non vero implicat, si accipiatur respectu diuersorum, quæ tamen quodammodo cõcurrunt ad faciendum vnum; quod idem dicitur de potentia neutra.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod potentia actiua neutra, vel violenta omnino repugnat, non vero passiua, & ratio est, quia si in actiuo apponatur aliquid, quod cum actiuam destruat, vel penitus impediat, tollit omnino potentiam actiuam, saltem quoad actum; At si in subiecto ponatur aliquid, quod eius passiuam indifferentiam ita determinet, vt inclinet in vnam partem oppositorum, retinens adhuc aliquam capacitatem ad alteram, alteri parti erit potentia violenta; Quia adhuc illius capax erit, sed, vt sic, per violentiam; si vero ita determinetur, vt certo actui nec repugnet, nec in eum inclinet, dicetur potentia neutra, nec vrget illud de genere, & specie, quandoquidem potentia sumi debet respectu actus, ad quem habet comparationem attento modo philosophandi humano, & naturis rerum illum fundantibus, nec plus requiritur ad verificandam conclusionem.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod intelligitur aliquid positiue, sub aliqua tamen negatione, per quam fit, vt inclinatio subiecti non magis iuuet vnam partem, quam aliam; Itaque sicut potentia materiæ est inclinatio ad omnem actum, ita potest proxime reddi indifferens ad actus aliquos, vt ad neutrum illorum speciatim inclinet, neutri obsistat, & hæc erit potentia neutra. Cum autem loco citato metaphysicæ definitur potentia præcise definitur, vt est inclinatio ad vnum.

Obijcies contra id, quod dictum est de potentia obedientiali, materia habet potẽtiam ad formas artificiales, sed non habet vllam aliam potentiam ex dictis præter obedientialem.

Ergo.

Respondeo dicendum, quod per artem nihil fit nisi medijs potentijs naturalibus, quæ cum applicantur subiecto naturaliter operantur, licet quoad applicationem, & modum operentur quodammodo obedientialiter, ac proinde potentia subiecti ad formas artificiales erit naturalis, licet quoad modum, & quoad istam formalitatem artificialis, fit quodammodo potentia obedientialis.

Dices etiam quando cœcus illuminatur miraculose oculus habet potentiam natusalem ad visum.

Ergo.

Respondeo dicendum, quod quoties forma est ordinis naturalis potentia subiecti erit obedientialis solum quoad modum; sed si inducatur in subiectum forma ordinis supernaturalis, erit potentia obedientialis simpliciter; quod etiam valet quando potentia obedientialis accipitur actiue.

Art. 16. Vtrum omni potentiæ actiuæ respōdeat passiua proportionata, & contra.

QVod non respondeat omni passiuæ potentiæ sua proportionata actiua probatur his rationibus. Prima materia est in potentia passiua ad animam rationalem; Quoniam illi vnitur per se, et cum ea vnum compositum substantiale constituit: Sed non datur vlla potentia actiua naturalis, quæ producat animam rationalem; creatur enim immediate a Deo; Ergo non omni potentiæ passiuę correspondet actiua.

Secunda postquam res est corrupta manet adhuc in materia potentia ad illā formam; Quia materia est illa priuata, & si illi iterum vniretur vnum per se naturale constitueret: sed non datur potentia actiua naturalis, per quam possit potentia materiæ reduci ad actum; Quia nulla actione naturali corruptum potest redire: Ergo non omni potentiæ passiuæ respondet actiua.

Tertia multæ formæ possunt produci in materia, quæ nunquam producentur defectu agentium, quæ illas producant; Ergo non omni potentiæ passiuę respondet actiua.

Quod nec omni potentiæ actiuę respondeat passiua probatur his rationibus.

Prima potentiæ creatiuę Dei non respōdet vlla potentia passiua; Non ergo omni potentiæ actiuę respondet passiua: Consequentia patet. Probatur Antecedens. Quia potentia creatiua Dei producit effectum ex nihilo, nulloq; presupposito subiecto; Ergo illi non correspondet potentia passiua. Nec dici potest illam potentiam non includi intra ambitum agentium naturalium; Quia productio animæ rationalis est naturalis, cum fiat ad exigentiam causarum naturalium; Sed illa productio est à virtute creatiua Dei non concurrente passiue vllo subiecto; Quia anima rationalis non educitur de potentia materiæ; Sed illam solum actuat postquam producta est; Ergo non omni potentiæ actiuæ correspōdet passiua.

Secunda ratio. Potest Deus ponere à parte rei aliquam potentiam actiuam non posita passiua illi correspondente: sed possibili posito in actu nullum sequitur incōueniens; Ergo In conueniens non est dicere de facto non omni potentiæ actiuæ correspondere passiuam.

Pro contraria sententia affirmatiua sunt istę rationes, & primum pro prima parte de potentia passiua. Prima potentia passiua non potest se reducere ad actum; Ergo ne sit frustra, debet dari aliqua ei proportionata potentia actiua, per quam ad actū reducatur.

Secunda potentia passiua actiuam respicit; sed cum datur vnum relatiuum debet dari, & alterum; Ergo omni potentiæ passiuę respondere debet actiua. Et illæ duæ rationes eodem modo militant de potentia actiua; probant enim quod si datur potentia actiua naturalis, debet dari, & correspondens passiua, Nam potentia actiua naturalis respicit passiuam, & cum agens naturale non agat nisi in pręsupposito subiecto, nisi agēti naturali respondeat passum, nihil aget, & sic erit frustra.

Pro solutione.

Notandum, quod omnis potētia est propter suum actum, & effectum, vt proinde frustra sit futura nisi suum attingat actum, vel illum possit attingere; sed considerandum est, quod actus & effectus, qui alicui respondet potentiæ vel est actus in subiecto, vel actus per se subsistens, si sit actus per se subsistens, illi potentiæ respondere non potest potentia passiua; Quoniā actus per se subsistens non fit dependenter eductiue à materia; nam si in facto esse non indiget existere in materia, nec in fieri postulat dependere: Potentia ergo creatiua Dei, quæ habet pro suo obiecto, & termino tem per se subsistentem, non habet vllam propriam potentiam passiuam correspondentem, nisi potentiam passiuam velimus appellare potentiam obiectiuam, quam dicunt, qua aliquid cum non sit penitus, potest tamen esse, quoniam non inuoluit in suis terminis contradictionem: Vnde potest à Deo fieri, qui vt ens per essentiam continet omne ens non solum vt forma, sed vt causa; Quia quod actu est omni ratione

tione feliciſſimo & abſolutiſſimo enti nõ repugnante, & actu quoque vt cauſa eſt virtute ſcilicet continens, & efficacitate omne, quod eſt. Iam vero ſi actus, qui reſpondet potentiæ actiuæ, ſit actus in ſubiecto, tunc conſiderare oportet, quod cum talis potentia non poſſit conſequi ſuum finem, qui eſt agere, & operari, niſi in ſubiecto, & vice verſa ſubiectum ad actum reduci non poſſit, niſi ab aliquo agente, ne vtraque potentia ſit fruſtra, vel alterutra illarum, potentiæ actiuæ reſpondere debet paſſiua, & paſſiuæ reſpondere debet actiua; Deus autem, & natura, vt commune eſt effatum, nihil faciunt fruſtra, vt proinde ſi actiua in mundo aliqua potentia eſt, reſpondere ei debeat paſſiua, & vero etiam reſpondeat; Quia materia prima ad omnem formam informantem potentia eſt. Ex alia quoque parte, ne ſit potentia materiæ fruſtra, & huic reſpondere videtur actiua aliqua, quæ illam ad actum reducat: ſed tamen non parum dubium eſt primũ de formis, & actibus in indiuiduo, poſtea in ſpecie; nam materia de ſe non minus videtur potentia ad formas corruptas, quã ad alias, cum tamen commune ſit axioma ex philoſopho receptum. A priuatione ad habitum non dari regreſſum. Et vero etiam quod corruptum eſt non videtur exiſtere in potentia agentis naturalis; ſecus enim ſubinde rediret; non erit ergo potentia naturalis, quæ in indiuiduo correſpõdeat omni paſſiuæ materiæ, quam habet, puta adhuc, vel illum actum corruptum. Vtrum autem ſaltem in ſpecie reſpondeat paſſiuæ potentiæ materiæ actiua adhuc conſiderandum eſt; & quidem ſi ſupponamus omnes in mundo eſſe ſpecies poſſibiles, vel ſi omnes non ſunt, non eſſe non defectu agentis, ſed defectu applicationis illius, omni potentiæ paſſiuæ naturali correſpondebit actiua, ſed illud non facile demonſtratur, probabili tamen ratione ſua detur; Quoniam videtur credibile primam cauſam feciſſe hunc mundum quantum eſſe poterat in ſpecie perfectum; nam & omnes gradus entis illi largita eſt, ſimplicia, mixta, compoſita, ſine vita, viuentia, vegetabilia, ſentientia, rationalia.

Quare.

Dicendum non omni potentiæ actiuæ latiſſimæ ſumptæ reſpondere paſſiuam, actiuæ tamen mere naturali reſpondere paſſiuam item naturalem, & è conuerſo paſſiuæ reſpondere actiuam ſaltem in ſpecie. Patet ex dictis, & confirmatur ſecunda pars; Quia ſecus mundus eſſet imperfectus, nam non ſolum deeſſet illi aliqua ex ſpeciebus, quas naturaliter poteſt habere, ſed eſſet illi impoſſibilis ex vna parte, cum ex alia illam poſtularet: nam ſi aliqua eſt forma ſpecifica, ad quam materia naturaliter ſit in potentia, & nullum ſit agens, quod illam deducat in actum, nec deducere poſſit fruſtra vere erit talis potentia paſſiua, & mundus erit imperfectus vt carens inaquiſibiliter aliqua ſpecie ſibi naturaliter debita: Verum ſi materia non habeat omnes formas numericas, quas de ſe apta eſt habere, vel ſi non habeat ſecundũ omnes ſuas partes, non idcirco tamen in ea fruſtra erit potentia; Quia potentia ne ſit fruſtra ſatis eſt, ſi aliquando, vel ſecundum aliquam partem ſui reducta ſit ad actum, vel reducatur, vel poſſit reduci naturaliter. Confirmatur prima pars concluſionis. Quia prima cauſa non agit ex ſubiecto, cum agat ad totum ens.

Ergo.

Ad rationes pro prima ſententia. Ad primam reſpondeo dicendum, quod materia reſpectu animæ rationalis non eſt potentia paſſiua, neque eductiua, ſed tantum compoſitiua; neque neceſſarium eſt materiam reſpectu omnis actus paſſiuam, ſiue eductiuam eſſe potentiam, ſed talis ſolum eſt reſpectu actus recepti, qualis non eſt anima rationalis, vt oſtendit eius operatio.

Ad ſecundam reſpondeo dicendũ, quod etiamſi corrupta forma aliqua adhuc materia ſit potentiã ad illam, ita vt ſi illi vniretur vere vnum ens naturale cum ea conſtitueret, tamen non eſt neceſſe dari agens naturale, quod poſſit in ea iterum facere talem formam; Quia ex dictis ad hoc, vt talis potentia dicatur non eſſe fruſtra, ſatis eſt ſi reducta ſit ad actum ſemel, vel ſi poſſit reduci ad actum in ſpecie, licet non poſſit reduci ad eundem numero actum.

Ad tertiam reſpondeo dicendum, quod

vere multæ formæ producibiles nunquam producentur defectu agentium non incũbentium ad actum; Quod etiam accipi potest de aliquibus formis in specie; nam sicut congredientibus equo, & asino fact° est mulus, ita possent congredi alia ad alias species,& componi etiam noua mixta per artem applicãtem noua miscibilia, quæ non est necesse omnia reduci ad actũ, non quod in mundo desint agentia, sed quod non applicentur.

Ad rationes pro secunda parte primæ sententiæ.

Ad primam patet ex dictis. Ad confirmationem eius dicendum, quod productio animæ rationalis est naturalis in eo sensu, quod est ad exigentiam causarum naturalium, & propter constitutionem entis naturalis, non vero quod de se præci se spectata sit per potentiam aliquam subiectiuam,& actiuam naturalem, ipsam im mediate attingentem. Dices ergo actus & potentia satis in mundo ordinata non sunt; Quod probatur: Quia anima rationalis ex vna parte ponitur actus materiæ, ex alia dicitur non esse ex materia.

Præterea homo cum sit ens naturale ex vna parte causam suam naturalem productiuam habere debet, cum tamen ex alia parte illi ea negetur,negando animam rationalem attingi per eductionem,& ponẽ do illam fieri per creationem. Respondeo dicendum, quod materia cum sit propter actum, vt imperfectum, & perfectibile propter perfectum,& perfectiuum,in tota latitudine actus informatiui, non debet actus dependere in esse, & fieri à materia; sed hoc debet esse ex imperfecta conditione talis actus, satisque erit, quod materia respiciat totam latitudinem actus informatiui,tanquam formabile ab ipsis,& adducibile ad vnum solum complerũ; Quod etiam perfectissime habet per animam rationalem: Ex perfectione autem animæ rationalis super alios actus deinde est, quod ipsa in esse non dependeat à materia; Ex imperfectione vero cæterarum formarum est, quod dependeant, cum ex absoluta conditione actuum informatiuorum solum sit, vt materiam necessario requirant, quam informent; In quo genere cum anima rationalis quoque sit,vt ostendit constitutum per ipsam, & gradus sensitiuus,ac vegetatiuus, qui ex ipsa quoque in homine sunt, vt ostendimus alibi, ideo anima rationalis necessario respicit materiam non vt causam sui, sed vt compartem & concausam sui constituti: Cum autem anima rationalis ex se non sit,vt patet,nec sit ex materia; Quia actus & perfectio non est necessario ex potentia formabili, & ex imperfecto,fieri consequenter debet ab aliquo. Omne autem agens physicum agit tantũ ex subiecto,& materia, vt osten dunt eius instrumẽta,quę sunt in subiecto, vnde anima rationalis non poterit fieri ab vllo agente physico: Attamen cum ipsa vt forma corporis dispositiones habeat corporeas, quas attingit agens physicum, ab ipso adhuc quodammodo erit remote scilicet,& ratione dispositionum, non pro xime & immediate ratione sui, quo pacto à prima causa necessario erit, cuius est supplere,quæ desunt agentibus physicis. Quare adhuc in homine actus & potentia satis ordinata erunt;quia ex ipsis, vt ex alijs vnum erit, nec actus hic fiet ex materia; Quia hoc de ratione actus non est, sed solum de ratione actus imperfecti, quem excedit anima rationalis, vt eius manifestat operatio.

Dicitur tamen homo habere causam naturalem sui: Quia habet causam naturalem omnium, quæ ad constitutionem hominis concurrunt, excepta tantum productione animæ;& quia illam ipsam productionem vindicant, quæ fiunt per causam naturalem hominis: ex perfectione autem animæ hominis est,quod aliter homo fieri non possit.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod illud Deus non potest de potentia ordinata, nec etiam forte de potentia absoluta, nisi ob aliquem finem extrinsecum; Quia Deus, vt sapientissimus artifex semper operatur ex fine, nec temere potest operari: si autem esset agẽs sine passo hoc temere,& frustra esset, loquendo de agente operante ex subiecto.

Art. 17. Vtrum materia pertineat ad essentiam compositi naturalis.

DVpliciter accipi potest sensus quæsiti. Primum vt pertinere ad essentiam compositi naturalis sit non reperiri compositum naturale sine aliqua materia; Et in hoc sensu nullus negare potest materiā pertinere ad essentiam compositi naturalis; Quia & solemne est apud Aristotelē, & omnes concedunt res physicas aliquam habere materiam quocunque tandem modo materiam accipiant. Secundo sensus est: Vtrum prædicata essentialia, quæ dicuntur de rebus physicis, necessario includant materiam, & tā à materia sumātur, quam à forma; An vero à forma sola connotante materiam: Et in hoc sensu quæsitum habet difficultatem, & philosophi in contrarias abiere sententias, dum hi affirmant, illi negant.

Negare censetur Auerroes 7. met. com. 21. & 34. Iandunus expresse 7. met. qu. 12. fauet Aphrodi. 2. met. Tex. 12.

Affirmatiua sententia est communis S. Thomas prima parte qu. 75. art. 4. ibidem Caiet. & 1. contra Gent. cap. 21. Auic. 5. met. cap. 4. Boetij lib. de duabus naturis, & vna persona Christi. Alen. Scot. Dur. & aliorum.

Pro sententia negatiua fit, prima ratio ab auctoritate philosophi, qui sæpe formā appellat ipsum quid est, idest rationem quidditatis: ita secundo Physicas Tex. 28.

Secunda homo essentialiter differt ab equo, equus à leone, & sic de reliquis; sed homo non differt ab equo materia, neque equus à leone; Ergo essentia, qua differunt, est à forma; Quia in forma differunt.

Tertia si essentia petri contineret eius materiam; Ergo hæc singularis materia petri esset de illius essentia; Sed hoc esse non potest; Ergo materia non clauditur in essentia.

Probatur minor primo essentia petri est eadem semper, & immutabilis, at materia petri perpetuo fluit, & mutatur, cum subinde aliquæ partes resoluantur vi caloris naturalis humidum depascentis, & aliæ de nouo accedant; Non igitur materia potest esse de essentia petri; si enim sit; quænam erit? illa quæ resoluta est, an quæ de nouo aduenit? Si hæc, mutatur essentia petri, si illa petrus erit per id, quod iam ipsi non est. Præterea moriente petro illius materia fit sub noua forma: Ergo idem constituit diuersam essentiam. Tertio in resurrectione debent redire eadem essentialiter indiuidua humanæ speciei; Ergo petrus si materia est de essentia eius redire debebit cum eadem protsus materia, sub qua fuit toto vitæ suæ tempore: hoc autem esse non potest; Primo quia rediret sub ingenti mole. Secundo multæ ex partibus illius materiæ pertinēt ad alios homines, maxime vbi homines se mutuo deuorant; Ergo materia non potest pertinere ad essētiam hominis.

In contrarium pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima ex philosopho 1. Physi. Tex. 65. & 66. qui vult ex tribus principijs generationis, duo, idest formam & materiam remanere, & componere compositum; & secundo Physi. docet nō solum formam, sed etiam materiam esse naturam. 7. met. Tex. 35. Vniuersale vero substantia non est; sed totum quoddam ex hac ratione, & hac materia tanquam vniuersali: singulare vero ex vltima materia jam Socrates est, & de cœteris similiter.

Secunda ratio ab Auctoritate S. Athanasij, quam complexa est Ecclesia, & habetur in symbolo eiusdem, vbi dicitur. Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus, accedit auctoritas S. Augustini 19. de ciuit. cap. 3. vbi commendat Varronem, quod posuerit hominem neque esse solum corpus, neque solam animam; sed conflatum ex vtrisque, & lib. 8. cap. 8. & alibi vult animam non esse totum hominem, sed meliorem eius partem.

Tertia ens naturale est quid compositū; Ergo ex materia & forma: Patet consequentia; Quia sola forma non est composita, nec dici potest, quod sit compositum ex forma

forma substantiali, & accidentali; Quia talis compositio constituit vnum per accidens.

Ergo.

Quarta essentia completa non potest cõstitui ex solo ente incompleto: sed forma substantialis præcisa à materia est ens incompletum; ergo se sola non potest constituere essentiam rerum naturalium, quæ est completa; concurrere ergo cum ipsa debet materia, cum qua forma vere facit vnum quid completum.

Quinta homo est quoddam ens naturale corruptibile; sed si homo essentialiter esset sola anima rationalis, esset ens incorruptibile; non ergo homo essentialiter est anima tantum rationalis, sed includit corpus.

Sexta, quidquid est de essentia omnium indiuiduorum, quæ continentur sub aliqua specie, vniuersaliter conceptum est essentia speciei; sed materia est pars quidditatis indiuiduorum materialium; ergo est de essentia speciei.

Cõfirmatur illud est de essentia rei quod in eius definitione ponitur; sed materia ponitur in definitione materialium ex 6. met. Ergo materia est de essentia rerum naturalium. Præterea si materia non est de quidditate; ergo vera erit hæc propositio. Compositum naturale est forma, sed non est: Ergo. Demum ex Scoto sequeretur animam separatam esse hominem; consequens est absurdum, ergo & antecedens.

Pro solutione.

Notandum, quod materia non vno modo accipitur, maxime apud philosophum cum loquitur de rationibus, & formalitatibus intelligibilibus, quibus res definitiuo constituuntur, nam omne illud, quod his posterius est, & quasi substratum harum rationum, apud ipsum materia dicitur vt æneum respectu circuli, cuprum respectu idoli; Socrates respectu hominis, caro, os, & reliqua huiusmodi respectu animalis. Quare cum de his loquitur Aristotiles diligenter aduertendum est, vtrum loquatur de materia physica, an de materia metaphysica, quæ adhuc se habet dupliciter, altera quidem vt genus respectu differentiæ, altera verò; vt substratum quodcumque fundans rationes intelligibiles; Et si de materia hoc posteriori modo sermo sit, vt sæpe est apud Aristotelem, vt fere quoties formam appellat quodquid erat, & rationem rei, certum est materiam sic acceptam non ingredi essentiam, & rationem definiti: At vero si sit sermo de materia, quatenus accipitur pro ratione generica, dubium non est definitionem licet minus principaliter ipsam ingredi, cum omnis definitio coalescat ex genere & differentia, tota ergo controuersia est de materia physica, quæ tamen adhuc potest procedere dupliciter; primum quidem, vt quæratur, an essentia directe, & explicite inuoluat materiam physicam, & certum est non inuoluere.

Secundo vt quæratur, an essentia in rebus materialibus sumatur ex constituto physico per materiam & formam; an vero ex forma tantum connotante materiam; Et pro decisione considerandum est, quod essentia hominis (sit hæc loco exempli) nihil aliud est, quam ratio quædam intelligibilis, quam exprimimus per hos duos terminos, animal rationale, quæ ratio vt apparet nec includit Socratem, neque carnẽ, neque os, neque potentiam contradictionis, neque alia huiusmodi, quæ tamen in homine sunt alijs modis considerato; sed neque vt sic dicit animam rationalem; sed tamen dicit aliquid, cuius formale significatum propius se habet ad eam, quam ad alia, quæ dicta sunt.

Dubium igitur est, ratio ne ista hominis, siue animal hoc rationale, quod per se nõ est, sed in inferioribus est, puta in Petro, Paulo, Socrate, & alijs, in ipsis dicat animam & corpus, an tantum animam, ita vt saluetur in anima, omni præciso corpore, & certum est nõ saluari neq; enim anima hominis, homo est; neque animal, quod est principiũ sentiendi sine corpore est; Quia sensus omnis organi potentia est; vt proinde inuoluat materialium essentia materiam, non vt aliquid de suo formali significato, saltẽ proxime sed vt id, sine quo non est illud, quod fundat hoc formale significatum, & sine quo non fundat.

Quare.

Quare.

Dicendum materiam modo explicato innotando pertinere ad essentiam compositi naturalis. Patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur; Quoniam corporeum seu materiale est quoddam prædicatum quidditatiuum, quod distinguit substantiam Physicam à substantia incorporea, & spirituali; Ergo pertinet ad essentiam physicæ substantiæ; sed quod est de essentia superioris, est etiam de essentia inferiorum contentorum in eadem linea essentiali: Ergo materiale est de quidditate & essentia omniũ rerum naturalium: hoc autem, vt manifestum est, esse non potest, si materia excluditur à quidditate compositi naturalis; Ergo materia à quidditate compositi naturalis excludi non potest.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam ex auctoritate philosophi respondeo dicendum, quod philosophus non nunquam per formam intelligit formam metaphysicam, quæ coincidit cum quidditate; si vero aliquando intelligit formam physicam hoc modo eam appellat; Quia habet præcipuas partes in quidditate; cum vltimo, & completiue Quidditas sit per formam, per materiam vero quasi inchoatiue nam cum materia de se sit potentia, quidditas non magis est hæc, quam illa, quod ergo sit *hæc*, vel illa *habet* à forma; Vnde forma dicitur quidditas, quod proxime ab ipsa sit, quidditas, à materia solum remote, & vt dictum est inchoatiue, per quod tamen materia excludi non potest à quidditate rerum naturalium, sicut non excluditur ab earum physica compositione.

Ad secundam Respondeo, quod equus differt à leone equinitate, cum tamen cum eo conueniat in animalitate; & tamen equinitas est ab eadem forma in equo, a qua est animalitas; vnde dicendum esset equum à leone differre forma, & non differre forma, quæ repugnant. Dicendum igitur est Physice equum differre à leone & sua materia & sua forma, metaphysice vero differre specie, seu differentia, quæ tamen est à materia, & à forma, licet à forma principalius; Quare in forma concessa maiore, negari debet iuxta dicta minor, & consequentia.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod essentia Petri quoad id, quod includit de gradu specifico, & in actu signato, est semper eadem, & immutabilis; quod ad illud vero, quod additur super gradum specificum, & in actu exercito, non est penitus eadem, sed per æquiualentiam; nam certum est, quod licet Petrus in specie idem sit puer ac senex; non est tamen idem quoad corpus nisi per æquiualentiam, & quoad aliquas partes, cum tamen formaliter semper Petrus sit ex corpore & anima, non autem sola anima.

Quoad secundam confirmationem dicendum, quod non est inconueniens eandem materiam esse sub diuersis formis successiue, & pertinere ad diuersas essentias: talis enim est natura potentiæ, vt per diuersos actus ad diuersas species trahi possit.

Ad tertiam confirmationem respondeo dicendum, quod in resurrectione redibunt eadem indiuidua, quæ per mortem defecerunt; sed non omnia redibunt penitus eadem quoad corpus, vt infantuli, & illi, quorum corpora constabant materia aliorum, quæ potiori iure illis debetur, vel quod fuerit in partibus primigeneis, vel in partibus corporis principibus, vel alia tali causa; nec est necessarium, quod corpora aliorum resurgant cum tota materia quã habuerunt toto vitæ tempore, sed resurgent maxime cum illa, cũ qua pro amore Dei laborarunt, vt cum anima regnet, quæ cũ ea passa est.

Obijcies. sicut se habet materia secunda ad artefacta, ita materia prima ad res naturales; sed materia secunda non est de essentia artefactorum; Ergo neque materia prima erit de essentia rerum naturalium. Maior patet; Quia eodem modo in artefactis necessaria est materia, ac necessaria est in rebus naturalibus: Minor probatur quia statua essentialiter est talis figura, non conflatum ex figura & materia; Quod ex eo patet; Quia si varietur materia stante figura, seruatur ratio statuæ: at si varietur figura, non erit amplius eadem statua. Respondeo dicendum, quod etiam in artefactis materia secunda est de ratione eorum; quando quidem non saluatur ratio arte-

Artefactorum fine materia; neque enim gladius luteus, vere gladius est; neque malleus ex butyro vere malleus, sed ad rationem gladij, vel mallei est necessaria talis materia saltem generica, dura videlicet,& apta ad finem artificiati; Quare materia consentanea fini artificiati ingreditur eius essentiam, qualiscunque tandem illa sit, per quæ patet quid respondendum sit ad argumentum: nec saluari potest figura statuæ nisi in materia apta ad repræsentandum.

Objicies secundo. 3. de anima Tex. 9. dicit philosophus aliud esse carnem, aliud ipsum esse carni. præterea Secundo physi. Tex.19.& 2.Met.Tex.10. vult res naturales ita definiri per materiam, sicut definitur simitas per nasum; Ergo sicut nasus non est pars quidditatis ipsius simitatis; ita neque materia erit pars quidditatis rerum naturalium.

His accedit ratio ex eodem Arist.nam illud, quod obstat quo minus in rebus materialibus idem sit quidditas, & habens quidditatem non potest esse aut quidditas, aut pars quidditatis, sed talis est materia secundum Arist. tertio de anima Tex. 9. & 7. Met.Tex.41. Ergo materia non est pars quidditatis, atque adeo forma erit tota quidditas.

Respondeo dicendum, quod philosophus in ijs, quæ habent materiam distinguit essentiam sine quidditatem, & illud, quod habet quidditatem, & hoc vult esse indiuiduum, & singulare, quod non potest esse de quidditate; Quoniam autem res materiales Singularizantur per materiam, vel occasione materiæ, vult materiam vt est singularis, & constituit indiuiduum non esse de quidditate,cum tamen vt aduertit S. Thomas, & Alex. Alen. loco citato Met. Prius Arist. dixisset materiam, in vniuersali scilicet, pertinere ad quidditatem rerum naturalium. Quare non est negandum aliud esse carnem aliud esse carni; Quia vere distinguitur caro, & habens carnem, neque hoc vt sic est de essentia illius. Secundo & tertio loco Philosophus vult materiam in vniuersali, sicut dictum est, pertinere ad essentiam rerum naturalium, non tamen eo prorsus modo, quo pertinet subiectum ad essentiam accidentium,sed per vnum vt notius declarat aliud.

Ad rationem exponenda est minor de materia signata, & singulari vt sic, non de materia in vniuersali accepta, & iuxta hanc distinctionem concedenda est consequentia.

Art. 18. Vtrum Materia respiciat prius formam, an compositum, vel agens.

Quod prius respiciat formam probatur his rationibus. Prima. perfectibile primo, & per se respicit suum perfectiuum: forma est perfectiuum, materia perfectibile; Ergo materia primo, & per se respicit formam.

Secunda. potentia per se primo respicit actum: forma est actus materiæ. Ergo materia per se primo respicit formam.

Tertia. materia, & forma sunt ad aliquid transcendentaliter; Ergo vnum primo & per se respicit alterum.

Quod primo Respiciat agens probatur his rationibus. prima. omnis potentia passiua primo respicit actiuam; sed materia est potentia passiua, agens actiua; Ergo materia primo respicit agens. Maior probatur ex 5. Met. Tex. 17. vbi definitur potentia passiua in ordine ad actiuam: definitur enim potentia passiua principium transmutationis ab altero.

Secunda. materia non recipit formam, nec constituit compositum, nisi transmutata ab agente; Ergo prius respicit agens, quam formam, aut compositum.

Quod primo respiciat compositum probatur his rationibus. prima. illud materia primo respicit, quod ponitur in ipsius definitione vt terminus respectus; sed hoc est compositum; Ergo primo respicit compositum. Maior patet; Quia in definitione explicantur essentiæ, ac proinde ponitur terminus essentialis. Minor probatur; quia definitur materia primum subiectum, ex quo inexistente fit aliquid; sed quod fit est compositum. Ergo.

Secunda. materia respicit agens propter formam, & formam propter compositum; Ergo

Ergo quod primo & per se respicit est cōpositum.

Pro solutione:

Notandum, quod duplex assignatur in rebus ordo, intentionis, & generationis: Ordo generationis est ille, qui attenditur in generatione alicuius rei, quo ordine pręcedit agens, tum succedit per actionem agentis forma, postremo fit compositum; nam licet cum est forma in subiecto fit cōpositum; Quia tamen forma est causa compositi, vt illius pars constitutiua, ideo saltem natura forma est prior composito, & compositum vltimum. At ordo intentionis est, quo inter multa aliquid prius intenditur alio; Vnde ordo intentionis coincidit cum ordine finis. Prius ergo hoc ordine est illud, quod est principalius intentum, tum quæ ad hoc principalius vicinius accedunt, & hoc ordine prius est compositum; nam quod primario intenditur, & vt quod, est compositum; ideo enim materia suscipit formam, vt cum illa vnum ens cōpletum naturale constituat, quod est compositum; post compositum est forma substātialis; Quia hæc vicinius ad compositum accedit, vt id, quo fit; Vnde ordine intentionis. Secundo loco erit forma substantialis; Tertiò erit forma accidentalis; Quia hæc vt requisita ad formam substantialem succedit post illam, vltimo loco est agens, vt illud extrinsecum, sine quo hæc haberi non possunt.

Quare:

Dicendum, quod ordine generationis, siue executionis materia prius respicit agens, tum formam accidentalem, postea substantialem, vltimo compositum: Verum ordine intentionis, & finis primo respicit compositum, secundo formam substantialem, tertio accidentalem, vltimo agens. Patet Conclusio ex dictis, ad illamque probandam accommodari omnes fere possunt rationes supra factę.

Ad confirmatur illa sunt priora ordine generationis, quæ prius sunt à parte rei, siue quæ prius à parte rei ponuntur, sed agēs supponitur esse ante cœtera omnia, & forma accidentalis ante formam substātialē, cum sit dispositio ad illam, & forma substantialis, si non tempore, natura tamen supponitur ante compositum, vt illud, quo fit compositum; Ergo ordine generationis materia prius respicit agens &c. Quod vero ordine intentionis contrario ordine procedatur ex dictis manifestum est, cum hoc ordine illa priora sint, quæ sunt perfectiora, & quæ sunt aliorum finis; sed compositum est perfectius forma substantiali, & illius finis; similiter forma substantialis est perfectior forma accidentali, & finis eius; forma vero accidentalis immediatius est propter compositum, & propter formam substantialem, quam agens: Ergo ordine intentionis materia primo respicit compositum &c.

Ad rationes in principio factas, quatenus sunt in contrarium.

Ad primam respondeo dicēdum, quod ordine generationis perfectibile primo respicit suum perfectiuum, sed ordine intentionis primo respicit id, ad quod cum suo perfectiuo ordinatur; seu respiciendo suū perfectiuum immediate, & vt quo, respicit, vt quod compositum, ad quod ordinantur; Quare loquendo de ordine intentionis negatur consequentia. Per quæ etiam patet.

Ad secundam rationem; potentia enim respicit actum vt quo, cōpositum vt quod, actum respicit prius ordine generationis, compositum ordine intentionis.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod materia & forma, sicut dictum est, sunt ad aliquid; sed forma non est vltimus terminus respectus à materia, nec materia à forma, sed vtriusque vltimus terminus est cōpositum.

Ad primam pro rationibus secundo loco positis pro secundo modo. Respondeo dicendum, quod conceptus potentiæ passiuæ, vt sic non est de essentia materiæ sicut dictum est.

Præterea quod etiam potentia passiua respicit actiuam propter transmutatiōnē.

Ad secundam respondeo dicendū, quod illa ratio procedit de ordine generationis, quo diximus prius materiam respicere agens.

Rationes tertio loco positæ nihil aliud probant, quam conclusionem, vt patebit consideranti.

prædicamento, quod sit ad ipsa potētiale. De quo inuestigandum est. Et primum reliqua accidentia præsupponunt, vt quid potentiale quantitatem; Quoniam cum debeant accipi in subiecto quanto, quantum autem sit subiectum, vt postea demõstrabitur, per quantitatem, in eo necessario præsupponunt quantitatem. Secundo aliqua accidentia sunt per modum actus secundi, non solum subiecti, sed suimet principij, hæc ergo cum in subiecto sūt, iam aliud accidens præsupponunt, in quo sint: Erit ergo omnis potentia, quæ ad operationem ordinata est, in ordine ad suum actum secundum, qui sit proprie immanens operatio, non solum principium elicitiuum, sed etiam receptiuum, ac proinde quid potentiale in ordine ad illum. Tertio aliqua alia accidentia reperiūtur, quæ ex sua particulari ratione sunt alicuius determinati actus, vt lumen, quod est actus draphani, species visiles, quæ sūt quasi actus luminis, vnde lumen in subiecto præsupponunt, quod in alijs quoque euenire solet, quæ certam dispositionem præsupponunt in subiecto, sine qua non subiectantur, sed hoc in omnibus non est, vt proinde.

Dicendum sit non omni accidenti in subiecto respondere potentiam realiter ab ipso distinctam in eodem, sine etiam in diuerso prædicamento, si de potentia accidentali sermo sit, sed solum aliquibus ex aliqua sua peculiari ratione, omnibus tamen accidentibus respondere potentiā proportionatāquoad conceptum. Conclusio habet tres partes quarum prima, & secunda satis patet ex dictis. Tertia vero probatur; Quia potentia materiæ ad accidentia, licet secundum rem non sit accidens, est tamen accidens materiæ, quatenus formaliter est extra essentiam ipsius, quæ sufficienter saluatur sicut dictum est per ordinem ad formam substantialem, rursum quod hæc multiplicetur formaliter in omnibus prædicamentis. Patet ex eo, quod quale cum sit non sit ex substantia potentia, sicut ex non substantia actu potentia autem substantia, sed ex non quale actu, quale potentia, quod idem dicitur de cæteris, sed quod est potentia quale, vt sic differt ab eo, quod est potentia quantū vt sic &c. Ergo in omni prædicamento secundum conceptum, & formaliter est distincta potentia. Confirmatur quia vbi sunt actus diuersi, respectus per se ad illos debent esse diuersi, sed in singulis prædicamentis sunt actus diuersi; Ergo potentia, quæ per se ipsos respicit debet esse diuersa.

Ad rationes primæ sententiæ in contrarium.

Ad primum respondeo dicendum, quod secundum philosophum diuersorum prædicamentorum diuersa sunt principia, formaliter loquendo, sicut in tertia parte conclusionis dictum est, quæ cum principijs substantiæ conueniunt secundum proportionem; cum quo tamen stat, vt non sit realiter potentia diuersa in omni prædicamento. Quare conceditur formaliter loquendo in vnoquoque prædicamento esse suam propriam, & peculiarem potentiam, sed hæc realiter loquendo in pluribus poterit esse vna.

Dices priuatio & forma, quæ etiam sunt principia in singulis prædicamentis, sunt realiter diuersa; Ergo & potentia. Respondeo quidquid sit de antecedēte, quod negari potest, nisi accipiatur in sensu negatiuo, & quatenus dicunt connotatiue res diuersorum prædicamentorum, negatur consequentia. Et ratio disparitatis est, quod res per formas simpliciter differunt, à sæpe inter se contrariantur, ac inuicem pugnant, quod non est nisi formæ sint realiter diuersæ, neque vnquam idem est forma cum sua negatione, at vna potentia simpliciter non contrariatur alteri. Verum quidem est, quod idem dici potest de potentijs, quod de illo antecedente, ratione negationis, quam potentia intelligitur includere.

Ad secundam respondeo dicendum, quod potentia & actus in proposito, est duplex, metaphysicus, & physicus, quod definitur definitione completa, & essentiali cōstat actu, & potentia metaphysica, genere scilicet & differentia, non autem semper constat actu, & potentia physica, materia scilicet & forma; Verum quidem est quod accidentium definitiones sunt per additamentū, idest in eis poni solet subiectum. Quare ad argumentum in forma

conce-

concedi potest totus syllogismus, & negari assumptum; nam hoc est propriũ definitionis accidentalis, vt constet materia, de Physica loquendo, alterius generis, & prædicamenti.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod omnis mutatio per se vna est ad terminum per se vnum loquendo de termino formali, seu de termino quo, non dè termino materiali, & de termino quod; Cum enim est per se vna dealbatio est ad albedinem per se vnam, non autem ad album, Quia album non est quid per se vnum. Quare negatur consequentia intelligẽdo de producto proprie, quod est, vt ibi instatur, compositum non forma, quæ solum est id quo aliquid producitur: nec in genere accidentium debet esse vnum quod producitur, Quia accidens presupponit substantiam, & illi aduenit vt ipsius complementum.

Obijcies quod est simplicius illud est perfectius, sed quod non est compositũ est simplicius; Ergo est perfectius. tunc sic. substantia ex dictis est composita, accidens nõ est compositum; Ergo accidens est perfectius substantia. Respondeo dicendũ, quod illud quod est simplicius cœteris paribus est perfectius, hic autem non sunt cœtera paria, ac proinde negatur consequentia.

Ar. 15. Vtrum in materia præter potentiam naturalem, assignari possit potentia obediẽtialis, violenta, & neutra.

De potẽtia obediẽtiali concordant cõmuniter auctores christiani dari in materia. Est autẽ potẽtia obediẽtialis, qua entitas quæcumq; creata agit, vel patitur, quæ vult auctor naturæ; Vnde potẽtia obedientialis re non distinguitur ab entitate vniuscuiusq; rei: Omnis enim res creata ita dei imperio subiecta est, vt præpotens ille rerum opifex sine vlla repugnantia possit illam assumere ad præstanda siue actiuæ, siue passiue quæcunque non implicãt contradictionem; Et sic Deus quãdo ille libuit assumpsit ignem ad refrigerãdum, aquam assumit in baptismo ad producendam gratiam, verba in Eucharistia ad transubstantiandum panem & c. Materia ergo, vt substat ineuitabili Dei imperio, potest agere, & pati etiam contra cursum & ordinẽ naturæ non solũ hoc, & illud, sed omnia, quę tamen contradictionem non inuoluunt; Quia vbi est contradictio non est ens, sed repugnantia entis. Materia Ergo sic considerata dicitur potentia obedientialis, quæ re nihil supra se ipsam addit, formaliter tamen addit connationem ad Deum sic illam assumentem, & ordinantem ad hunc, vel illum effectum, quem ex tali assumptione præter ordinem naturæ exhibet; ita vt conceptus obedientialis potentiæ in materia supposita ipsius entitate duplici connatatione consumetur, vna ad Deum materiam suo efficaci decreto assumẽtem, altera ad effectum, ad quem præstandum vel actiue, vel passiue per tale decretum redditur potens. Si quidem ea est vis diuinæ voluntatis, vt possit in creatura sua quæcumq; vult, iuxta illa. Voluntati eius quis resistit? Et omnia quæcumque voluit fecit in cœlo, & in terra, in mari & in omnibus abissis. Nam & sũme Deus beatus est habens quæcumq; vult, & sũme potẽs, quæ placita sibi sunt exequẽs, & summus Dominus, iubens, & obtinẽs, & hæc de potentia obedientiali.

Iam de potentia violenta & neutra est duplex sententia, altera affirmatiua, altera negatiua. Potentiam violẽtam & neutram in rebus astruit Scotus in prologo quęst. 1. & in 2. dist. 2. quæst. 6. At Cai. Tom. 3. opusc. Tract. 3. quæst. 1. Sotus secundo phy. q. 1. Potentiam neutram non admittunt, & potentiam neutram & violentam tollit Molina prima parte quęst. 12. art. 1. disp. 2.

Pro prima sententia sunt hæ rationes Prima materia nõ nihil cõfert motui violento, cũ violneter aliquid mouetur, & tamen illi simpliciter repugnat; Ergo datur in ea potẽtia violenta. Pręterea ad aliquos motus materia neq; inclinat, neq; obluctatur; Ergo datur potentia neutra.

Secunda neutra illa potentia dicẽda est, quæ non magis inclinat in vnã partẽ, quam in aliam; violẽta autem, quæ vniparti simpliciter repugnat, licet secũdum quid conferat; Vtrumq; habet materia; Ergo in illa datur potentia neutra, & violenta.

Pro

Pro contraria sententia negatiua sunt hæ rationes.

Prima. potentia violenta in se ipsa implicat; Ergo dari non potest. Patet Antecedens, quia potentia dicit inclinationem, violentia inclinationem tollit, & dicit repugnantiam; Ergo potentia violenta in se repugnat. Ex eodem fere capite probatur non dari potentiam neutram: quia potentia dicit inclinationem: neutrum autem est quod non magis in vnam partem inclinat; quam aliam: Ergo non datur potentia neutra.

Secunda. potentia actiua neutra repugnat, vt manifestum est; Quia actiuum nō est, quod alicuius non sit actiuum. Quod autem repugnet, & neutra passiue probatur sic. Vel neutra passiua est illa, quæ de se determinatur ad genus, sed est indifferens ad species, vt superficies in corpore, quæ in eo determinata videtur ad qualitatem, sed est indifferens videlicet ad albū, & nigrum, ad calidum & ad frigidum &c. sed hoc non valet; quia secus in materia non esset potentia naturalis, sed solum neutra: Nam materia ita capax est formarum in genere, vt tamen adhanc, vel ad illam non determinetur nisi ab agente. Præterea album quando fit in hac superficie educitur de potentia illius subiecti; Ergo potentia illa non potest dici neutra.

Tertia ratio, aut per potentiam neutrā intelligitur mera negatio, & hæc nullo modo dicitur potentia; aut intelligitur aliquid positiuum, & tunc videtur repugnantia dicere, quod sit potentia, & sit neutra, vel violenta. Nam potentia 9. met. Tex. 13. definitur per illud, ad quod est potentia: SI ergo est potentia, est inclinatio respectu actus, si autem sit neutra, nulla est inclinatio, si violenta repugnat inclinationi.

Pro solutione.

Notandum, quod materia considerari potest, vel de se præcise, & vt est materia prima, ac proinde potentia ad omnes formas, vel vt est iam sub aliqua forma, & certis dispositionibus determinata, & solet dici materia secunda. Si primo modo consideretur non potest vllo pacto admittere nomen potentiæ violentæ, vel neutrius; ratio est de primo; Quia, vt dictum est, implicat, quod res dicat inclinationem, & capacitatem ad aliquid, quod est esse, potentiā, & simul ad illud habeat repugnantiam, quod est esse violentum.

De secūdo ratio est; Quia quod est inclinatio, & capacitas ad aliquid, non potest simul non esse, vnde repugnat potētia neutra, quæ non magis dicit capacitatem, quā negationem illius. Verum si materia cōsideretur, vt est sub aliqua forma, tunc adhuc considerari potest dupliciter, vel præcise, vt est determinata ab illa forma, & hoc pacto non admittit potentiam saltem violentam, vel vt est determinata per illā formam, & adhuc de se est potentia ad omnem actum, & tunc admittere potest potentiam violentam, & neutram. Nam considerandum est, quod ad aliquem actū materia potest habere capacitatem; Quia de se est capax omnis actus, & simul habere repugnantiam quatenus est sub certis dispositionibus excludentibus actum, licet non omnino, & tunc erit potentia violenta; Quia respectu, & ratione diuersorum vtrumqee habet, & inclinationem scilicet, & repugnantiam, de se habet inclinationem, vt est sub talibus dispositionibus passiue quodammodo repugnat, vnde cū difficultate admittit actum; cum tamen nec ita passiue repugnet, vt tollatur omnis capacitas ipsius ad formam illam, cui repugnat per dictas dispositiones; nam si tollatur omnis capacitas iam amplius potentia nō erit, proxime saltem, & quoad actum. Vlterius materia cum de se dicat inclinationem ad omnem actum, vt est sub certis dispositionibus, & formis potest se negatiue habere, vt se habet ignis in sua sphœra ad motum circularem; Ergo in materia sic concepta dabitur potentia neutra.

Quare:

Dicendum materiam de se consideratā non habere nisi potentiam naturalem, & obedientialem, & hanc quidem respectu auctoris naturæ. Consideratam vero cōiunctim secundm id, quod ipsi conuenit de se, & quod ipsi conuenit determinatæ per certas dispositiones, & formas, habere posse potentiam violentam, & neutram. Patet conclusio ex dictis, & confirmatur;

Quia

Quia secus in natura respectu passi non darentur motus violenti, & præternaturales: Nam motus violentus est semper in aliquo subiecto: Ergo subiectum ad illũ debet passiue concurrere, sed simul debet repugnare; Quia secus non esset violentus: Ergo motus violentus est, qui passiue est a potentia violenta, modo dicto; Præternaturalis prætere ille est, qui cum educatur de potentia subiecti, tamen subiecti acceptum cum forma, neque repugnantiã, neque inclinationem ad illum habere videtur, sicut dicebatur de circulari motu ignis; Ergo motus præternaturalis est ille, qui est à potentia neutra.

Ad rationes in contrarium.

Et quidem prima, & secunda pro parte affirmatiua nihil aliud probant, quã quod in secunda parte conclusionis dictum est, vt patet.

Ad rationes pro sententia negatiua.

Ad primam respondeo dicẽdum, quod potentia violenta implicat si totum id, quod dicit, accipiatur respectu eiusdem, non vero implicat, si accipiatur respectu diuersorum, quæ tamen quodammodo cõcurrunt ad faciendum vnum; quod idem dicitur de potentia neutra.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod potentia actiua neutra, vel violenta omnino repugnat, non vero passiua, & ratio est, quia si in actiuo apponatur aliquid, quod cum actiuam destruat, vel penitus impediat, tollit omnino potentiam actiuam, saltem quoad actum; At si in subiecto ponatur aliquid, quod eius passiuam indifferentiam ita determinet, vt inclinet in vnam partem oppositorum, retinens adhuc aliquam capacitatem ad alteram, alteri parti erit potentia violenta; Quia adhuc illius capax erit, sed, vt sic, per violentiam; si vero ita determinetur, vt certo actui nec repugnet, nec in eum inclinet, dicetur potentia neutra, nec vrget illud de genere, & specie, quandoquidem potentia sumi debet respectu actus, ad quem habet comparationem attento modo philosophandi humano, & naturis rerum illum fũdantibus, nec plus requiritur ad verificandam conclusionem.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod intelligitur aliquid positiue, sub aliqua tamen negatione, per quam fit, vt inclinatio subiecti non magis iuuet vnam partem, quam aliam; Itaque sicut potentia materiæ est inclinatio ad omnem actum, ita potest proxime reddi indifferens ad actus aliquos, vt ad neutrum illorum speciatim inclinet, neutri obsistat, & hæc erit potentia neutra. Cum autem loco citato metaphysicæ definitur potentia præcise definitur, vt est inclinatio ad vnum.

Obijcies contra id, quod dictum est de potentia obedientiali, materia habet potẽtiam ad formas artificiales, sed non habet vllam aliam potentiam ex dictis præter obedientialem.

Ergo.

Respondeo dicendum, quod per artem nihil fit nisi medijs potentijs naturalibus, quæ cum applicantur subiecto naturaliter operantur, licet quoad applicationem, & modum operentur quodammodo obedientialiter, ac proinde potentia subiecti ad formas artificiales erit naturalis, licet quoad modum, & quoad istam formalitatem artificialis, sit quodammodo potentia obedientialis.

Dices etiam quando cœcus illuminatur miraculose oculus habet potentiam naturalem ad visum.

Ergo.

Respondeo dicendum, quod quoties forma est ordinis naturalis potentia subiecti erit obedientialis solum quoad modum; sed si inducatur in subiectum forma ordinis supernaturalis, erit potentia obedientialis simpliciter; quod etiam valet quando potentia obedientialis accipitur actiue.

Art. 16. Vtrum omni potentiæ actiuæ respōdeat passiua proportionata, & contra.

QVod non respondeat omni passiuæ potentiæ sua proportionata actiua probatur his rationibus. Prima materia est in potentia passiua ad animam rationalem; Quoniam illi vnitur per se, et cum ea vnum compositum substantiale constituit: Sed non datur vlla potentia actiua naturalis, quæ producat animam rationalem; creatur enim immediate a Deo; Ergo non omni potentiæ passiuę correspondet actiua.

Secunda postquam res est corrupta manet adhuc in materia potentia ad illā formam; Quia materia est illa priuata, & si illi iterum vniretur vnum per se naturale constitueret: sed non datur potentia actiua naturalis, per quam possit potentia materiæ reduci ad actum; Quia nulla actione naturali corruptum potest redire: Ergo non omni potentiæ passiuæ respondet actiua.

Tertia multæ formæ possunt produci in materia, quæ nunquam producentur defectu agentium, quæ illas producant; Ergo non omni potentiæ passiuę respondet actiua.

Quod nec omni potentiæ actiuę respondeat passiua probatur his rationibus.

Prima potentiæ creatiuę Dei non respōdet vlla potentia passiua; Non ergo omni potentiæ actiuę respondet passiua: Consequentia patet. Probatur Antecedens. Quia potentia creatiua Dei producit effectum ex nihilo, nulloq; præsupposito subiecto; Ergo illi non correspondet potentia passiua. Nec dici potest illam potentiam non includi intra ambitum agentium naturalium; Quia productio animæ rationalis est naturalis, cum fiat ad exigentiam causarum naturalium; Sed illa productio est à virtute creatiua Dei non concurrente passiue vllo subiecto; Quia anima rationalis non educitur de potentia materiæ; Sed illam solum actuat postquam producta est; Ergo non omni potentiæ actiuæ correspōdet passiua.

Secunda ratio. Potest Deus ponere à parte rei aliquam potentiam actiuam non posita passiua illi correspondente: sed possibili posito in actu nullum sequitur incōueniens; Ergo Inconueniens non est dicere de facto non omni potentiæ actiuæ correspondere passiuam.

Pro contraria sententia affirmatiua sunt istę rationes, & primum pro prima parte de potentia passiua. Prima potentia passiua non potest se reducere ad actum; Ergo ne sit frustra, debet dari aliqua ei proportionata potentia actiua, per quam ad actū reducatur.

Secunda potentia passiua actiuam respicit; sed cum datur vnum relatiuum debet dari, & alterum; Ergo omni potentiæ passiuę respondere debet actiua. Et illæ duæ rationes eodem modo militant de potentia actiua; probant enim quod si datur potentia actiua naturalis, debet dari, & correspondens passiua, Nam potentia actiua naturalis respicit passiuam, & cum agens naturale non agat nisi in pręsupposito subiecto, nisi agēti naturali respondeat passum, nihil aget, & sic erit frustra.

Pro solutione.

Notandum, quod omnis potētia est propter suum actum, & effectum, vt proinde frustra sit futura nisi suum attingat actum, vel illum possit attingere; sed considerandum est, quod actus & effectus, qui alicui respondet potentiæ vel est actus in subiecto, vel actus per se subsistens, si sit actus per se subsistens, illi potentiæ respondere non potest potentia passiua; Quoniā actus per se subsistens non fit dependenter eductiue à materia; nam si in facto esse non indiget existere in materia, nec in fieri postulat dependere: Potentia ergo creatiua Dei, quæ habet pro suo obiecto, & termino rem per se subsistentem, non habet vllam propriam potentiam passiuam correspondentem, nisi potentiam passiuam velimus appellare potentiam obiectiuam, quam dicunt, qua aliquid cum non sit penitus, potest tamen esse, quoniam non inuoluit in suis terminis contradictionem: Vnde potest à Deo fieri, qui vt ens per essentiam continet omne ens non solum vt forma, sed vt causa; Quia quod actu est omni ratione

tione feliciſſimo & abſolutiſſimo enti nō repugnante, & actu quoque vt cauſa eſt virtute ſcilicet continens, & efficacitate omne, quod eſt. Iam vero ſi actus, qui reſpondet potentiæ actiuæ, ſit actus in ſubiecto, tunc conſiderare oportet, quod cum talis potentia non poſſit conſequi ſuum finem, qui eſt agere, & operari, niſi in ſubiecto, & vice verſa ſubiectum ad actum reduci non poſſit, niſi ab aliquo agente, ne vtraque potentia ſit fruſtra, vel alterutra illarum, potentiæ actiuæ reſpondere debet paſſiua, & paſſiuæ reſpondere debet actiua; Deus autem, & natura, vt commune eſt effatum, nihil faciunt fruſtra, vt proinde ſi actiua in mundo aliqua potentia eſt, reſpondere ei debeat paſſiua, & vero etiam reſpondeat; Quia materia prima ad omnem formam informantem potentia eſt. Ex alia quoque parte, ne ſit potentia materiæ fruſtra, & huic reſpondere videtur actiua aliqua, quæ illam ad actum reducat: ſed tamen non paruum dubium eſt primũ de formis, & actibus in indiuiduo, poſtea in ſpecie; nam materia de ſe non minus videtur potentia ad formas corruptas, quã ad alias, cum tamen commune ſit axioma ex philoſopho receptum. A priuatione ad habitum non dari regreſſum. Et vero etiam quod corruptum eſt non videtur exiſtere in potentia agentis naturalis; ſecus enim ſubinde rediret; non erit ergo potentia naturalis, quæ in indiuiduo correſpōdeat omni paſſiuæ materiæ, quam habet, puta adhuc, vel illum actum corruptum. Vtrum autem ſaltem in ſpecie reſpondeat paſſiuæ potentiæ materiæ actiua adhuc conſiderandum eſt; & quidem ſi ſupponamus omnes in mundo eſſe ſpecies poſſibiles, vel ſi omnes non ſunt, non eſſe non defectu agentis, ſed defectu applicationis illius, omni potentiæ paſſiuæ naturali correſpondebit actiua, ſed illud non facile demonſtratur, probabili tamen ratione ſua detur; Quoniam videtur credibile primam cauſam feciſſe hunc mundum quantum eſſe poterat in ſpecie perfectum; nam & omnes gradus entis illi largita eſt, ſimplicia, mixta, compoſita, ſine vita, viuentia, vegetabilia, ſentientia, rationalia.

Quare.

Dicendum non omni potentiæ actiuæ latiſſimæ ſumptæ reſpondere paſſiuam, actiuæ tamen mere naturali reſpondere paſſiuam item naturalem, & è conuerſo paſſiuę reſpondere actiuam ſaltem in ſpecie. Patet ex dictis, & confirmatur ſecunda pars; Quia ſecus mundus eſſet imperfectus, nam non ſolum deeſſet illi aliqua ex ſpeciebus, quas naturaliter poteſt habere, ſed eſſet illi impoſſibilis ex vna parte, cum ex alia illam poſtularet: nam ſi aliqua eſt forma ſpecifica, ad quam materia naturaliter ſit in potentia, & nullum ſit agens, quod illam deducat in actum, nec deducere poſſit fruſtra vere erit talis potentia paſſiua, & mundus erit imperfectus vt carens inaquiſibiliter aliqua ſpecie ſibi naturaliter debita: Verum ſi materia non habeat omnes formas numericas, quas de ſe apta eſt habere, vel ſi non habeat ſecundum omnes ſuas partes, non idcirco tamen in ea fruſtra erit potentia; Quia potentia ne ſit fruſtra ſatis eſt, ſi aliquando, vel ſecundum aliquam partem ſui reducta ſit ad actum, vel reducatur, vel poſſit reduci naturaliter. Confirmatur prima pars concluſionis. Quia prima cauſa non agit ex ſubiecto, cum agat ad totum ens.

Ergo.

Ad rationes pro prima ſententia. Ad primam reſpondeo dicendum, quod materia reſpectu animæ rationalis non eſt potentia paſſiua, neque eductiua, ſed tantum compoſitiua; neque neceſſarium eſt materiam reſpectu omnis actus paſſiuam, ſiue eductiuam eſſe potentiam, ſed talis ſolum eſt reſpectu actus recepti, qualis non eſt anima rationalis, vt oſtendit eius operatio.

Ad ſecundam reſpondeo dicendũ, quod etiamſi corrupta forma aliqua adhuc materia ſit potentiã ad illam, ita vt ſi illi vniretur vere vnum ens naturale cum ea conſtitueret, tamen non eſt neceſſe dari agens naturale, quod poſſit in ea iterum facere talem formam; Quia ex dictis ad hoc, vt talis potentia dicatur non eſſe fruſtra, ſatis eſt ſi reducta ſit ad actum ſemel, vel ſi poſſit reduci ad actum in ſpecie, licet non poſſit reduci ad eundem numero actum.

Ad tertiam reſpondeo dicendum, quod

vere multæ formæ producibiles nunquam producentur defectu agentium non insufficientium ad actum; Quod etiam accipi potest de aliquibus formis in specie; nam sicut congredientibus equo, & asino fact° est mulus, ita possent congredi alia ad alias species, & componi etiam noua mixta per artem applicatem noua miscibilia, quæ non est necesse omnia reduci ad actũ, non quod in mundo desint agentia, sed quod non applicentur.

Ad rationes pro secunda parte primæ sententiæ.

Ad primam patet ex dictis. Ad confirmationem eius dicendum, quod productio animæ rationalis est naturalis in eo sensu, quod est ad exigentiam causarum naturalium, & propter constitutionem entis naturalis, non vero quod de se præcise spectata sit per potentiam aliquam subiectiuam, & actiuam naturalem, ipsam immediate attingentem. Dices ergo actus & potentia satis in mundo ordinata non sunt; Quod probatur: Quia anima rationalis ex vna parte ponitur actus materiæ, ex alia dicitur non esse ex materia.

Præterea homo cum sit ens naturale ex vna parte causam suam naturalem productiuam habere debet, cum tamen ex alia parte illi ca negetur, negando animam rationalem attingi per eductionem, & ponẽdo illam fieri per creationem. Respondeo dicendum, quod materia cum sit propter actum, vt imperfectum, & perfectibile propter perfectum, & perfectiuum, in tota latitudine actus informatiui, non debet actus dependere in esse, & fieri à materia; sed hoc debet esse ex imperfecta conditione talis actus, satisque erit, quod materia respiciat totam latitudinem actus informatiui, tanquam formabile ab ipsis, & adducibile ad vnum solum completũ; Quod etiam perfectissime habet per animam rationalem: Ex perfectione autem animæ rationalis super alios actus deinde est, quod ipsa in esse non dependeat à materia; Ex imperfectione vero cæterarum formarum est, quod dependeant, cum ex absoluta conditione actuum informatiuorum solum sit, vt materiam necessario requirant, quam informent; In quo genere cum anima rationalis quoque sit, vt ostendit constitutum per ipsam, & gradus sensitiuus, ac vegetatiuus, qui ex ipsa quoque in homine sunt, vt ostendimus alibi, ideo anima rationalis necessario respicit materiam non vt causam sui, sed vt compartem & concausam sui constituti: Cum autem anima rationalis ex se non sit, vt patet, nec sit ex materia; Quia actus & perfectio non est necessario ex potentia formabili, & ex imperfecto, fieri consequenter debet ab aliquo. Omne autem agens physicum agit tantũ ex subiecto, & materia, vt ostendunt eius instrumẽta, quę sunt in subiecto, vnde anima rationalis non poterit fieri ab vllo agente physico: Attamen cum ipsa vt forma corporis dispositiones habeat corporeas, quas attingit agens physicum, ab ipso adhuc quodammodo erit remote scilicet, & ratione dispositionum, non proxime & immediate ratione sui, quo pacto à prima causa necessario erit, cuius est supplere, quæ desunt agentibus physicis. Quare adhuc in homine actus & potentia satis ordinata erunt; quia ex ipsis, vt ex alijs vnum erit, nec actus hic fiet ex materia; Quia hoc de ratione actus non est, sed solum de ratione actus imperfecti, quem excedit anima rationalis, vt eius manifestat operatio.

Dicitur tamen homo habere causam naturalem sui: Quia habet causam naturalem omnium, quæ ad constitutionem hominis concurrunt, excepta tantum productione animæ; & quia illam ipsam productionem vindicant, quæ fiunt per causam naturalem hominis: ex perfectione autem animæ hominis est, quod aliter homo fieri non possit.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod illud Deus non potest de potentia ordinata, nec etiam forte de potentia absoluta, nisi ob aliquem finem extrinsecum; Quia Deus, vt sapientissimus artifex semper operatur ex fine, nec temere potest operari: si autem esset agẽs fine passo hoc temere, & frustra esset, loquendo de agente operante ex subiecto.

Art. 17. Vtrum materia pertineat ad essentiam compositi naturalis.

DVpliciter accipi potest sensus quæsiti. Primum vt pertinere ad essentiam compositi naturalis sit non reperiri compositum naturale sine aliqua materia; Et in hoc sensu nullus negare potest materiā pertinere ad essentiam compositi naturalis; Quia & solemne est apud Aristotelē, & omnes concedunt res physicas aliquam habere materiam quocunque tandem modo materiam accipiant. Secundo sensus est: Vtrum prædicata essentialia, quæ dicuntur de rebus physicis, necessario includant materiam, & tā à materia sumātur, quam à forma; An vero à forma sola connotante materiam: Et in hoc sensu quæsitum habet difficultatem, & philosophi in contrarias abiere sententias, dum hi affirmant, illi negant.

Negare censetur Auerroes 7. met. com. 21. & 34. Iandunus expresse 7. met. qu. 12. fauet Aphrodi. 2. met. Tex. 12.

Affirmatiua sententia est communis S. Thomas prima parte qu. 75. art. 4. ibidem Caiet. & 1. contra Gent. cap. 21. Auic. 5. met. cap. 4. Boetij lib. de duabus naturis, & vna persona Christi. Alen. Scot. Dur. & aliorum.

Pro sententia negatiua fit, prima ratio ab auctoritate philosophi, qui sæpe formā appellat ipsum quid est, idest rationem quidditatis: ita secundo Physicas Tex. 28.

Secunda homo essentialiter differt ab equo, equus à leone, & sic de reliquis; sed homo non differt ab equo materia, neque equus à leone; Ergo essentia, qua differunt, est à forma; Quia in forma differunt.

Tertia si essentia petri contineret eius materiam; Ergo hæc singularis materia petri esset de illius essentia; Sed hoc esse non potest; Ergo materia non clauditur in essentia.

Probatur minor primo essentia petri est eadem semper, & immutabilis, at materia petri perpetuo fluit, & mutatur, cum subinde aliquæ partes resoluantur vi caloris naturalis humidum depascentis, & aliæ de nouo accedant; Non igitur materia potest esse de essentia petri; si enim sit; quænam erit? illa quæ resoluta est, an quæ de nouo aduenit? Si hæc, mutatur essentia petri, si illa petrus erit per id, quod iam ipsi non est. Præterea moriente petro illius materia fit sub noua forma: Ergo idem constituit diuersam essentiam. Tertio in resurrectione debent redire eadem essentialiter indiuidua humanæ speciei; Ergo petrus si materia est de essentia eius redire debebit cum eadem prorsus materia, sub qua fuit toto vitæ suæ tempore: hoc autem esse non potest; Primo quia rediret sub ingenti mole. Secundo multæ ex partibus illius materiæ pertinēt ad alios homines, maxime vbi homines se mutuo deuorant; Ergo materia non potest pertinere ad essētiam hominis.

In contrarium pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima ex philosopho 1. Physi. Tex. 65. & 66. qui vult ex tribus principijs generationis, duo, idest formam & materiam remanere, & componere compositum; & secundo Physi. docet nō solum formam, sed etiam materiam esse naturam. 7. met. Tex. 35. Vniuersale vero substantia non est; sed totum quoddam ex hac ratione, & hac materia tanquam vniuersali: singulare vero ex vltima materia iam Socrates est, & de cœteris similiter.

Secunda ratio ab Auctoritate S. Athanasij, quam complexa est Ecclesia, & habetur in symbolo eiusdem, vbi dicitur. Sicut anima rationalis, & caro vnus est homo; ita Deus & homo vnus est Christus, accedit auctoritas S. Augustini 19. de ciuit. cap. 3. vbi commendat Varronem, quod posuerit hominem neque esse solum corpus, neque solam animam; sed conflatum ex vtrisque, & lib. 8. cap. 8. & alibi vult animam non esse totum hominem, sed meliorem eius partem.

Tertia ens naturale est quid compositū; Ergo ex materia & forma? Patet consequentia; Quia sola forma non est composita, nec dici potest, quod sit compositum ex

forma substantiali, & accidentali; Quia talis compositio constituit vnum per accidens.

Ergo.

Quarta essentia completa non potest cõstitui ex solo ente incompleto: sed forma substantialis præcisa à materia est ens incompletum; ergo se sola non potest constituere essentiam rerum naturalium, quæ est completa; concurrere ergo cum ipsa debet materia, cum qua forma vere facit vnum quid completum.

Quinta homo est quoddam ens naturale corruptibile; sed si homo essentialiter esset sola anima rationalis, esset ens incorruptibile; non ergo homo essentialiter est anima tantum rationalis, sed includit corpus.

Sexta, quidquid est de essentia omnium indiuiduorum, quæ continentur sub aliqua specie, vniuersaliter conceptum est essentia speciei; sed materia est pars quidditatis indiuiduorum materialium; ergo est de essentia speciei.

Cõfirmatur illud est de essentia rei quod in eius definitione ponitur; sed materia ponitur in definitione materialium ex 6. met. Ergo materia est de essentia rerum naturalium. Præterea si materia non est de quidditate; ergo vera erit hæc propositio. Compositum naturale est forma, sed non est: Ergo. Demum ex Scoto sequeretur animam separatam esse hominem; consequens est absurdum, ergo & antecedens.

Pro solutione.

Notandum, quod materia non vno modo accipitur, maxime apud philosophum cum loquitur de rationibus, & formalitatibus intelligibilibus, quibus res definitiuo constituuntur, nam omne illud, quod his posterius est, & quasi substratum harum rationum, apud ipsum materia dicitur vt æneum respectu circuli, cuprum respectu idoli; Socrates respectu hominis, caro, os, & reliqua huiusmodi respectu animalis. Quare cum de his loquitur Aristoteles diligenter aduertendum est, vtrum loquatur de materia physica, an de materia metaphysica, quæ adhuc se habet dupliciter, altera quidem vt genus respectu differentiæ, altera verò, vt substratum quodcumque fundans rationes intelligibiles; Et si de materia hoc posteriori modo sermo sit, vt sæpe est apud Aristotelem, vt fere quoties formam appellat quodquid erat, & rationem rei, certum est materiam sic acceptam non ingredi essentiam, & rationem definiti: At vero si sit sermo de materia, quatenus accipitur pro ratione generica, dubium non est definitionem licet minus principaliter ipsam ingredi, cum omnis definitio coalescat ex genere & differentia, tota ergo controuersia est de materia physica, quæ tamen adhuc potest procedere dupliciter; primum quidem, vt quæratur, an essentia directe, & explicite inuoluat materiam physicam, & certum est non inuoluere. Secundo vt quæratur, an essentia in rebus materialibus sumatur ex constituto physico per materiam & formam; an vero ex forma tantum connotante materiam; Et pro decisione considerandum est, quod essentia hominis (sit hæc loco exempli) nihil aliud est, quam ratio quædam intelligibilis, quam exprimimus per hos duos terminos, animal rationale, quæ ratio vt apparet nec includit Socratem, neque carnē, neque os, neque potentiam contradictionis, neque alia huiusmodi, quæ tamen in homine sunt alijs modis considerato; sed neque vt sic dicit animam rationalem; sed tamen dicit aliquid, cuius formale significatum propius se habet ad eam, quam ad alia, quæ dicta sunt.

Dubium igitur est, ratio ne ista hominis, siue animal hoc rationale, quod per se nõ est, sed in inferioribus est, puta in Petro, Paulo, Socrate, & alijs, in ipsis dicat animam & corpus, an tantum animam, ita vt saluetur in anima, omni præciso corpore, & certum est nõ saluari neq; enim anima hominis, homo est; neque animal, quod est principiũ sentiendi sine corpore est; Quia sensus omnis organi potentia est; vt proinde inuoluat materialium essentia materiam, non vt aliquid de suo formali significato, saltē proxime sed vt id, sine quo non est illud, quod fundat hoc formale significatum, & sine quo non fundat.

Quare.

Quare.

Dicendum materiam modo explicato innotando pertinere ad essentiam compositi naturalis. Patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur; Quoniam corporeum seu materiale est quoddam prædicatum quidditatiuum, quod distinguit substantiam Physicam à substantia incorporea, & spirituali; Ergo pertinet ad essentiam physicæ substantiæ; sed quod est de essentia superioris, est etiam de essentia inferiorum contentorum in eadem linea essentiali: Ergo materiale est de quidditate & essentia omniū rerum naturalium: hoc autem, vt manifestum est, esse non potest, si materia excluditur à quidditate compositi naturalis; Ergo materia à quidditate compositi naturalis excludi non potest.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam ex auctoritate philosophi respondeo dicendum, quod philosophus non nunquam per formam intelligit formam metaphysicam, quæ coincidit cum quidditate; si vero aliquando intelligit formam physicam hoc modo eam appellat; Quia habet præcipuas partes in quidditate; cum vltimo, & completiue Quidditas fit per formam, per materiam vero quasi inchoatiue nam cum materia de se sit potentia, quidditas non magis est hæc, quam illa, quod ergo fit hæc, vel illa habet à forma; Vnde forma dicitur quidditas, quod proxime ab ipsa fit, quidditas, à materia solum remote, & vt dictum est inchoatiue, per quod tamen materia excludi non potest à quidditate rerum naturalium, sicut non excluditur ab earum physica compositione.

Ad secundam Respondeo, quod equus differt à leone equinitate, cum tamen cum eo conueniat in animalitate; & tamen equinitas est ab eadem forma in equo, a qua est animalitas; vnde dicendum esset equum à leone differre forma, & non differre forma, quæ repugnant. Dicendum igitur est Physice equum differre à leone & sua materia & sua forma, metaphysice vero differre specie, seu differentia, quæ tamen est à materia, & à forma, licet à forma principaliùs; Quare in forma concessa maiore, negari debet iuxta dicta minor, & consequentia.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod essentia Petri quoad id, quod includit de gradu specifico, & in actu signato, est semper eadem, & immutabilis; quod ad illud vero, quod additur super gradum specificum, & in actu exercito, non est penitus eadem, sed per æquiualentiam; nam certum est, quod licet Petrus in specie idem sit puer ac senex; non est tamen idem quoad corpus nisi per æquiualentiam, & quoad aliquas partes, cum tamen formaliter semper Petrus sit ex corpore & anima, non autem sola anima.

Quoad secundam confirmationem dicendum, quod non est inconueniens eandem materiam esse sub diuersis formis successiue, & pertinere ad diuersas essentias: talis enim est natura potentiæ, vt per diuersos actus ad diuersas species trahi possit.

Ad tertiam confirmationem respondeo dicendum, quod in resurrectione redibunt eadem indiuidua, quæ per mortem defecerunt; sed non omnia redibunt penitus eadem quoad corpus, vt infantuli, & illi, quorum corpora constabant materia aliorum, quæ potiori iure illis debetur, vel quod fuerit in partibus primigeneis, vel in partibus corporis principibus, vel alia tali causa; nec est necessarium, quod corpora aliorum resurgant cum tota materia quā habuerunt toto vitæ tempore, sed resurgent maxime cum illa, cū qua pro amore Dei laborarunt, vt cum anima regnet, quæ cū ea passa est.

Obijcies. sicut se habet materia secunda ad artefacta, ita materia prima ad res naturales; sed materia secunda non est de essentia artefactorum; Ergo neque materia prima erit de essentia rerum naturalium. Maior patet; Quia eodem modo in artefactis necessaria est materia, ac necessaria est in rebus naturalibus: Minor probatur quia statua essentialiter est talis figura, non conflatum ex figura & materia; Quod ex eo patet; Quia si varietur materia stante figura, seruatur ratio statuæ: at si varietur figura, non erit amplius eadem statua. Respondeo dicendum, quod etiam in artefactis materia secunda est de ratione eorum; quando quidem non saluatur ratio arte-

Ergo quod primo & per se respicit est cõpositum.

Pro solutione ;

Notandum, quod duplex assignatur in rebus ordo, intentionis, & generationis: Ordo generationis est ille, qui attenditur in generatione alicuius rei, quo ordine pręcedit agens, tum succedit per actionem agentis forma, postremo fit compositum; nam licet cum est forma in subiecto fit cõpositum; Quia tamen forma est causa compositi, vt illius pars constitutiua, ideò saltem natura forma est prior composito, & compositum vltimum. At ordo intentionis est, quo inter multa aliquid prius intenditur alio; Vnde ordo intentionis coincidit cum ordine finis. Prius ergo hoc ordine est illud, quod est principalius intentum, tum quæ ad hoc principalius vicinius accedunt, & hoc ordine prius est compositum; nam quod primario intenditur, & vt quod, est compositum; ideo enim materia suscipit formam, vt cum illa vnum ens cõpletum naturale constituat, quod est compositum; post compositum est forma substãtialis; Quia hæc vicinius ad compositum accedit, vt id, quo fit; Vnde ordine intentionis. Secundo loco erit forma substantialis; Tertiò erit forma accidentalis; Quia hæc vt requisita ad formam substantialem succedit post illam, vltimo loco est agens, vt illud extrinsecum, sine quo hæc haberi non possunt.

Quare ;

Dicendum, quod ordine generationis, siue executionis materia prius respicit agens, tum formam accidentalem, postea substantialem, vltimo compositum: Verum ordine intentionis, & finis primo respicit compositum, secundo formam substantialem, tertio accidentalem, vltimo agens. Patet Conclusio ex dictis, ad illamque probandam accommodari omnes fere possunt rationes supra factę.

Ad confirmatur illa sunt priora ordine generationis, quæ prius sunt à parte rei, siue quæ prius à parte rei ponuntur, sed agẽs supponitur esse ante cœtera omnia, & forma accidentalis ante formam substãtialẽ, cum sit dispositio ad illam, & forma substantialis, si non tempore, natura tamen supponitur ante compositum, vt illud, quo fit compositum; Ergo ordine generationis materia prius respicit agens &c. Quod vero ordine intentionis contrario ordine procedatur ex dictis manifestum est, cum hoc ordine illa priora sint, quæ sunt perfectiora, & quæ sunt aliorum finis; sed compositum est perfectius forma substantiali, & illius finis; similiter forma substantialis est perfectior forma accidentali, & finis eius; forma vero accidentalis immediatius est propter compositum, & propter formam substantialem, quam agens: Ergo ordine intentionis materia primo respicit compositum &c.

Ad rationes in principio factas, quatenus sunt in contrarium.

Ad primam respondeo dicẽdum, quod ordine generationis perfectibile primo respicit suum perfectiuum, sed ordine intentionis primo respicit id, ad quod cum suo perfectiuo ordinatur; seu respiciendo suũ perfectiuum immediate, & vt quo, respicit, vt quod compositum, ad quod ordinantur; Quare loquendo de ordine intentionis negatur consequentia. Per quæ etiam patet.

Ad secundam rationem; potentia enim respicit actum vt quo, cõpositum vt quod, actum respicit prius ordine generationis, compositum ordine intentionis.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod materia & forma, sicut dictum est, sunt ad aliquid; sed forma non est vltimus terminus respectus à materia, nec materia à forma, sed vtriusque vltimus terminus est cõpositum.

Ad primam pro rationibus secundo loco positis pro secundo modo. Respondeo dicendum, quod conceptus potentiæ passiuæ, vt sic non est de essentia materiæ sicut dictum est.

Præterea quod etiam potentia passiua respicit actiuam propter transmutatiõnẽ.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod illa ratio procedit de ordine generationis, quo diximus prius materiam respicere agens.

Rationes tertio loco positæ nihil aliud probant, quam conclusionem, vt patebit consideranti.

Obijcies respectus transcendentalis, quem dicit materia in ordine intentionis, est illi essentialis: sed ordo essentialis alicuius non potest esse ad plura: Ergo illo ordine vnum tantum respicit, non compositum: Ergo formam.

Respondeo dicendum, quod per vnum ordinem transcendentalem sibi essentialiter identificatum potest aliquid respicere plura, dummodo tamen illa sint subordinata, & vnum respiciat vltimato tanquam terminum adæquatum, cœtera in ordine ad illud; sic materia respicit compositum, vt terminum vltimatum, formam vt non vltimatum, & id quo deuenitur ad compositum.

Art. 19. Vtrum materia appetat formas, & quas magis appetat.

Negatiua sententia, quod materia nō appetat formas placet Auicennæ li. 1. suffi. cap. 2. & idem cum Auicenna videtur sentire Alb., qui tamen vult materiam moueri ad formas à prima causa.

Contraria sententia affirmatiua fundatur in Aristotile 1. phy. Tex. 81. ex quo desumpserunt eam communiter Peripatetici, & recentiores.

Pro sententia negatiua sunt hæ rationes.

Prima si materia appetit formas, vel appetit, quia fastidit illam quam habet; Et hoc non; quia forma est ipsius perfectio; vel quia vnam magis appetit, quam aliam, & hoc non; Quoniam omnes formæ sunt illius perfectio; vel quia simul cupit omnes, vel plures habere, sed hoc est impossibile; materia enim non potest esse sub pluribus formis, quam ferat ipsius capacitas; vel quia se moueat ad formas, & hoc non; Quia est potentia passiua: Ergo materia non desiderat formas.

Secunda ratio. Si materia appetit formas maxime vt significat Aristoteles propter adiunctam priuationem; sed priuatio non potest esse causa, cur materia appetat formas; Quia priuatio esset causa suæ corruptionis; Ergo materia non appetit formas.

Tertia ratio si materia appetit formas, omnis pars materiæ consequenter appetet omnem formam; at hoc est impossibile; Ergo & illud vnde hoc sequitur.

In contrarium pro sententia affirmatiua est. Primo quod vbi est priuatio alicuius cum potentia habendi illud, ibi videtur esse appetitus; sed in materia est priuatio formæ eius, quam non habet cum potentia illam habendi; ergo in materia est appetitus ad formam.

Secunda ratio. Vnumquodque appetit suam perfectionem; forma est perfectio materiæ; Ergo illam materia appetit. Maior patet. Minor probatur; Quia materia ex Aristotile, vbi supra, est quid turpe, & informe; forma vero non solum est pulchrum, sed diuinum quoddam bonum, cum afferat secum speciem & essentiam, per quam res assimilantur Deo, & per quā materia formatur; Ergo forma est perfectio materiæ.

Pro solutione.

Notandum, quod si loqui proprie volumus, appetitus est inclinatio alicuius naturæ, quæ seipsam agat in suum bonum cognitum: hoc enim est appetere, petere siue tendere ad bonum, quod consequenter cognitum esse debet, & in illud cognoscens per appetitum se agere: si enim non sentitur bonum, & res actiue non se agit in illud, non potest proprie dici illud appetere: Hæ inquam sunt propriæ notiones appetitus, cuius deinde varij distinguuntur actus; nam si res simpliciter se agat in suū bonum, eius actus dicitur amor; si bonum præsens sentiat, illudque vt tale amplectatur, & in amplexu ipsius conquiescat, dicitur complacentia; si vero se agat in bonum sibi absens, eius actus dicitur desiderium &c. His modis proprie accipiebatur appetitus placuit tamen philosophis appetitum latius sumere, vnde distinxerunt duplicē appetitum, Elicitum, & Innatum, non solum intelligendo, Elicitum, & Innatum, vt hactenus explicanimus in naturis cognoscentibus; sed extendēdo innatum ad quācunque naturalem inclinationem datam rebus. Porrò naturalis inclinatio, vt nomen ipsum sonat, semper videtur dicere

pondus, & propensionem actiuam in aliquod obiectum, qualis exempli gratia in grauitate lapidis ad centrum, & in potentijs actiuis ad sua obiecta, sed tamen neque hoc aliqui contenti latius adhuc traduxerunt metaphoram, & appellarunt appetitum innatum quamcunque potentiam, & capacitatem passiuam, præsertim cum forma & perfectione est spoliata: nam tunc subiectum, quod habet talem capacitatem videtur quodammodo propendere in huiusmodi perfectionem, ac proinde illam appetere, & hoc fuit tolerabile; sed illud omnino nimis longe petitum, quod subiecto mere passiuo habenti capacitatem ad aliquam perfectionem, vt materiæ nonnulli dederunt non solum appetitum, sed etiam complacentiam, & desiderium; sed concedendum est aliquid studio innouandi: nobis ergo sufficiat, si materiæ ad formas appetitum innatū concedamus, quandoquidem antiqui ab hac locutione non videntur abhorruisse, libentius tamen in subiecta materia vteremur tantum nomine potentiæ, & capacitatis, sed tamen quia iam contrarius mos inoleuit.

Aduertendum est, quatuor distingui posse per rationem, & conceptus inadæquatos in materia, Potentiam, Aptitudinem, Priuationem, & Appetitum, potentia receptiua considerata absolute ad formā substantialem, vt actum sibi proportionatum, cum quo habet vnum constituere est materiæ essentia, Aptitudo nihil est aliud, quam ipsa proportio materiæ ad formam, per quam concipimus eam subiectum aptū illam recipere; Priuatio est negatio formæ in materia, vt in subiecto apto nato; Appetitus est capacitas passiua materiæ concepta per modum inclinationis, & tendentiæ ad illam, quam potest recipere, formam, tanquam ad suam perfectionem, & finem: Quare appetitus etiāsi vt dicitur in cognoscentibus de potentia appetitiua, vel de illius actu, non dicat necessario priuationem rei, quæ appetitur; in subiecta tamen materia inoleuit priuationem; quia non dicimus materiā appetere formas, quas habet; quamquam huiusmodi locutiones adeo omnibus iam sunt liberæ, vt si quis eo pacto loquatur cum eo contendendum non sit, sed iam ad quæsitum.

Dicendum non ita proprie accepto appetitu innato materiam appetere formas, quas non habet. Patet ex dictis.

Si autem quæratur, appetat ne omnes formas, quas non habet dicendum videtur appetere solum illas, quas naturaliter habere potest; quoniam ad appetitum materiæ præter potentiam ipsius requiritur priuatio, & non quæcumque, sed proxima; priuatio autem proxima non est, nisi vbi materia ad formam disponitur.

Quare in ligno calefacto materia dicitur appetere formam ignis, quæ tamen nō dicetur appetere formam aquæ: Cum autem materia non habeat proximam priuationem ad omnes formas, non dicetur appetere omnes formas, vnde non appetit formas corruptas, formas quas habet, & cœteras huiusmodi.

Inter formas autem, quod erat secundū quæsitum, appetat ne vnam magis, quam aliam proprie negatiue respondendum esset; tamen si per magis appetere intelligamus habere capacitatem ad formam, quæ magis materiam perficiat, seu qua trahatur ad esse specificum magis perfectum, dici posse videtur, aliquas magis appetere, quam alias, quæ omnes videntur lites de nomine; Quare parum curandum quomodo quisque loquatur, dummodo cōstet de re.

Ad rationes in contrarium quantum faciunt contra conclusionem.

Ad primam respondeo dicēdum, quod materia non appetit formam propter vllam ex dictis rationibus; sed quia habet capacitatem habendi formas, quas non habet, cum sæpe ab agente proxime ad illas sit disposita.

Ad secundam neganda est minor, neque absurdum est, quod priuatio sit causa indirecta suæ corruptionis.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod solum dici potest materia appetere formā cum habet requisita; in omni autem parte materiæ non possunt esse requisita ad quācumque formam.

Obijcies forma non appetit materiam: Ergo neque materia formam, cū vtriusque sit eadem ratio. Respondeo dicendum, quod cum forma non sit propter materiā, &

& nunquam fit nisi in materia, non dicitur appetere materiam; nisi forte anima rationalis appetere corpus; Quia hæc etiam est sine corpore, quod tamen non appetit, nisi vt perficiat, & administret.

Art. 20. Vtrum materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis.

MVltiplex potest esse sensus quæstionis: Primus est sit ne materia à se, ita vt causam sui productiuam non agnouerit, ac proinde semper fuerit per se, siue deinde semper sub aliquibus formis fuerit, siue aliquando fuerit sub formis, aliquando non fuerit, sed solitarie fuerit priuata formis, & sic ingenerabilem, & incorruptibilem materiam aliqui posuerunt antiquorum, qui vel mundum putarunt semper fuisse, vel voluerunt formationi rerū præfuisse informe quoddam cahos æternum, quod postea Deus, & natura formauerit. Hunc errorem sustulerunt sacræ litteræ, quæ docent mundum creatum à Deo, & cum mundo creatū esse tempus, quod non nullis tantum annorum millibus à prima sui constitutione decurrit, & aliquando finiendum est. Quod dogma multa probāt deprompta ex historijs, & ex ipsa etiam natura rerum, vt infra ostendetur cum de æternitate mundi. Et hic potest primus esse sensus quæstionis.

Secundus sensus esse potest vtrum detur, vel dari possit agens naturale, vel naturalis aliqua actio, per quam materia fiat, & corrumpatur, & demum

Tertio vtrum de facto quando per generationem fiunt entia naturalia, vere in illis de nouo fiat materia, & corrūpatur, quando corrumpuntur; & duobus his vltimis acceptionibus quæstio procedit, & iuxta eas.

Duplex sententia est.

Prima affirmatiua communis, quæ vult, materiam ingenerabilem esse, & incorruptibilem, & de facto, & de possibili, cum vt primum subiectum generationum solū fieri possit per creationem, & ad omnem actionem agentis naturalis semper præsupponi debeat, vt in qua versatur omnis naturalis actio.

Secunda sententia negatiuá diuisa est, & duplex est, altera eorum, qui materiam nomine tenus admittunt, & dicunt non esse rem vllam distinctam à forma, sed formam ipsam sub conceptu potentialis, & transmutabilis, contra quos fuse supra, & hi consequenter admittere debent materiā secundum rem generabilem esse, & corruptibilem; Quia in forma genita de nouo noua generatur potentialitas, & cum præcedente forma corrupta præcedens corrūpitur, vt puta illa, quæ erat in ligno, quando fit ex ligno ignis, maxime cum illa potentialitas fit iam in actum conuersa.

Altera est illorum, qui bene quidē quoad cœtera de materia sentientes, aliquas tamen illius particulas subinde generari volunt, & corrumpi in rarefactione, & cō densatione.

Vltimo censeri quoque possunt in hac parte negatiua, qui ponentes resolutionē vsque ad materiam primam omnem existentiam materiæ dari volunt à forma, ita vt in generatione omnis præcedens materiæ existentia pereat, & de nouo à noua forma materiæ existentia fiat; Quia generari ex communi sensu hominum est accipere esse in mundo siue existentiam; Et corrumpi esse siue existentiam amittere. Atque vltimus hic modus & primus cum sequantur ex illis opinionibus, nulla hic peculiari indigent probatione, vel refutatione, secundus vero modus sic probari videtur. In rarefactione subiectum, quod occupabat locum palmarem, occupat exēpli gratia locum bipalmarem; vel ergo in palmo loci, quem occupat de nouo, sunt aliquæ partes materiæ, vel nullæ; Non secundum, quia non est subiectum materiale sine materia: Si primum, vel sunt illæ partes, quæ ante rarefactionem, erant in palmo primo loci; Et hoc non; Quia cum adhuc ibi sint, nunc essent in duplici loco; Ergo erunt aliæ partes, quæ cum non fuerint prius, erunt factæ de nouo, & sic materia secundum aliquas sui partes erit generabilis; Et quod probatum est in rarefactione respectu generationis probatur in condensatione respectu corruptionis: nam cum aer bipalmaris concrescit, &

retra-

retrahitur ad palmum, vel corrumpuntur aliquæ partes materiæ, & habetur intentũ, materiam secundum aliquam sui partem esse corruptibilem, vel non corrumpuntur, & tunc necesse est eas se penetrare cũ alijs partibus, quod esse non potest; quia duorum materialium penetratio naturaliter est impossibilis.

In contrarium pro sententia affirmatiua, quod materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis, sunt hæ rationes.

Prima si aliqua pars materiæ acquiritur de nouo, vel fit ex nihilo, vel ex alia materia præcedente; non primum, quia ex nihilo nihil fit, neque secundum; quia ea tantũ possunt fieri ex materia, ad quæ materia est in potentia; materia autem non est in potentia ad materiam, sed ad formam; ad actum enim potentia est in potentia, non ad potentiam.

Ergo.

Secunda ratio, vel omnes partes materiæ sunt generabiles & corruptibiles, & sic tota materia generari poterit, & corrumpi; cum autem ex nihilo nihil fiat nisi per creationem, si generanda erit materia ex quo generabitur? vel aliquæ sunt generabiles & corruptibiles, aliæ ingenerabiles, & tunc non omnes partes materię erũt eiusdem rationis, sed inter se genere differrent cum ex 10. metaph. Tex. 26. corruptibile & incorruptibile differant genere: Non igitur materia secundum aliquas partes potest esse generabilis, & corruptibilis.

Tertia ratio, si aliquæ partes materiæ fiunt de nouo, vel fiunt ex alijs partibus materiæ, vel non: si dicatur primum, ex illis fieri debent, vt ex subiecto: at quod fit ex aliquo tanquam subiecto in eo recipitur, ac proinde partes, quæ de nouo fiunt, se penetrabunt cum prioribus, quod natura non patitur, neque sequetur intentum in rarefactione maius fieri subiectum per nouas partes materiæ de nouo acquisitas; Quia quæ se penetrant quatenus se penetrant molem non faciunt.

Si dicatur secundum partes illas non fieri ex alijs partibus, ex quo nam fient? nam si ex subiecto non fiunt, erunt ex nihilo, atque ita non generabuntur, sed creabuntur.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut in omni mutatione & motu, tandem deueniri debet ad aliquid immobile, & immutabile, ne secus in rebus sequatur cõfusio, & processus in infinitum, sic in generationibus, & corruptionibus naturalibus deueniri debet ad aliquod intrinsecum principium ingenerabile, & incorruptibile, ex quo fiant quęcũque fiunt: secus enim cur ex vno fieret aliud? cur ex quolibet non fieret quodlibet? & quę maior esset ratio cur ex magnis fierent magna ex magno ligno, magnus ignis & non æque magnus fieret ex quolibet ligno? Et cur vnum fieret ex alio, & non magis sine subiecto agens faceret sibi simile? Quid enim valeat corruptio vnius ad alterum si ex aliquo eius non fit, quod generatur? dari ergo debet principium aliquod in generationibus intrinsecum, quod sit in genito cum prius esset in corrupto, ac proinde quod sit ingenerabile, & incorruptibile; Nam si ingenerabile non esset ex alio deberet generari, & sic in infinitum, quod euitet necesse est si natura ordinata est. Hoc autem principiũ ingenerabile non potest esse forma, quia debet remanere in omni generatione, & corruptione, forma autem in generatione fit, in corruptione corrumpitur: Neque potest esse priuatio, quæ adest per absentiã formæ, per præsentiam desinit esse: Erit ergo materia. Considerandum igitur est, quod si materia vt quæ est subiectum omnium generationum, & corruptionum de sua natura debet esse ingenerabilis & incorruptibilis, id habebit secundum se totã, & secundum omnes partes, si tamen partes habere dicenda sit, quia eiusdem rationis est tota; vt proinde impossibile sit materiam secundum aliquas suas esse generabilem, & corruptibilem. Verum quidem est, quod materia cum adeo imperfecta sit, vt pene non sit; & per formam trahatur ad esse, quod per generationem fit, ratione illius aliquo modo generari posse videtur; tamen quia illud ipsum non fieret secundũ ordinem naturæ, nisi materia aliquid esset, quod præfuerit in corrupto.

Idcirco.

Dicendum materiam secundum se totã, & se-

& secundum omnes suas partes esse ingenerabilem, & incorruptibilem, patet ex dictis & rationibus secundæ sententiæ.

Confirmatur quia si aliquid materiæ generari debet à quo nam illud effectiue generabitur? non à materia, quæ non est actiua. Non à forma, primo quia formæ diuersæ eundem haberent effectum.

Secundo quia forma non continet in se materiam, nihil autem agit, nisi quod est tale actu formali, vel eminentiali. A nullo ergo generari potest. Vlterius quantũ materiæ generari debet? Dices quantum postulat forma generanda. Sit ergo ista forma viuentis. Si ergo in generatione viuentis generatur aliquid materiæ ad exigentiam formæ viuentis, cur ex defectu materiæ accidunt monstra? cur ex eodem defectu aliquando perit partus? non potest igitur generari aliquid materiæ, sed tota est ingenerabilis, & incorruptibilis.

Ad rationem in contrarium.

Respondeo dicendum, quod in rarefactione acquiritur noua quantitas, vt alibi ostendimus, per quam magis extenditur materia, quam antea esset extensa, ex quo est, vt materia, quæ respondebat palmo loci, iam respondere possit duplici palmo; quia extenditur iam ad duplicem palmũ, omnisque pars materiæ magis extensa est.

Obijcies. Sicut dicitur proprie moueri illud, in quo est motus, ita & generari proprie dicetur, in quo est generatio; sed generatio est in materia prima; Ergo de materia prima proprie dicetur generari.

Respondeo dicendũ, quod discrimen est inter mutationes substantiales quales sunt generationes, & inter mutationes accidentales, quod in mutationibus accidentalibus, quia vt subiectum præsupponitur ens actu, illud quoque potest denominari, & sic dicitur moueri lignum, lapis, &c. at in mutationibus substantialibus; Quia præsupponitur tantum ens potentia, quod non habet denominationem, sicut neque censetur proprie habere esse, ideo à talib⁹ mutationibus non denominatur, vnde non dicitur generari materia, neque corrumpi; sed denominatur generari terminus generationis puta ignis, vel aqua; Quia terminus generationis est ens actu; Vnde 5. phys. Tex. 8 dicitur quod illud, quod mouetur, est, quod generatur, non est, antequam scilicet generetur.

Art. 21. *Vtrum materia sit causa Generationis, & Corruptionis.*

SEntentia negatiua, quod non sit, sua deri sic potest.

Primo nihil potest esse principium cõtrariorum; nam contrariorum contraria videntur principia; sed generatio, & corruptio sunt contraria, cum vna sit adesse, altera ad non esse; Ergo generationis, & corruptionis materia non potest esse causa, siue principium.

Secundo Cęlum est ingenerabile, & incorruptibile; sed cęlum habet materiā; Ergo materia non est principium generationis, & corruptionis.

Tertio materia appetit formam; Ergo nulla causa est, cur postea illam velit abijcere; sed nisi materia abijciat formam, non est causa generationis, & corruptionis.

Ergo.

Quarto quidquid generatur ab extrinseca causa generatur, sicut quidquid corrumpitur ab extrinseco corrumpitur; Ergo materia, quæ est rebus intrinseca, non potest esse causa generationis, & corruptionis.

Pro contraria sententia affirmatiua, quæ videtur communis apud peripateticos sunt hæ rationes.

Prima ab auctoritate philosophi pluribus in locis 7. metaph. Tex. 22. Cuncta, quæ à natura, aut arte fiunt, habent materiam: possibile est enim esse, & non esse eorum vnumquodque, hoc autem fit à materia. Et Tex. 50. substantiarum sensibilis singularium non est definitio, neque demõstratio, eo quod habent materiam, cuius natura talis est, vt esse & non esse contingat, idem habet 9. met. Tex. 17. 12. meta. Tex. 13. 14. met. cap. 3. 1. cęli Tex. 136. 1. de

de gener. Tex. 1. de longitudine, & breuitate vitæ cap. 1.

Secunda ratio experientia demonstrat res naturales generari, & corrumpi: Ergo debent in se ipsis habere aliquod principium huius passionis; hoc non potest esse forma; Quia ipsa generatur: & si esset generationis, & corruptionis principium, causa esset suæ corruptionis, cum tamen vnaquæque res se conseruet in esse quantũ potest; Ergo causa generationis, & corruptionis erit materia.

Tertia ratio. Materia cum est sub vna forma, adhuc est in potentia ad aliam: Ergo ne talis potentia sit frustra debet posse abijcere primam, & illam suscipere; at hoc est esse principium generationis, & corruptionis.

Ergo.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut omnis actionis proprie dictæ duplex est principium, vnũ actiuum, alterum passiuum; quia actio est actus agentis in aliquo passo: Ita generationis, & corruptionis naturalis duplex debet esse principium, vnum actiuum, quod est extrinsecum genito; Quia nihil generat seipsum, alterum passiuum, quod debet esse intrinsecum; Quia in generatione res ab esse potentia, transeunt ad esse actu; Et in corruptione ab esse actu ad esse potentia; Quamquam hæc reuocari non debeat ad eundem actum propter bonum vniuersi: hoc autem principium intrinsecum in generatione non potest esse forma; Quia forma antequam actu generetur, non est, & quæ est suam non quærit corruptionem; restat ergo quod sit materia; Erit ergo materia & priuatio: in corruptione tamen quia forma ab esse transit ad non esse non valet dicta ratio.

Considerandum igitur est, quod accepta corruptione in radice, & aptitudine, idest pro corruptibilitate, adæquatũ principium non potest esse materia; quia materia non abijcit formam, nisi ipsa forma finat agens introducere in materia dispositiones sibi contrarias; Vnde corruptibilitatis rei radicale principium intrinsecum est materia, adæquatum materia & forma, quatenus in materia secum compatitur priuationem; Nam forma, quia apta est corrumpi, vel certe dimoueri à subiecto, ideo compositum est corruptibile; Vnde nihil corruptibile est, quod non habeat formam, quæ à subiecto remoueri possit: quod autem remoueri possit neque præcise, neque totaliter nascitur a materia, sed ab vtraque; nam cum materia sit pura potentia, induit consequenter sub forma formæ conditiones; si enim fiat sub actu, qui illam penitus determinet, & expleat illius capacitatem, censetur & ipsa penitus facta actu; Quare adæquata causa corruptibilitatis rerum videtur esse materia, & forma quatenus admittit priuationem substantialem; nam materia nisi sit sub priuatione substantiali, quam complete habet cum recipit dispositiones alicuius formæ generandæ nunquam desinit fungi suo officio erga formam, quam habet, nec forma corrumpitur, nisi amittat in subiecto dispositiones, cum quibus debet conseruari. Itaque adæquata causa corruptionis non erit materia.

Quamquam illud adhuc considerandũ est aliud esse accipere formam in sensu reali, aliud in sensu formali, si accipiamus formam in hoc secundo sensu nullo modo dici debet causa intrinseca corruptionis rerum.

Ratio est; quia actus vt actus non est potentia, siue potentialitas; cum tamen corruptibilitas, quæ est radix corruptionis rerum, in suo conceptu dicat potentialitatem ad non esse, siue potentiam contradictionis vnde in sensu formali semper dici debet solam materiam causam esse corruptionis; sed tunc materia non dicit præcise illud physicum, quod dicimus materiam primam; Quia hæc potentia contradictionis, siue potentialitas non illud præcise includit; secus enim neque per diuinam omnipotentiam posset fieri incorruptibile corpus, in quo illud esset, vnde beatorum corpora nullo pacto dici possunt incorruptibilia: Ex hoc est vt Aristoteles in sensu formali, & metaphysice loquendo omnem causam corruptibilitatis rerum, & corruptionis, assignet materiæ; & cælo neget materiam, quæ sit potentia contradictionis, dicatque cœlum solum habere materiã vnde quò, siue motus;

Quia

Quia per materiam accipit completam rationem potentiæ contradictionis, quam non putat esse in cœlo, quod vult esse incorruptibile, & solum subire mutationē motus localis; Quæ nonnullis fuit occasio introducendi duplicem materiam, alijs existimandi nihil aliud esse in rebus materiam, quam potentiale, siue rationem potentiæ, quam dicunt idem re esse cum forma; Nos ergo cum Aristotile materiam primam realiter distinctam à forma non negamus, & simul cum illo admittimus acceptam materiam pro conceptu potentialis completo, & potentiæ contradictionis includere aliquid aliud ab illo primo subiecto, quod definitur primo physicorū, & quod putamus dari in rebus corporeis, & facere compositionem cum formis, etiā quæ illud ita actuant, vt amplius non relinquant in potentia, etiam si semper materia secundum se fit potentia. Illud autē, quod præter subiectum dictum includit conceptus completus potentialis, siue potentiæ contradictionis appellari solet à philosophò nomine priuationis, quæ addit primo illi subiecto quidquid aptum in eo est corrumpi, & quidquid pro dispositione exigit forma generanda, hoc quidē proximius, illud vero remotius; vnde est, vt dicat Aristoteles, materiam & priuationem esse quodammodo duo, & quodammodo vnum; Quia & si priuatio includitur in potentia contradictionis, adhuc tamen proprio quodam cōceptu explicabilis est, in quo in obliquo prædictum ponitur subiectum, sed iam ad quæsitum.

Dicendum adæquatum principium intrinsecum corruptibilitatis rerum esse materiam, & formam quatenus secum in subiecto compatitur priuationem substantialem, quod vno verbo dici solet materia, siue potentia contradictionis, ac proinde, & idem esse causam generationis; Quia corruptio non intenditur per se, sed propter generationem, extrinsecā tamen principium esse agentem, siue generantem introducentem dispositiones formæ generādæ. Patet conclusio ex dictis, & confirmatur. Quia illud est principium corruptibilitatis rei, per quod res habet, vt possit corrumpi; sed hoc illa dicit, vt manifestum est, nisi enim forma sit à materia separabilis ex eo quod inducisinat in subiecto dispositiones formæ generandæ suis dispositionibus contrarias, materia non potest cessare à complexu illius, neç aliam formam admittere; Ergo ad constituendum adæquatum, & proximum principium corruptibilitatis rei, illa omnia sunt necessaria. Quod autem extrinsecum principiū sit agens siue generans, certum est, quia si hoc absit res physicæ non corrumpuntur; nihil enim corrumpit se ipsum, aliudque est in se habere ea, quibus redditur corruptibile, aliud sibi moliri corruptionem.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod contrariorum, positiuorum in proposito non solet idem esse principium, quod autē sit contrariorum priuatiuorum non repugnat, imo est necessarium, quando priuatio fit propter formam, vt fit corruptio propter generationem.

Ad secundam patet ex dictis non esse generabile & corruptibile, nisi quod habet potentiam, siue materiam contradictionis, quæ non est prima materia quomodocunque, sed includens priuationem iuxta dicta.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod materia non abijcit formam, quia illam fastidiat; sed quia cum naturaliter sit exposita actionibus agentium potest ab illis recipere dispositiones ad alias formas, cum quibus stare non potest forma præcedens, vnde necessario corrumpitur, vel separatur, ac proinde materia est principium nouæ generationis, & corruptionis.

Ad argumentum igitur in forma neganda est prima consequentia; ratio enim cur materia abijciat priorem formā est, quia illam retinere non potest postquā ab agente recepit contrarias dispositiones, contrarias autem dispositiones recipiat necesse est, si non sit impedita, & sit agens producens.

Ad quartam respondeo dicēdum, quod generationis & corruptionis, sicut dictum est duplex est causa, alia intrinseca, alia extrinseca, alia materialis, alia effectiua; Quidquid actu corrumpitur, vel generatur ab extrinseco corrumpitur, & generatur (exceptis ijs, quæ immediate, pendent à suo efficiente) præsupposita tamen intrin-

trinseca rei aptitudine ad corruptionem, & generationem; Quia omnis physica corruptio, & generatio est in subiecto, dictam autem aptitudinem prouenire diximus à materia cum priuatione modo dicto.

Ad rationes secundæ sententiæ quantũ possunt esse contra conclusionem.

Ad primam ab auctoritate patet Aristotelem illis locis non loqui de materia prima accepta quomodocumque, sed vt est potentia contradictionis, non esse autem materiam potentiam contradictionis, nisi sub forma ipsi copulata corruptibiliter, & admittente in ea dispositiones sibi cōtrarias, ac proinde habente adiunctam priuationem.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod nihil sibi est causa; quod corrumpatur loquendo de causa effectiua, & de re simplici (nam secus per vnam partem corrumpi potest alia, ex qua sequatur corruptio totius) verum loquendo de corruptibilitate, & passiua aptitudine aliquid potest esse causa sibi, quod corrumpatur; Quia de sua natura aptum est corrumpi: tales autem sunt formæ materiales sublunarium.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod materia sub vna forma non est in potentia ad aliam, nisi sit cum priuatione, quæ ex parte formę, quam habet dicit nexum cum materia naturaliter corruptibilem, & non excludentem dispositiones contrarias. Nã si forma habita excludat omnes dispositiones contrarias non relinquit materiam in potentia. Dices materia si non est potentia non est materia. Respondeo semper materiam esse potentiam ad formam, quã habet, sed non semper esse in potentia ad aliam formam: nec esse idem esse potentiam, & esse in potentia. Quare antecedens tertiæ rationis accipiendum est cum limitatione de materia sub forma habente adiunctam priuationem alterius formæ.

Dices omnis forma habet adiunctam huiusmodi priuationem; Quia sub ipsa est materia, quæ de se est apta habere quamcumque formam, & est negatio formæ nõ habitæ. Respondeo sophisma hoc esse à sensu diuiso ad compositum. Verum est quod materia de se est potentia ad quamcumque formam, sed sub forma in sensu composito iam non est potentia ad quamcumque formam, nisi nexus cum forma habita retineat aliquid de sensu diuiso, & patiatur dispositiones ad aliam formam.

Dices saltem sub tali forma materia erit violenter, cum ad vnam formam coarctetur, cum de se sit capax multarum.

Respondeo non magis esse violenter, quam calceus in pede, vel pileus in capite: neque enim violentum est, vbi passiua capacitas sufficienter expletur, etiamsi successiue aliter possit expleri; secus enim sub quacumque forma semper materia esset violenter, nisi forte cum est tantum in trãsitu, & successiue, ac proinde nihil deberet esse permanens in rebus habentibus materiam.

Art. 22. Vtrum materia habeat aliquam vnitatem.

PRo sententia negatiua, quod nullam vnitatem habeat, sunt hæ rationes.

Prima omnis distinctio est per formam, sed illud est vnum, quod cum sit in se indiuisum, est diuisum & distinctum à quocũque alio; Ergo vnitas erit à forma: non igitur materia præcisa à forma habebit vnitatem.

Secunda ratio. Contraponuntur vnum & multa; sed res eadem materia participãtes sunt multæ; Ergo materia non potest habere aliquam vnitatem.

In contrarium pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima illud est vnum, quod in se non habet diuisionem, & est diuisum & distinctũ à quocumque alio; sed materia secundum se accepta non est in se diuisa, & est diuisa à quocumque alio: Ergo materia de se est vna.

Secunda ratio, vnum vt ostenditur in metaphysica est passio entis; sed materia est ens; Ergo materia est vna.

Pro solutione.

Notandum, quod cum vnitas sit multiplex, vt supra tactum est, multiplex hic quoque potest esse difficultas, & prima potest esse de vnitate specifica materiæ, secunda de vnitate numerica; nam de vnitate

trascen-

trascendentali, quæ sequitur ens, difficultas non est alia, quam quæ de materia supra tacta est; si enim de se materia aliquam entitatem habet actualem, & aliquam vnitatem habebit trascendentalem, quæ sequitur entitatem, & ens; vt proinde si de se materia ens est, & vna quoque sit vnitate, quæ sequitur ens, & qua materia in se indiuisa ab omni alio ente diuisa, distincta que est, quod materia non est. Restat ergo difficultas de vnitate specifica, & numerica.

Quoad primam ergo considerandum est, quod si materia in tota sua latitudine aliquam admitit specificam distinctionē, hæc debet esse in ordine ad formam; nam cum ipsa potentia sit non potest esse potentia distincta, nisi in ordine ad actum distinctum; nec tamen quæcumque actus diuersitas sufficiens esse potest ad distinctam speciem, secus enim tot deberent esse distinctæ species materiæ, quot sunt species actuum & formarum; Ex quo sequeretur non esse vnam materiam, & vnum primū subiectum omnium transmutationum, ac proinde nec esse generationes perennes, nec res naturales, inuicem transmutabiles; Quoniam hæc mutua transmutatio nō est sine vno primo subiecto, in quo formæ conueniant, à quo dum noua actione remouentur veteres, & generantur nouæ, procedit generatio, & noua subinde fiunt composita; Vt proinde pro omnibus rebus corruptibilibus necesse sit assignare vnam specie materiam, quæ multiplex quodammodo fiat per multiplicem determinationem, & dispositionem ad diuersos actus, ac proinde solum vt determinata, quæ solet dici materia secunda, assumere possit peculiarem aliquam formalitatem ad peculiares actus, & sub ista restrictione censeri multiplicium specierum non vnius, cū de se omnes actus corruptibiles æque, & indifferenter respiciat, vt subiectum primum, ac proinde de se vnius tantum speciei sit & naturæ.

Difficultas ergo est de materia in rebus æternis & incorruptibilibus, & posito quod huiusmodi res dentur constantes materia.

Considerandum est, quod incorruptibilitas corporis non potest prouenire à materia; ratio est primo; Quia ab eo prouenire debet in corpore incorruptibilitas, à quo tollitur à tali corpore corruptio, & excluditur omnis actio agentis corrumpētis; sed hæc proueniunt à forma, & à formæ dispositionibus; nam sicut non posse illuminari opacum non est à materia, sed à formis, ita non posse calefieri, exsiccari, frigefieri &c. à formis est, non à materia.

Secundo quantumcumque sint materiæ inter se distinctæ specie, tamen semper erunt potentiæ; Ergo erunt capaces plurium actuum, ac proinde corpora in quibus ponentur erunt corruptibilia. Si dicas non esse capaces plurium actuum specie distinctorum, iam tot erunt species materiæ, quot erunt corpora incorruptibilia, ac proinde tot specie materies, quot corpora cælestia, & adhuc vim habet ratio; quia cùm possibilis sit ex parte materiæ alia forma eiusdem speciei cum ea, quæ est in vno corpore incorruptibili (non enim illa videtur ratio, qua id possit negari) adhuc illa materia patietur illa, quæ inferūt contra ponentes vnam specie materiam in omnibus corporibus; Nam illa materia appetet aliam formam, & erit illius capax, quæ capacitas ne sit frustra, dari debebit agens naturale potens illam producere, & alia huiusmodi, quæ inferre solent contra vnitatem materiæ paralogizantes. Itaque in proposito reuocari in memoriā debet, quod supra dictum est, aliud esse accipere materiam secundum se, & antecedenter ad omnem formam, aliud accipere illam vt habet requisita adhoc vt sit iuxta ordinem naturæ, & vniuersi potentia contradictionis; Si primo modo accipiatur vna est specie materia tam in corporibus corruptibilibus, quam incorruptibilibus; Quia vt sic non magis respicit vnum actū, quam alium, & est illud prope nihil, sicut dicebat Augustinus, quod excludit omnē actum, & dicit meram potentialitatem: si accipiatur secundo modo, duplex materiæ species statui debet, vt statuit Aristoteles 8. metaphy. Tex. 4. cum dicit. Non est necesse si quid materiam habet localem etiā materiam habere generabilem & corruptibilem. Quia vere in ista consideratione materia duplicem dicit conceptum potentialis; ac proinde duplex est metaphysica ratio materiæ. Nam ratio materiæ cum sit potentialitas, quoties hæc per actum ita deter-

determinatur, vt naturaliter disponi non possit ad alium actum, perinde est ac si in illo corpore non esse materia; non quoad primarium officium componendi sed quo ad secũdum promouendi ad alium actum. Ex quo est, vt Aristoteles 8. metaphis. Tex. 14. dicat, Neque omnium materia est, sed quorumcumq; generatio, & transmutatio inuicem sunt; quæcunque vero absque eo, quod transmutentur sunt, aut non, horum materia non est.

At si potentialitas solum sit ad motum localem appellatur à philosopho materia localis, siue vndè quò, vt 12. metaph. Tex. 10 si vero sit ad generationem, dicitur materia generabilis & corruptibilis, siue potentia contradictionis, vt supra, et 9. met. Tex. 17. Quare & vna erit materia specie secundum se, et duplex erit specie accepta in officio, quod fungitur in rebus; nam in corporibus cælestibus erit solum potentialitas ad ubi, & materia vnde quò. In corporibus sublunaribus erit potentia contradictionis, & materia generabilis, & corruptibilis, Et hæc de vnitate specifica.

Restat nunc difficultas de vnitate numerica. Quæ etiam dupliciter venire potest in controuersiam, primum quidẽ si materia accipiatur secundum se, & antecedẽter ad omnes formas.

Secũdo verò si accipiatur vt de facto est in corporibus sub varijs, & diuersis formis. Et de hoc secundo difficultas non est, quod vna nõ sit: Neq; enim materia quæ nũc est sub forma æris vna numero est cum materia, quæ est sub forma terræ; quia illa quæ est sub forma terræ, quatenus est sub forma terræ, diuisa est à materia, quæ est sub forma æris, ac proinde non vna sed duæ materiæ hæc & illa: sicut duæ quantitates, duę lineę, quæ in duobus sunt corporibus.

Quo ad primũ verò materia pręcisis formis vna numero videtur; Quia in ea omnis diuisio est per aliquam formã, vt proinde pręcisa omni forma in se indiuisa sit, et cõsequenter vna numero: nam et in eo statu nisi vt vna non accipitur.

Cõtrouersia quidẽ esse potest vtrũ in eo statu plures sint partes eius, ad quod videtur dicẽdũ materiã actu partes nõ habere, sed potestate Quatenus tale quid est, quod totũ secũdũ se, potest naturaliter esse non totum sub diuersis formis, & secũdũ quid sui sub hac, secundum quid sub illa: neque enim tota materia est, neque naturaliter potest esse sub forma grani sinapis; neque materia, quæ sub tali forma est, naturaliter potest esse sub tota forma terræ, vt proinde in materia potestate partes sint, et quædam latitudo Entitatis, quæ fundat partes in ordine ad formas.

Sed iam ad quæsitum.

Dicendum materiam secundum se acceptam, et pręcisis formis esse vnam, et specie, & numero, vt vero est sub diuersis formis diuersas conceptus, siue species metaphysicas cõstituere posse in corporibus corruptibilibus, & incorruptibilibus. Patent omnes partes conclusionis ex dictis.

Et confirmatur prima pars. Quia cum materia de se, et pręcisis formis postquam à Deo creata est, sit extra nihil, et vere aliquid sit, licet imperfectum, hoc autem quod est materia antecedenter ad omnes formas nullam dicat in se diuisionem, et tamen dicat distinctionem ab omni alio, quod materia non est, consequenter vna est et numero; Quia ab intellectu accipi potest vt hæc; & specie; Quia et si in re adeo imperfecta proprie species non est, tamen concipitur vt potentia ad omnes formas informantes, nec habet aliquid per quod magis respiciat hanc speciem actuũ, quam illam. Vt autem (quæ est secunda pars conclusionis) ita determinata est, vt illud, in quo est, non sit in potentia, nisi ad motum localem, vel aliquam mutationem perfectiuam, qualis est illuminatio, habet diuersam rationem potentialis ab illa, quam habet vt est in rebus corruptibilibus, quæ sunt in potentia ad corruptionem, vt consequenter ad nouam generationem, ac proinde in rebus corruptibilibus differt specie, siue conceptu specifico dicto non simpliciter a se ipsa, vt est in rebus incorruptibilibus.

Neque hoc est inconueniens; Quia si eadem res potest esse actio, et passio, et consequenter a se ipsa specie differre secundũ diuersas rationes, multo magis hoc poterit habere materia, quæ cum hoc habet, sola non est, sed includit aliquid, quod ipsa non est, cum quo tamen tale po-

P tentia-

tentiale, siue talem rationem potentiæ cõstituit.

Ad rationes vtriusque partis patet ex dictis.

Obijcies. Materia etiamsi per se ponatur, habet actu illam entitatem, quam habet sub diuersis formis; Ergo habet partes actu.

Respondeo dicendum, quod adhoc vt partes dicantur actu, non est satis, si illarũ actu sit entitas, sed debet esse actu sufficiẽs ad illud distinctio entitatum; Nam partes, quæ sunt actu, dicunt ad inuicem distinctionem, quæ formaliter est, quando vna dicit actualem negationem alterius in ratione vnius; Ita vt hæc antecedenter ad omnem designationem, & conceptionem distinctionis actu neget illam, & vnionẽ cum illa per modum vnius homogenij; nã si hoc totum non habeat pars solum potestate esse in ratione partis dicenda est.

Art. 23. Vtrum materia habeat aliquam veritatem, & bonitatem.

QVod non habeat probari sic potest. Quod est verum de se cognosci potest; sed materia de se cognosci non potest; Ergo materia de se nullam habet veritatem. Maior est certa; Quia verum est obiectum intellectus.

Minor probatur primo Physi. Tex. 69. materia est scibilis per analogiam. Quod vtique videtur interpretandum per formam, ad quam dicit Analogiam. Vlterius cognoscibilitas est passio actus; sed materia de se est potentia; Ergo materia de se cognoscibilis non est; ac proinde neque veritatem habet.

Secundo res est vera, quæ est conformis suæ ideæ, sed materia in mente diuina non habet ideam; Ergo non est vera: Non igitur materia vllam habet veritatem.

In contrarium, quod materia veritatem habeat.

Prima ratio veritas est passio entis, sicut vnitas; sed materia est ens; Ergo suam habebit veritatem.

Secunda ratio. Verum est illud, quod constat principijs sibi debitis, & debita natura; Sicut verum est aurum, quod habet propria principia, & naturam auri; sed materia habet propriam naturam materiæ; Ergo est vera materia: Non ergo illi sua deneganda est veritas.

Pro solutione.

Notandum, quod verum existimamus illud, quod vere in se habet, quod exprimit, & repræsentat; vnde verum aurum dicimus illud, quod habet veram naturam auri; fictum vero illud appellamus, quod cum foris ostendat per aliqua accidentia naturam auri, illam tamen non habet: veram autem naturam censemus dici à posteriori per passiones proprias ipsam consequentes, à priori vero per adæquationem Idæalis sui principij, ex quo participata est; vt vera natura auri illa, quæ habet omnes proprietates auri, & quæ æquat Idæã, quam habet in ente per essentiam, a qua participata est. Iam veniendo ad materiam, cum illa, sicut supradictum est, aliquod esse habeat, & aliquid entis sit, vera erit materia, quæ esse materiæ habebit, quæque talis in se erit, qualis censetur esse materia in sua ratione, & definitione. Est autem materia potentia subiectiua, faciẽs vnum cum forma substantiali; Erit igitur vera materia, quæ veram habebit rationem talis potentiæ, ac proinde aliquam habebit veritatem materia, quæ vera potentia est, sed vera potentia est, igitur

Dicendum materiam habere aliquam veritatem.

Patet ex dictis; & confirmatur; Quia vere materialia dicuntur, quæ vera constant materia; sed nisi materia esset aliquid verum, & suam haberet veritatem, nihil vere esset materiale; Quia nihil vera esset materia: materia autem vera à veritate dicitur.

Ergo.

Ad rationes in contrarium. Ad primũ respondeo dicendum, quod duplex esse potest sensus minoris; nam primo sensus potest esse materia non habet vllum propriũ conceptum, per quem ita ipsa concipiatur, vt non concipiatur aliud ab ipsa, siue nullus est conceptus materiæ; Et hic sensus est falsus; nam materia est ens in potentia subiectum

iectum primum omnis generationis, & corruptionis, siue magis ex quo vt potentia inexistente fit aliquid; quod nulli alij rei conuenit; vnde quando ipsa ita concipitur proprio conceptu concipitur, qui non est alterius rei.

Secundus sensus est materia non potest concipi, quin concipiatur cum ordine ad aliud, nimirum ad formam, & tunc sensus quidem hic verus est; sed falsa consequentia. De quo tamen sensu est dubium, & diuersæ auctorum sententiæ; nam aliqui volunt materiam intelligi posse sine vllo ordine ad formam: Alij vero negant.

Pro cuius decisione triplex fingi potest esse conceptus materiæ.

Primus absolutus, quo materia concipiatur sub conceptu substantiæ, vel entis, & hic non est proprius conceptus materiæ, cum magis conueniat formæ & composito. Secundus negatiuus, qui respondeat definitioni traditæ de materia per negationem, vt cum definitur materia nō est quid, non est quantum, non est quale &c. Et hic neque est proprius conceptus materiæ, cum per eum potius concipiatur quid non sit materia, quam quid sit.

Tertius relatiuus relatione transcendentali, quo materia concipitur potentia ad sibi proportionatum actum, & hic est proprius materiæ cōceptus, qui, vt apparet, in ordine ad formam est.

Neque contra hoc est Aristoteles, qui loco citato physicorum magis quod dictum est insinuat, concipiendam scilicet esse materiam in ordine ad formam.

Quod autem dictum est cognoscibilitatem esse passionem actus distinguendum est de cognoscibilitate, & concedendum de distincta, & clara; nam secus cognoscibilitas magis est passio entis, vt proinde quod ente participat, participet quoque cognoscibilitate.

Ad secundam respondeo dicendū, quod satis est si materia habeat in mente diuina ideam secundario ratione scilicet entis cōpleti, cuius ipsa est pars subiectiua; quamquam negandum non est Deum vere, & quidditatiue cognoscere quid sit materia etiam ab ipsa præcisa forma; ac proinde in aliquo vero sensu concedi potest materiam habere suam ideam in mente diuina.

Quoad secundum principale quæsitum, vtrum materia habeat aliquam bonitatē. Non habere putarūt phy[t]hagoræi ex Simplicio, & cum illis nonnulli alij, sed sine sufficienti fundamentum. Quare magis.

Dicendum materiam habere suam bonitatem. Quod patet; Quia materia de se est ens aliquod, siue aliquid entis, & facta est à Deo: Vidit autem Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.

Quidam tamen dicunt materiam esse bonam potentia: Quia est ens potentia; sed melius dicitur cum D. Thoma lib. 3 contra Gent. cap. 20 materiam etiam si sit ens potentia, tamen esse bonam actu; Quia materia ens potentia dicitur, non quod non sit vere ens; ac proinde verè bona; sed quia non est ens completum, quod proprie dicitur actu ens. Secundo quia actu dicit ordinem ad formam, ad quam etiam dicit rationem conuenientiæ; formæ enim sua conueniens est materia, vt proinde subista ratione vere materia bona sit, & consequēter bona actu dici debeat.

Obijcies lib. 7. met. Tex. 35. dicitur. Materia vero per se ipsam incognita; Ergo materia per se ipsam, neque habet veritatem, neque ideam vllam: patet consequentia; Quia idem est per se cognosci, & per se habere veritatem, & ideam; Quia per suam veritatem, & ideam vnaquæque res cognoscitur.

Respondeo dicendum, quod ibi Aristoteles accipit materiam pro materiali materialiter sumpto, vt scilicet contradistinguitur à ratione intelligibili, & idē est, quod dicit Aristoteles, ac si quis dicat, color per se inuisibilis, per lumen visibilis est; Quia scilicet lumen est ratio, qua videtur color: Ita ergo in proposito; Quia nihil materiale cognoscitur, nisi per suam rationem intentionalem, ideo materia, & omne materiale acceptum materialiter per se ipsum incognitum est, sed idem acceptum intentionaliter, siue in sua ratione intentionali cognitum est. Et quod Aristoteles ibi de materia hoc pacto loquatur probari potest ex eo, quod ibi statim distinguit materiam in sensibilem, & intelligibilem, in physicam & matematicam, & æs ac lignū dicit esse materiam. Ex quo apparet non esse acceptam materiam ab Aristotele, vt est illud, quod contradistinguitur à forma physica informante.

Obijcies respectus transcendentalis, quem dicit materia in ordine intentionis, est illi essentialis: sed ordo essentialis alicuius non potest esse ad plura: Ergo illo ordine vnum tantum respicit, non compositum: Ergo formam.

Respondeo dicendum, quod per vnum ordinem transcendentalem sibi essentialiter identificatum potest aliquid respicere plura, dummodo tamen illa sint subordinata, & vnum respiciat vltimato tanquam terminum adæquatum, cætera in ordine ad illud; sic materia respicit compositum, vt terminum vltimatum, formam vt non vltimatum, & id quo deuenitur ad compositum.

Art. 19. Vtrum materia appetat formas, & quas magis appetat.

NEgatiua sententia, quod materia nō appetat formas placet Auicennæ li. 1. suffi. cap. 2. & idem cum Auicenna videtur sentire Alb., qui tamen vult materiam moueri ad formas à prima causa.

Contraria sententia, affirmatiua fundatur in Aristotile 1. phy. Tex. 81. ex quo desumpserunt eam communiter Peripatetici, & recentiores.

Pro sententia negatiua sunt hæ rationes.

Prima si materia appetit formas, vel appetit, quia fastidit illam quam habet; Et hoc non; quia forma est ipsius perfectio; vel quia vnam magis appetit, quam aliam, & hoc non; Quoniam omnes formæ sunt illius perfectio; vel quia simul cupit omnes, vel plures habere, sed hoc est impossibile; materia enim non potest esse sub pluribus formis, quam ferat ipsius capacitas; vel quia se moueat ad formas, & hoc non; Quia est potentia passiua: Ergo materia non desiderat formas.

Secunda ratio. Si materia appetit formas maxime vt significat Aristoteles propter adiunctam priuationem; sed priuatio non potest esse causa, cur materia appetat formas; Quia priuatio esset causa suæ corruptionis; Ergo materia non appetit formas.

Tertia ratio si materia appetit formas, omnis pars materiæ consequenter appetet omnem formam; at hoc est impossibile; Ergo & illud vnde hoc sequitur.

In contrarium pro sententia affirmatiua est. Primo quod vbi est priuatio alicuius cum potentia habendi illud, ibi videtur esse appetitus; sed in materia est priuatio formæ eius, quam non habet cum potentia illam habendi; ergo in materia est appetitus ad formam.

Secunda ratio. Vnumquodque appetit suam perfectionem; forma est perfectio materiæ; Ergo illam materia appetit. Maior patet. Minor probatur; Quia materia ex Aristotile, vbi supra, est quid turpe, & informe; forma vero non solum est pulchrum, sed diuinum quoddam bonum, cum afferat secum speciem & essentiam, per quam res assimilantur Deo, & per quā materia formatur; Ergo forma est perfectio materiæ.

Pro solutione.

Notandum, quod si loqui proprie volumus, appetitus est inclinatio alicuius naturæ, quæ seipsam agat in suum bonum cognitum: hoc enim est appetere, petere siue tendere ad bonum, quod consequenter cognitum esse debet, & in illud cognoscens per appetitum se agere: si enim non sentitur bonum, & res actiue non se agit in illud, non potest proprie dici illud appetere: Hæ inquam sunt propriæ notiones appetitus, cuius deinde varij distinguuntur actus; nam si res simpliciter se agat in suū bonum, eius actus dicitur amor; si bonum præsens sentiat, illudque vt tale amplectatur, & in amplexu ipsius conquiescat, dicitur complacentia; si vero se agat in bonum sibi absens, eius actus dicitur desiderium &c. His modis proprie accipiebatur appetitus placuit tamen philosophis appetitum latius sumere, vnde distinxerunt duplicē appetitum, Elicitum, & Innatum, non solum intelligendo, Elicitum, & Innatum, vt hactenus explicauimus in naturis cognoscentibus; sed extendēdo innatum ad quācunque naturalem inclinationem datam rebus. Porrò naturalis inclinatio, vt nomen ipsum sonat, semper videtur dicere

pon dus,

pondus, & propensionem actiuam in aliquod obiectum, qualis exempli gratia in grauitate lapidis ad centrum, & in potentijs actiuis ad sua obiecta, sed tamen neque hoc aliqui contenti latius adhuc traduxerunt metaphoram, & appellarunt appetitum innatum quamcunque potentiam, & capacitatem passiuam, præsertim cum forma & perfectione est spoliata: nam tunc subiectum, quod habet talem capacitatem videtur quodammodo propendere in huiusmodi perfectionem, ac proinde illam appetere, & hoc fuit tolerabile; sed illud omnino nimis longe petitum, quod subiecto mere passiuo habenti capacitatem ad aliquam perfectionem, vt materiæ nonnulli dederunt non solum appetitum, sed etiam complacentiam, & desiderium; sed concedendum est aliquid studio innouandi: nobis ergo sufficiat, si materiæ ad formas appetitum innatũ concedamus, quandoquidem antiqui ab hac locutione non videntur abhorruisse, libentius tamen in subiecta materia vteremur tantum nomine potentiæ, & capacitatis, sed tamen quia iam contrarius mos inoleuit.

Aduertendum est, quatuor distingui posse per rationem, & conceptus inadæquatos in materia, Potentiam, Aptitudinem, Priuationem, & Appetitum, potentia receptiua considerata absolute ad formã substantialem, vt actum sibi proportionatum, cum quo habet vnum constituere est materiæ essentia, Aptitudo nihil est aliud, quam ipsa proportio materiæ ad formam, per quam concipimus eam subiectum aptũ illam recipere; Priuatio est negatio formæ in materia, vt in subiecto apto nato; Appetitus est capacitas passiua materiæ concepta per modum inclinationis, & tendentiæ ad illam, quam potest recipere, formam, tanquam ad suam perfectionem, & finem: Quare appetitus etiãsi vt dicitur in cognoscentibus de potentia appetitiua, vel de illius actu, non dicat necessario priuationem rei, quæ appetitur; in subiecta tamen materia inuoluit priuationem; quia non dicimus materiã appetere formas, quas habet; quamquam huiusmodi locutiones adeo omnibus iam sunt liberæ, vt si quis eo pacto loquatur cum eo contendendum non sit, sed iam ad quæsitum.

Dicendum non ita proprie accepto appetitu innato materiam appetere formas, quas non habet. Patet ex dictis.

Si autem quæratur, appetat ne omnes formas, quas non habet dicendum videtur appetere solum illas, quas naturaliter habere potest; quoniam ad appetitum materiæ præter potentiam ipsius requiritur priuatio, & non quæcumque, sed proxima; priuatio autem proxima non est, nisi vbi materia ad formam disponitur.

Quare in ligno calefacto materia dicitur appetere formam ignis, quæ tamen nõ dicetur appetere formam aquæ: Cum autem materia non habeat proximam priuationem ad omnes formas, non dicetur appetere omnes formas, vnde non appetit formas corruptas, formas quas habet, & cœteras huiusmodi.

Inter formas autem, quod erat secundũ quæsitum, appetat ne vnam magis, quam aliam proprie negatiue respondendum esset; tamen si per magis appetere intelligamus habere capacitatem ad formam, quæ magis materiam perficiat, seu qua trahatur ad esse specificum magis perfectum, dici posse videtur, aliquas magis appetere, quam alias, quæ omnes videntur lites de nomine; Quare parum curandum quomodo quisque loquatur, dummodo cõstet de re.

Ad rationes in contrarium quantum faciunt contra conclusionem.

Ad primam respondeo dicẽdum, quod materia non appetit formam propter vllam ex dictis rationibus; sed quia habet capacitatem habendi formas, quas non habet, cum sæpe ab agente proxime ad illas sit disposita.

Ad secundam neganda est minor, neque absurdum est, quod priuatio sit causa indirecta suæ corruptionis.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod solum dici potest materia appetere formã cum habet requisita; in omni autem parte materiæ non possunt esse requisita ad quãcumque formam.

Obijcies forma non appetit materiam: Ergo neque materia formam, cũ vtriusque sit eadem ratio. Respondeo dicendum, quod cum forma non sit propter materiã,

& nunquam sit nisi in materia, non dicitur appetere materiam; nisi forte anima rationalis appetere corpus; Quia hæc etiam est sine corpore, quod tamen non appetit, nisi vt perficiat, & administret.

Art. 20. *Vtrum materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis.*

MVltiplex potest esse sensus quæstionis: Primus est sit ne materia à se, ita vt causam sui productiuam non agnouerit, ac proinde semper fuerit per se, siue deinde semper sub aliquibus formis fuerit, siue aliquando fuerit sub formis, aliquando non fuerit, sed solitarie fuerit priuata formis, & sic ingenerabilem, & incorruptibilem materiam aliqui posuerunt antiquorum, qui vel mundum putarunt semper fuisse, vel voluerunt formationi rerũ præfuisse informe quoddam cahos æternum, quod postea Deus, & natura formauerit. Hunc errorem sustulerunt sacræ litteræ, quæ docent mundum creatum à Deo, & cum mundo creatũ esse tempus, quod non nullis tantum annorum millibus à prima sui constitutione decurrit, & aliquando finiendum est. Quod dogma multa probãt deprompta ex historijs, & ex ipsa etiam natura rerum, vt infra ostendetur cum de æternitate mundi. Et hic potest primus esse sensus quæstionis.

Secundus sensus esse potest vtrum detur, vel dari possit agens naturale, vel naturalis aliqua actio, per quam materia fiat, & corrumpatur, & demum

Tertio vtrum de facto quando per generationem fiunt entia naturalia, vere in illis de nouo fiat materia, & corrũpatur, quando corrumpuntur; & duobus his vltimis acceptionibus quæstio procedit, & iuxta eas.

Duplex sententia est.

Prima affirmatiua communis, quæ vult, materiam ingenerabilem esse, & incorruptibilem, & de facto, & de possibili, cum vt primum subiectum generationum solũ fieri possit per creationem, & ad omnem actionem agentis naturalis semper præsupponi debeat, vt in qua versatur omnis naturalis actio.

Secunda sententia negatiua diuisa est, & duplex est, altera eorum, qui materiam nomine tenus admittunt, & dicunt non esse rem vllam distinctam à forma, sed formam ipsam sub conceptu potentialis, & transmutabilis, contra quos fuse supra, & hi consequenter admittere debent materiã secundum rem generabilem esse, & corruptibilem; Quia in forma genita de nouo noua generatur potentialitas, & cum præcedente forma corrupta præcedens corrũpitur, vt puta illa, quæ erat in ligno, quando fit ex ligno ignis, maxime cum illa potentialitas sit iam in actum conuersa.

Altera est illorum, qui bene quidẽ quoad cœtera de materia sentientes, aliquas tamen illius particulas subinde generari volunt, & corrumpi in rarefactione, & cõdensatione.

Vltimo censeri quoque possunt in hac parte negatiua, qui ponentes resolutionẽ vsque ad materiam primam omnem existentiam materiæ dari volunt à forma, ita vt in generatione omnis præcedens materiæ existentia pereat, & de nouo à noua forma materiæ existentia fiat; Quia generari ex communi sensu hominum est accipere esse in mundo siue existentiam; Et corrumpi esse siue existentiam amittere. Atque vltimus hic modus & primus cum sequantur ex illis opinionibus, nulla hic peculiari indigent probatione, vel refutatione, secundus vero modus sic probari videtur. In rarefactione subiectum, quod occupabat locum palmarem, occupat exẽpli gratia locum bipalmarem; vel ergo in palmo loci, quem occupat de nouo, sunt aliquæ partes materiæ, vel nullæ; Non secundum, quia non est subiectum materiale sine materia: Si primum, vel sunt illæ partes, quæ ante rarefactionem, erant in palmo primo loci; Et hoc non; Quia cum adhuc ibi sint, nunc essent in duplici loco; Ergo erunt aliæ partes, quæ cum non fuerint prius, erunt factæ de nouo, & sic materia secundum aliquas sui partes erit generabilis; Et quod probatum est in rarefactione respectu generationis probatur in condensatione respectu corruptionis: nam cum aer bipalmaris concrescit, & retra-

retrahitur ad palmum, vel corrumpuntur aliquæ partes materiæ, & habetur intentū, materiam secundum aliquam sui partem esse corruptibilem, vel non corrumpuntur, & tunc necesse est eas se penetrare cū alijs partibus, quod esse non potest; quia duorum materialium penetratio naturaliter est impossibilis.

In contrarium pro sententia affirmatiua, quod materia sit ingenerabilis, & incorruptibilis, sunt hæ rationes.

Prima si aliqua pars materiæ acquiritur de nouo, vel fit ex nihilo, vel ex alia materia præcedente; non primum, quia ex nihilo nihil fit, neque secundum; quia ea tantū possunt fieri ex materia, ad quæ materia est in potentia; materia autem non est in potentia ad materiam, sed ad formam; ad actum enim potentia est in potentia, non ad potentiam.

Ergo.

Secunda ratio, vel omnes partes materiæ sunt generabiles & corruptibiles, & sic tota materia generari poterit, & corrumpi; cum autem ex nihilo nihil fiat nisi per creationem, si generanda erit materia ex quo generabitur? vel aliquæ sunt generabiles & corruptibiles, aliæ ingenerabiles, & tunc non omnes partes materię erūt eiusdem rationis, sed inter se genere differrent cum ex 10. metaph. Tex. 26. corruptibile & incorruptibile differant genere: Non igitur materia secundum aliquas partes potest esse generabilis, & corruptibilis.

Tertia ratio, si aliquæ partes materiæ fiunt de nouo, vel fiunt ex alijs partibus materiæ, vel non: si dicatur primum, ex illis fieri debent, vt ex subiecto: at quod fit ex aliquo tanquam subiecto in eo recipitur, ac proinde partes, quæ de nouo fiunt, se penetrabunt cum prioribus, quod natura non patitur, neque sequetur intentum in rarefactione maius fieri subiectum per nouas partes materiæ de nouo acquisitas; Quia quæ se penetrant quatenus se penetrant molem non faciunt.

Si dicatur secundum partes illas non fieri ex alijs partibus, ex quo nam fient? nam si ex subiecto non fiunt, erunt ex nihilo, atque ita non generabuntur, sed creabuntur.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut in omni mutatione & motu, tandem deueniri debet ad aliquid immobile, & immutabile, ne secus in rebus sequatur cōfusio, & processus in infinitum, sic in generationibus, & corruptionibus naturalibus deueniri debet ad aliquod intrinsecum principium ingenerabile, & incorruptibile, ex quo fiant quęcūque fiunt: secus enim cur ex vno fieret aliud? cur ex quolibet non fieret quodlibet? & quę maior esset ratio cur ex magnis fierent magna ex magno ligno, magnus ignis & non æque magnus fieret ex quolibet ligno? Et cur vnum fieret ex alio, & non magis sine subiecto agens faceret sibi simile? Quid enim valeat corruptio vnius ad alterum si ex aliquo eius non fit, quod generatur? dari ergo debet principium aliquod in generationibus intrinsecum, quod sit in genito cum prius esset in corrupto, ac proinde quod sit ingenerabile, & incorruptibile; Nam si ingenerabile non esset ex alio deberet generari, & sic in infinitum, quod euitet necesse est si natura ordinata est. Hoc autem principiū ingenerabile non potest esse forma, quia debet remanere in omni generatione, & corruptione, forma autem in generatione fit, in corruptione corrumpitur: Neque potest esse priuatio, quæ adest per absentiā formæ, per præsentiam desinit esse: Erit ergo materia. Considerandum igitur est, quod si materia vt quæ est subiectum omnium generationum, & corruptionum de sua natura debet esse ingenerabilis & incorruptibilis, id habebit secundum se totā, & secundum omnes partes, si tamen partes habere dicendā sit, quia eiusdem rationis est tota, vt proinde impossibile sit materiam secundum aliquas suas esse generabilem, & corruptibilem. Verum quidem est, quod materia cum adeo imperfecta sit, vt pene non sit, & per formam trahatur ad esse, quod per generationem fit, ratione illius aliquo modo generari posse videtur; tamen quia illud ipsum non fieret secundū ordinem naturæ, nisi materia aliquid esset, quod præfuerit in corrupto.

Idcirco.

Dicendum materiam secundum se totā,

& secundum omnes suas partes esse ingenerabilem, & incorruptibilem, patet ex dictis & rationibus secundæ sententiæ.

Confirmatur quia si aliquid materiæ generari debet à quo nam illud effectiue generabitur? non à materia, quæ non est actiua. Non à forma, primo quia formæ diuersæ eundem haberent effectum.

Secundo quia forma non continet in se materiam, nihil autem agit, nisi quod est tale actu formali, vel eminentiali. A nullo ergo generari potest. Vlterius quantũ materiæ generari debet? Dices quantum postulat forma generanda. Sit ergo ista forma viuentis. Si ergo in generatione viuentis generatur aliquid materiæ ad exigentiam formæ viuentis, cur ex defectu materiæ accidunt monstra? cur ex eodem defectu aliquando perit partus? non potest igitur generari aliquid materiæ, sed tota est ingenerabilis, & incorruptibilis.

Ad rationem in contrarium.

Respondeo dicendum, quod in rarefactione acquiritur noua quantitas, vt alibi ostendimus, per quam magis extenditur materia, quam antea esset extensa, ex quo est, vt materia, quæ respondebat palmo loci, iam respondere possit duplici palmo; quia extenditur iam ad duplicem palmũ, omnisque pars materiæ magis extensa est.

Obijcies. Sicut dicitur proprie moueri illud, in quo est motus, ita & generari proprie dicetur, in quo est generatio; sed generatio est in materia prima; Ergo de materia prima proprie dicetur generari.

Respondeo dicendũ, quod discrimen est inter mutationes substantiales quales sunt generationes, & inter mutationes accidentales, quod in mutationibus accidentalibus, quia vt subiectum præsupponitur ens actu, illud quoque potest denominari, & sic dicitur moueri lignum, lapis, &c. at in mutationibus substantialibus; Quia præsupponitur tantum ens potentia, quod non habet denominationem, sicut neque censetur proprie habere esse, ideo à talib⁹ mutationibus non denominatur, vnde non dicitur generari materia, neque corrumpi; sed denominatur generari terminus generationis puta ignis, vel aqua; Quia terminus generationis est ens actu; Vnde 5. phys. Tex. 8. dicitur quod illud, quod mouetur, est, quod generatur, non est, antequam scilicet generetur.

Art. 21. Vtrum materia sit causa Generationis, & Corruptionis.

Sententia negatiua, quod non sit, suaderi sic potest.

Primo nihil potest esse principium cõtrariorum; nam contrariorum contraria videntur principia; sed generatio, & corruptio sunt contraria, cum vna sit ad esse, altera ad non esse; Ergo generationis, & corruptionis materia non potest esse causa, siue principium.

Secundo Cœlum est ingenerabile, & incorruptibile; sed cœlum habet materiã; Ergo materia non est principium generationis, & corruptionis.

Tertio materia appetit formam; Ergo nulla causa est, cur postea illam velit abijcere; sed nisi materia abijciat formam, non est causa generationis, & corruptionis,

Ergo.

Quarto quidquid generatur ab extrinseca causa generatur, sicut quidquid corrumpitur ab extrinseco corrumpitur; Ergo materia, quæ est rebus intrinseca, non potest esse causa generationis, & corruptionis.

Pro contraria sententia affirmatiua, quæ videtur communis apud peripateticos sunt hæ rationes.

Prima ab auctoritate philosophi pluribus in locis 7. metaph. Tex. 22. Cuncta, quæ à natura, aut arte fiunt, habent materiam: possibile est enim esse, & non esse eorum vnumquodque, hoc autem sit à materia. Et Tex. 50. substantiarum sensibilis singularium non est definitio, neque demõstratio, eo quod habent materiam, cuius natura talis est, vt esse & non esse contingat, idem habet 9. met. Tex. 17. 22. meta. Tex. 13. 14. met. cap. 3. 1. cœli Tex. 136. 1.

de

de gener. Tex. 1. de longitudine, & breuitate vitæ cap. 1.

Secunda ratio experientia demonstrat res naturales generari, & corrumpi: Ergo debent in se ipsis habere aliquod principium huius passionis; hoc non potest esse forma; Quia ipsa generatur: & si esset generationis, & corruptionis principium, causa esset suæ corruptionis, cum tamen vnaquæque res se conseruet in esse quantũ potest; Ergo causa generationis, & corruptionis erit materia.

Tertia ratio. Materia cum est sub vna forma, adhuc est in potentia ad aliam: Ergo ne talis potentia sit frustra debet posse abijcere primam, & illam suscipere; at hoc est esse principium generationis, & corruptionis.

Ergo.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut omnis actionis proprie dictæ duplex est principium, vnũ actiuum, alterum passiuum; quia actio est actus agentis in aliquo passo: Ita generationis, & corruptionis naturalis duplex debet esse principium, vnum actiuum, quod est extrinsecum genito; Quia nihil generat seipsum, alterum passiuum, quod debet esse intrinsecum; Quia in generatione res ab esse potentia, transeunt ad esse actu; Et in corruptione ab esse actu ad esse potentia; Quamquam hæc reuocari non debeat ad eundem actum propter bonum vniuersi: hoc autem principium intrinsecum in generatione non potest esse forma; Quia forma antequam actu generetur, non est, & quæ est suam non quærit corruptionem; restat ergo quod sit materia; Erit ergo materia & priuatio: in corruptione tamen quia forma ab esse transit ad non esse non valet dicta ratio.

Considerandum igitur est, quod accepta corruptione in radice, & aptitudine, idest pro corruptibilitate, adæquatũ principium non potest esse materia; quia materia non abijcit formam, nisi ipsa forma sinat agens introducere in materia dispositiones sibi contrarias; Vnde corruptibilitatis rei radicale principium intrinsecum est materia, adæquatum materia & forma, quatenus in materia secum compatitur priuationem; Nam forma, quia apta est corrumpi, vel certe dimoueri à subiecto, ideo compositum est corruptibile; Vnde nihil corruptibile est, quod non habeat formam, quæ à subiecto remoueri possit: quod autem remoueri possit neque præcise, neque totaliter nascitur a materia, sed ab vtraque; nam cum materia sit pura potentia, induit consequenter sub forma formæ conditiones; si enim fiat sub actu, qui illam penitus determinet, & expleat illius capacitatem, censetur & ipsa penitus facta actu; Quare adæquata causa corruptibilitatis rerum videtur esse materia, & forma quatenus admittit priuationem substantialem; nam materia nisi sit sub priuatione substantiali, quam complete habet cum recipit dispositiones alicuius formæ generandæ nunquam desinit fungi suo officio erga formam, quam habet, nec forma corrumpitur, nisi amittat in subiecto dispositiones, cum quibus debet conseruari. Itaque adæquata causa corruptionis non erit materia.

Quamquam illud adhuc considerandũ est aliud esse accipere formam in sensu reali, aliud in sensu formali, si accipiamus formam in hoc secundo sensu nullo modo dici debet causa intrinseca corruptionis rerum.

Ratio est; quia actus vt actus non est potentia, siue potentialitas, cum tamen corruptibilitas, quæ est radix corruptionis rerum, in suo conceptu dicat potentialitatem ad non esse, siue potentiam contradictionis vnde in sensu formali semper dici debet solam materiam causam esse corruptionis; sed tunc materia non dicit præcise illud physicum, quod dicimus materiam primam; Quia hæc potentia contradictionis, siue potentialitas non illud præcise includit; secus enim neque per diuinam omnipotentiam posset fieri incorruptibile corpus, in quo illud esset, vnde beatorum corpora nullo pacto dici possunt incorruptibilia: Ex hoc est vt Aristoteles in sensu formali, & metaphysice loquendo omnem causam corruptibilitatis rerum, & corruptionis, assignet materiæ; & cęlo neget materiam, quæ sit potentia contradictionis, dicatque cœlum solum habere materiã vnde quò, siue motus;

Quia

Quia per materiam accipit completam rationem potentiæ contradictionis, quam non putat esse in cœlo, quod vult esse incorruptibile, & solum subire mutationē motus localis; Quæ nonnullis fuit occasio introducendi duplicem materiam, alijs existimandi nihil aliud esse in rebus materiam, quam potentiale, siue rationem potentiæ, quam dicunt idem re esse cum forma; Nos ergo cum Aristotile materiam primam realiter distinctam à forma non negamus, & simul cum illo admittimus acceptam materiam pro conceptu potentialis completo, & potentiæ contradictionis includere aliquid aliud ab illo primo subiecto, quod definitur primo physicorū, & quod putamus dari in rebus corporeis, & facere compositionem cum formis, etiā, quæ illud ita actuant, vt amplius non relinquant in potentia, etiam si semper materia secundum se sit potentia. Illud autē, quod præter subiectum dictum includit conceptus completus potentialis, siue potentiæ contradictionis appellari solet à philosopho nomine priuationis, quæ addit primo illi subiecto quidquid aptum in eo est corrumpi, & quidquid pro dispositione exigit forma generanda, hoc quidē proximius, illud vero remotius; vnde est, vt dicat Aristoteles, materiam & priuationem esse quodammodo duo, & quodammodo vnum; Quia & si priuatio includitur in potentia contradictionis, adhuc tamen proprio quodam cōceptu explicabilis est, in quo in obliquo prædictum ponitur subiectum, sed iam ad quæsitum.

Dicendum adæquatum principium intrinsecum corruptibilitatis rerum esse materiam, & formam quatenus secum in subiecto compatitur priuationem substantialem, quod vno verbo dici solet materia, siue potentia contradictionis, ac proinde, & idem esse causam generationis; Quia corruptio non intenditur per se, sed propter generationem, extrinsecū tamen principium esse agentem, siue generantem introducentem dispositiones formæ generādæ. Patet conclusio ex dictis, & confirmatur. Quia illud est principium corruptibilitatis rei, per quod res habet, vt possit corrumpi; sed hoc illa dicit, vt manifestum est, nisi enim forma sit à materia separabilis ex eo quod inducit sinat in subiectū dispositiones formæ generandæ suis dispositionibus contrarias, materia non potest cessare à complexu illius, neç aliam formam admittere; Ergo ad constituendum adæquatum, & proximum principium corruptibilitatis rei, illa omnia sunt necessaria. Quod autem extrinsecum principiū sit agens, siue generans, certum est, quia si hoc absit res physicæ non corrumpuntur; nihil enim corrumpit se ipsum, aliudque est in se habere ea, quibus redditur corruptibile, aliud sibi moliri corruptionem.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod contrariorum positiuorum in proposito non solet idem esse principium, quod autē sit contrariorum priuatiuorum non repugnat, imo est necessarium, quando priuatio fit propter formam, vt fit corruptio propter generationem.

Ad secundam patet ex dictis non esse generabile & corruptibile, nisi quod habet potentiam, siue materiam contradictionis, quæ non est prima materia quomodocunque, sed includens priuationem iuxta dicta.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod materia non abijcit formam, quia illam fastidiat; sed quia cum naturaliter sit exposita actionibus agentium potest ab illis recipere dispositiones ad alias formas, cum quibus stare non potest forma præcedens, vnde necessario corrumpitur, vel separatur, ac proinde materia est principium nouæ generationis, & corruptionis.

Ad argumentum igitur in forma neganda est prima consequentia; ratio enim cur materia abijciat priorem formā est, quia illam retinere non potest postquā ab agente recepit contrarias dispositiones, contrarias autem dispositiones recipiat necesse est, si non sit impedita, & sit agens producens.

Ad quartam respondeo dicēdum, quod generationis & corruptionis, sicut dictum est duplex est causa, alia intrinseca, alia extrinseca, alia materialis, alia effectiua; Quidquid actu corrumpitur, vel generatur ab extrinseco corrumpitur, & generatur (exceptis ijs, quæ immediate, pendent à suo efficiente) præsupposita tamen intrin-

trinseca rei aptitudine ad corruptionem, & generationem; Quia omnis physica corruptio,& generatio est in subiecto, dictam autem aptitudinem prouenire diximus à materia cum priuatione modo dicto.

Ad rationes secundæ sententiæ quantū possunt esse contra conclusionem.

Ad primum ab auctoritate patet Aristotelem illis locis non loqui de materia prima accepta quomodocunque, sed vt est potentia contradictionis, non esse autem materiam potentiam contradictionis, nisi sub forma ipsi copulata corruptibiliter, & admittente in ea dispositiones sibi cōtrarias, ac proinde habente adiunctam priuationem.

Ad secundam respondeo dicendū, quod nihil sibi est causa; quod corrumpatur loquendo de causa effectiua, & de re simplici (nam secus per vnam partem corrumpi potest alia, ex qua sequatur corruptio totius) verum loquendo de corruptibilitate, & passiua aptitudine aliquid potest esse causa sibi, quod corrumpatur; Quia de sua natura aptum est corrumpi: tales autem sunt formæ materiales sublunarium.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod materia sub vna forma non est in potentia ad aliam, nisi sit cum priuatione, quæ ex parte formę, quam habet dicit nexum cum materia naturaliter corruptibilem, & non excludentem dispositiones contrarias. Nā si forma habita excludat omnes dispositiones contrarias non relinquit materiam in potentia. Dices materia si non est potentia non est materia. Respondeo semper materiam esse potentiam ad formam, quā habet, sed non semper esse in potentia ad aliam formam: nec esse idem esse potentiam, & esse in potentia. Quare antecedens tertiæ rationis accipiendum est cum limitatione de materia sub forma habente adiunctam priuationem alterius formæ.

Dices omnis forma habet adiunctam huiusmodi priuationem; Quia sub ipsa est materia, quæ de se est apta habere quamcumque formam, & est negatio formæ nō habitæ. Respondeo sophisma hoc esse à sensu diuiso ad compositum. Verum est quod materia de se est potentia ad quamcumque formam, sed sub forma in sensu composito iam non est potentia ad quamcumque formam, nisi nexus cum forma habita retineat aliquid de sensu diuiso, & patiatur dispositiones ad aliam formam.

Dices saltem sub tali forma materia erit violenter, cum ad vnam formam coarctetur, cum de se sit capax multarum.

Respondeo non magis esse violenter, quam calceus in pede, vel pileus in capite: neque enim violentum est, vbi passiua capacitas sufficienter expletur, etiamsi successiue aliter possit expleri; secus enim sub quacumque forma semper materia esset violenter, nisi forte cum est tantum in trāsitu, & successiue, ac proinde nihil deberet esse permanens in rebus habentibus materiam.

Art. 22. Vtrum materia habeat aliquam vnitatem.

PRo sententia negatiua, quod nullam vnitatem habeat, sunt hæ rationes.

Prima omnis distinctio est per formam, sed illud est vnum, quod cum sit in se indiuisum, est diuisum & distinctum à quocumque alio; Ergo vnitas erit à forma: non igitur materia præcisa à forma habebit vnitatem.

Secunda ratio. Contraponuntur vnum & multa; sed res eadem materia participātes sunt multæ; Ergo materia non potest habere aliquam vnitatem.

In contrarium pro sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima illud est vnum, quod in se non habet diuisionem, & est diuisum & distinctū à quocumque alio; sed materia secundum se accepta non est in se diuisa, & est diuisa à quocumque alio: Ergo materia de se est vna.

Secunda ratio, vnum vt ostenditur in metaphysica est passio entis; sed materia est ens; Ergo materia est vna.

Pro solutione.

Notandum, quod cum vnitas sit multiplex, vt supra tactum est, multiplex hic quoque potest esse difficultas, & prima potest esse de vnitate specifica materiæ, secunda de vnitate numerica; nam de vnitate

trascen-

trascendentali, quæ sequitur ens, difficultas non est alia, quam quæ de materia supra tacta est; si enim de se materia aliquam entitatem habet actualem, & aliquam vnitatem habebit trascendentalem, quæ sequitur entitatem, & ens; vt proinde si de se materia ens est, & vna quoque sit vnitate, quæ sequitur ens, & qua materia in se indiuisa ab omni alio ente diuisa, distinctaque est, quod materia non est. Restat ergo difficultas de vnitate specifica, & numerica.

Quoad primam ergo considerandum est, quod si materia in tota sua latitudine aliquam admittit specificam distinctionē, hæc debet esse in ordine ad formam; nam cum ipsa potentia sit non potest esse potentia distincta, nisi in ordine ad actum distinctum; nec tamen quæcumque actus diuersitas sufficiens esse potest ad distinctam speciem, secus enim tot deberent esse distinctæ species materiæ, quot sunt species actuum & formarum; Ex quo sequeretur non esse vnam materiam, & vnum primū subiectum omnium transmutationum, ac proinde nec esse generationes perennes, nec res naturales, inuicem transmutabiles; Quoniam hæc mutua transmutatio nō est sine vno primo subiecto, in quo formæ conueniant, à quo dum noua actione remouentur veteres, & generantur nouæ, procedit generatio, & noua subinde fiunt composita; Vt proinde pro omnibus rebus corruptibilibus necesse sit assignare vnam specie materiam, quæ multiplex quodammodo fiat per multiplicem determinationem, & dispositionem ad diuersos actus, ac proinde solum vt determinata, quæ solet dici materia secunda, assumere possit peculiarem aliquam formalitatem ad peculiares actus, & sub ista restrictione censeri multiplicium specierum non vnius, cū de se omnes actus corruptibiles æque, & indifferenter respiciat, vt subiectum primum, ac proinde de se vnius tantum speciei sit & naturæ.

Difficultas ergo est de materia in rebus æternis & incorruptibilibus, & posito quod huiusmodi res dentur constantes materia.

Considerandum est, quod incorruptibilitas corporis non potest prouenire à materia; ratio est primo; Quia ab eo prouenire debet in corpore incorruptibilitas, à quo tollitur à tali corpore corruptio, & excluditur omnis actio agentis corrumpētis; sed hæc proueniunt à forma, & à formæ dispositionibus; nam sicut non posse illuminari opacum non est à materia, sed à formis, ita non posse calefieri, exsiccari, frigefieri &c. à formis est, non à materia.

Secundo quantumcumque sint materiæ inter se distinctæ specie, tamen semper erunt potentiæ; Ergo erunt capaces plurium actuum, ac proinde corpora in quibus ponentur erunt corruptibilia. Si dicas non esse capaces plurium actuum specie distinctorum, iam tot erunt species materiæ, quot erunt corpora incorruptibilia, ac proinde tot specie materies, quot corpora cælestia, & adhuc vim habet ratio; quia cùm possibilis sit ex parte materiæ alia forma eiusdem speciei cum ea, quæ est in vno corpore incorruptibili (non enim illa videtur ratio, qua id possit negari) adhuc illa materia patietur illa, quæ inferūt contra ponentes vnam specie materiam in omnibus corporibus; Nam illa materia appetet aliam formam, & erit illius capax, quæ capacitas ne sit frustra, dari debebit agens naturale potens illam producere, & alia huiusmodi, quæ inferre solent contra vnitatem materiæ paralogizantes. Itaque in proposito reuocari in memoriā debet, quod supra dictum est, aliud esse accipere materiam secundum se, & antecedenter ad omnem formam, aliud accipere illam vt habet requisita adhoc vt sit iuxta ordinem naturæ, & vniuersi potentia contradictionis; Si primo modo accipiatur vna est specie materia tam in corporibus corruptibilibus, quam incorruptibilibus; Quia vt sic non magis respicit vnum actū, quam alium, & est illud prope nihil, sicut dicebat Augustinus, quod excludit omnē actum, & dicit meram potentialitatem: si accipiatur secundo modo, duplex materiæ species statui debet, vt statuit Aristoteles 8. metaphy. Tex. 4. cum dicit. Non est necesse si quid materiam habet localem etiā materiam habere generabilem & corruptibilem. Quia vere in ista consideratione materia duplicem dicit conceptum potentialis; ac proinde duplex est metaphysica ratio materiæ. Nam ratio materiæ cum sit potentialitas, quoties hæc per actum ita deter-

determinatur, vt naturaliter disponi non possit ad alium actum, perinde est ac si in illo corpore non esse materia; non quoad primarium officium componendi sed quo ad secũdum promouendi ad alium actum. Ex quo est, vt Aristoteles 8. metaphis. Tex. 14. dicat, Neque omnium materia est, sed quorumcumq; generatio, & transmutatio inuicem sunt; quæcunque vero absque eo, quod transmutentur sunt, aut non, horum materia non est.

At si potentialitas solum sit ad motum localem appellatur à philosopho materia localis, siue vndè quò, vt 12. metaph. Tex. 16 si vero sit ad generationem, dicitur materia generabilis & corruptibilis, siue potentia contradictionis, vt supra, et 9. met. Tex. 17. Quare & vna erit materia specie secundum se, et duplex erit specie accepta in officio, quod fungitur in rebus; nam in corporibus cęlestibus erit solum potentialitas ad ubi, & materia vnde quò. In corporibus sublunaribus erit potentia contradictionis, & materia generabilis, & corruptibilis, Et hæc de vnitate specifica.

Restat nunc difficultas de vnitate numerica. Quæ etiam dupliciter venire potest in controuersiam, primum quidẽ si materia accipiatur secundum se, & antecedẽter ad omnes formas.

Secũdo verò si accipiatur vt de facto est in corporibus sub varijs, & diuersis formis. Et de hoc secundo difficultas non est, quod vna nõ sit: Neq; enim materia quæ nũc est sub forma æris vna numero est cum materia, quæ est sub forma terræ; quia illa quæ est sub forma terræ, quatenus est sub forma terræ, diuisa est à materia, quæ est sub forma æris, ac proinde non vna sed duæ materiæ hæc & illa: sicut duæ quantitates, duę lineę, quæ in duobus sunt corporibus.

Quo ad primũ verò materia pręcisis formis vna numero videtur; Quia in ea omnis diuisio est per aliquam formã, vt proinde pręcisa omni forma in se indiuisa sit, et cõ sequenter vna numero: nam et in eo statu nisi vt vna non accipitur.

Cõtrouersia quidẽ esse potest verũ in eo statu plures sint partes eius, ad quod videtur dicẽdũ materiã actu partes nõ habere, sed potestate Quatenus tale quid est, quod totũ secũdũ se, potest naturaliter esse non totum sub diuersis formis, & secũdũ quid sui sub hac, secundum quid sub illa: neque enim tota materia est, neque naturaliter potest esse sub forma grani sinapis; neque materia, quæ sub tali forma est, naturaliter potest esse sub tota forma terræ, vt proinde in materia potestate partes sint, et quædam latitudo Entitatis, quæ fundaę partes in ordine ad formas.

Sed iam ad quæsitum.

Dicendum materiam secundum se acceptam, et pręcisis formis esse vnam, et specie, & numero, vt vero est sub diuersis formis diuersas conceptus, siue species metaphysicas cõstituere posse incorporibus corruptibilibus, & incorruptibilibus. Patent omnes partes conclusionis ex dictis.

Et confirmatur prima pars. Quia cum materia de se, et pręcisis formis postquam à Deo creata est, sit extra nihil, et vere aliquid sit, licet imperfectum, hoc autem quod est materia antecedenter ad omnes formas nullam dicat in se diuisionem, et tamen dicat distinctionem ab omni alio, quod materia non est, consequenter vna est et numero; Quia ab intellectu accipi potest vt hæc; & specie; Quia et si in se adeo imperfecta proprie species non est, tamen concipitur vt potentia ad omnes formas informantes, nec habet aliquid per quod magis respiciat hanc speciem actuũ, quam illam. Vt autem (quæ est secunda pars conclusionis) ita determinata est, vt illud, in quo est, non sit, in potentia, nisi ad motum localem, vel aliquam mutationem perfectiuam, qualis est illuminatio, habet diuersam rationem potentialis ab illa, quam habet vt est in rebus corruptibilibus, quæ sunt in potentia ad corruptionem, vt consequenter ad nouam generationem, ac proinde in rebus corruptibilibus differt specie, siue conceptu specifico dicto non simpliciter a se ipsa, vt est in rebus incorruptibilibus.

Neque hoc est inconueniens; Quia si eadem res potest esse actio, et passio, et consequenter a se ipsa specie differre secundũ diuersas rationes, multo magis hoc poterit habere materia, quæ cum hoc habet, sola non est, sed includit aliquid, quod ipsa non est, cum quo tamen tale potentia-

iectum primum omnis generationis, & corruptionis, siue magis ex quo vt potentia inexistente fit aliquid; quod nulli alij rei conuenit; vnde quando ipsa ita concipitur proprio conceptu concipitur, qui non est alterius rei.

Secundus sensus est materia non potest concipi, quin concipiatur cum ordine ad aliud, nimirum ad formam, & tunc sensus quidem hic verus est; sed falsa consequentia. De quo tamen sensu est dubium, & diuersæ auctorum sententiæ; nam aliqui volunt materiam intelligi posse sine vllo ordine ad formam: Alij vero negant.

Pro cuius decisione triplex fingi potest esse conceptus materiæ.

Primus absolutus, quo materia concipiatur sub conceptu substantiæ, vel entis, & hic non est proprius conceptus materiæ, cum magis conueniat formæ & composito. Secundus negatiuus, qui respondeat definitioni traditæ de materia per negationem, vt cum definitur materia nō est quid, non est quantum; non est quale &c. Et hic neque est proprius conceptus materiæ, cum per eum potius concipiatur quid non sit materia, quam quid sit.

Tertius relatiuus relatione transcendentali, quo materia concipitur potentia ad sibi proportionatum actum, & hic est proprius materiæ cōceptus, qui, vt apparet, in ordine ad formam est.

Neque contra hoc est Aristoteles, qui loco citato physicorum magis quod dictum est insinuat, concipiendam scilicet esse materiam in ordine ad formam.

Quod autem dictum est cognoscibilitatem esse passionem actus distinguendum est de cognoscibilitate, & concedendum de distincta, & clara; nam secus cognoscibilitas magis est passio entis, vt proinde quod ente participat, participet quoque cognoscibilitate.

Ad secundam respondeo dicendū, quod satis est si materia habeat in mente diuina ideam secundario ratione scilicet entis cōpleti, cuius ipsa est pars subiectiua; quamquam negandum non est Deum vere, & quidditatiue cognoscere quid sit materia etiam ab ipsa præcisa forma; ac proinde in aliquo vero sensu concedi potest materiam habere suam ideam in mente diuina.

Quoad secundum principale quæsitum, vtrum materia habeat aliquam bonitatē. Non habere putarūt phy. gagoræi ex Simplicio, & cum illis nonnulli alij, sed sine sufficienti fundamento. Quare magis.

Dicendum materiam habere suam bonitatem. Quod patet; Quia materia de se est ens aliquod, siue aliquid entis, & facta est à Deo: Vidit autem Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.

Quidam tamen dicunt materiam esse bonam potentia: Quia est ens potentia; sed melius dicitur cum D. Thoma lib. 3 contra Gent. cap. 20 materiam etiam si sit ens potentia, tamen esse bonam actu; Quia materia ens potentia dicitur, non quod non sit vere ens; ac proinde verè bona; sed quia non est ens completum, quod proprie dicitur actu ens. Secundo quia actu dicit ordinem ad formam, ad quam etiam dicit rationem conuenientiæ; formæ enim sua conueniens est materia, vt proinde subista ratione vere materia bona sit, & consequēter bona actu dici debeat.

Obijcies lib. 7. met. Tex. 35. dicitur. Materia vero per se ipsam incognita; Ergo materia per se ipsam, neque habet veritatem, neque ideam vllam: patet consequentia; Quia idem est per se cognosci, & per se habere veritatem, & ideam; Quia per suam veritatem, & ideam vnaquæque res cognoscitur.

Respondeo dicendum, quod ibi Aristoteles accipit materiam pro materiali materialiter sumpto, vt scilicet contradistinguitur à ratione intelligibili, & idē est, quod dicit Aristoteles, ac si quis dicat, color per se inuisibilis, per lumen visibilis est; Quia scilicet lumen est ratio, qua videtur color: Ita ergo in proposito; Quia nihil materiale cognoscitur, nisi per suam rationem intentionalem, ideo materia, & omne materiale acceptum materialiter per se ipsum incognitum est, sed idem acceptum intentionaliter, siue in sua ratione intentionali cognitum est. Et quod Aristoteles ibi de materia hoc pacto loquatur probari potest ex eo, quod ibi statim distinguit materiam in sensibilem, & intelligibilem, in physicam & matematicam, & æs ac lignū dicit esse materiam. Ex quo apparet non esse acceptam materiam ab Aristotele, vt est illud, quod contradistinguitur à forma physica informante.

Art. 24. Vtrum materia definiri possit, et bene ab Aristotele definita sit.

PArs negatiua probari sic potest.

Primo definitio est ratio quod quid erat, idest quidditatis explicatio est; sed materia non est. Quod quid erat; Quia per philosophũ quod quid erat est forma: Ergo de materia haberi non potest definitio.

Secundo. Quod materia bene definita non sit. Si materia est bene definita, vel est bene definita primo de Gener. Tex 24. vbi dicitur materia est subiectũ generationis, et corruptionis susceptibile: Et hoc non; Quia si materia susciperet corruptionem corrumperetur Quod esse nõ potest; Quia materia est incorruptibilis. Vel bene definita est, Secunda phy. Tex. 28. materia est, ex qua aliquid fit cum in sit, & hoc nõ, quia hæc definitio cõuenit materiæ artificiatorũ, quæ est ens actu, quale est lignũ, æs, marmor &c. Vel bene definita est 12. metaphy. Tex. 14. materia est quod quid eo ipso, quod apparet, et hoc non; Quia quod quid est cõpositũ substãtiale, et ratio quod quid erat est forma, vel 4 bene definita est materia 6. met. Tex. 3 materiam dico, quæ cum nõ quid actu sit, quod quid est potentia; Et hoc nõ; Quia materia potẽtia est etiã qualẽ, quãtũ &c. quod nõ est expressũ in definitione. Vel 5 bene definita est materia 7. metaphy. Tex. 8. materiã dico, quæ, per se ipsã neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur; est enim quid, de quo singula horum prædicantur. Et hoc non; Quia nihil positiuum definiri potest per negatiuum, et falsum est, quod de materia illã prædicentur. Vel demum bene definita est materia primo physi. Tex. 82. Dico materiam primum subiectum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid cum in sit, non secundum accidens, et si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum. Et hoc non; Quia vltimum in quod generabilia, et corruptibilia corrumpuntur sunt, quatuor elementa quæ non sunt materia.

In contrarium pro parte affirmatiua est Aristoteles, et peripatetici communiter, qui secũdum diuersas considerationes definitiones illas de materia admittunt.

Secundo illa est bona definitio, quæ adæquate exprimit naturã definiti; et definitũ distinguit ab omni alio; sed tales sunt multæ ex definitionibus assignatis; Ergo per illas bene materia definita est.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut duplex est modus explicandi, perfectissima affirmatio scilicet, & negatio; Vnde ex S. Diony. cap. 1. de Diuinis Nom. et de mystica theol. cap. 2. et 3. duobus modis Deum possumus notũ facere; primo affirmando de eo omnia, quæ dicunt perfectionem sine vlla imperfectione, quomodo dicimus Deum esse summam sapientiam, bonitatem &c.

Secundo negando de eo quæcunque aliquam imperfectionẽ dicunt ita vice versa vt annotauit. S. Bonau. imperfectissima, qualis est materia duobus modis a nobis explicantur, et negatiue, et affirmatiue: negatiue explicata est materia ab Aristotile loco citato 7. metaphysicæ, et à Platone in Timæo remouendo ab ea actus omnium prædicamentorum, & à S. Aug. 12. Confess. dum dixit materia non color est, non figura, non corpus est, non spiritus, non tamen omnino nihil. affirmatiue definita est materia in pluribus ex illis definitionibus, quæ in secunda ratione primæ sententiæ refutabantur. Et quidem bene descripta est materia cum dicta est subiectum generationis, & corruptionis susceptibile. Hæc enim est natura materiæ, vt tanquam pura potentia recipiat generationem, dũ fiunt formæ, & corruptionem, dum corrũpuntur; nam sicut aliarum mutationum proprium subiectum est compositum, siue materia, vt tamen est sub forma; ita proprium subiectum generationis, & corruptionis est ipsa materia prima. nec contra dictam descriptionem faciunt obiecta; Quia, quod est susceptibile corruptionis, non idcirco corrũpitur; corrũpi enim dicitur, quod per corruptionẽ amittit esse; materia autẽ suũ esse non amittit, Quia nõ est materiæ corruptio, nisi ratione formæ, quę per corruptionem transit ad non esse.

Secunda illa definitio, nisi in illa illud aliquid restringatur ad ens per se, nõ erit

propria materiæ primæ, quæ est essentialis pars physica compositi physici; tamē quia, vt ex dictis manifestum est, non vno modo accipitur materia, bona erit definitio pro materia non accepta in illa restrictione, sed latius, vt comprehendit materiā secundā. De 3. inter peripateticos interpretes nō leuius disceptatio est, aliqui sic explicant. materia est quodquid, & hoc aliquid coniuncta formæ, apparet autem cum forma coniuncta, & per illam cognoscitur. Alij exponunt, materia est substantia, ratione cui⁹ forma apparet; Quoniā forma, vt forma non apparet, cum dentur formæ abstractæ, & separatæ à sensibilibus, quæ non apparent; vnde quæ apparent, quia sunt in materia, apparere dicentur. Alij sic intelligunt. Materia quantum ad id, quod apparet videtur substantia, & hoc aliquid, ex quo est, vt primi philosophi naturales solā materiā putauerint esse substantiam. Alij aiunt. materia est hoc aliquid in apparere: idest cognoscitur quid materia sit per id, quod videtur; idest materia naturalis est cognoscibilis per analogiam ad materiā artificialem. Quarta descriptione melius explicatur natura materiæ primæ, quæ in eo consistit, vt sit potentia subiectiua in genere substantiæ. Hæc valet, quod obiectū est: materiā esse etiā potentia quantū, quale &c. Quia hoc nō habet primario, sed secundario, in quo participant alia; primario enim est potentia Quodquid, idest substantia cōpleta. De quinta descriptione nihil est, quod addamus; patet enim ex dictis bene per negationē descriptā esse materiā propter suam imperfectionem: Quæ tamen descriptio habet aliquid positiuū, quod iunctū negatiuis patefacit naturam materiæ. Melius explicata est in vltima definitione materia, quæ idcirco censetur omniū absolutissima. nam materia prima dicitur primū subiectū; Quia tota eius natura in hoc consistit, vt tāquā pars subiectiua iungatur cū forma substantiali, & cū ea vnū constituat; illa quidē vt actus informans, hæc vero vt potentia subiectiua: dicitur primū ad distinctionem materiæ secundæ. dicitur, ex quo fit aliquid cum insit, ad excludendas alias acceptiones materiæ, & maxime illud potētiale metaphysicū, quod aliqui, vt supra vidimus, putāt solū esse materiā, quod cum sit identificatum cū forma præcedēte, nō potest dici inesse in genito; dictū etiā est, vt alij volunt, illud, propter priuationem, ex qua tanquā ex termino à quo res generantur, nec tamen remanet in re facta, sicut materia. Dicitur, per se, & non secundū accidens ad excludenda alia, quæ causant subiectiue, & ad excludendā materiā secundā, ex quibus fit tātū aliquid secundū accidens, & ad ostendendū materiā primā cū forma substantiali sibi correspondente facere vnum per se, ac proinde spectare ad essentiā cōpositi. Dicitur, & si corrūpitur aliquid in hoc abibit vltimū, ad manifestandā magis naturam materiæ, & ostendendū solā materiā primā in physicis cōpositis esse ingenerabilē, & incorruptibilem. Quod autē vltimo obijciebatur, quod res in elementa vltimato abirent, non valet; nam licet actu res vlterius non corrumpantur; sic vt in eo maneant; Quia dari non potest in natura materia spoliata omni forma; tamen bene philosophus per sensum illum conditionalem ostendit nobis, elementa non esse primū principiū subiectiuū, & materialē rerū generabiliū, & corruptibiliū; sed hoc esse materiā primā, in quā vltimo desinere deberent res generabiles & corruptibiles, si corruptio vnius non esset generatio alterius.

Quibus sic explicatis

Dicendum materiam definiri posse, imo & bene à philosopho definitā esse, & materiam quidem primam bene definitam esse, maxime vltima illa definitione. Patet ex dictis, & confirmatur; quia materia cū sit primū principiū cōpositiuū rerū physicarū, & ordinata sit ad facienda cum forma composita naturalia, bene per hoc definita est definitione physica, qua res vel per suas causas intrinsecas, & partes siue compartes definitur; vel per suum finem, ad quem à natura est ordinata,

Ad rationes in contrarium partis negatiuæ patet ex dictis; & prima quidem solū vim habet loquendo de definitione entis completi: Materia autem est ens incompletū, quæ tamen aliquando ab Aristotele dicitur quodquid, vt ex dictis manifestū est.

Ad secundā autē respondeo dicendum, quod varijs illis definitionibus bene definita est materia iuxta varias suas acceptiones; Et materia quidem prima, quæ est

est pars compositi naturalis definita bene est vltima definitione, & quarta; Eademq; bene definita est in ordine ad generationē, & corruptionem definitione prima; Nam secunda definitio est de materia, vt dicitur latissime scilicet, & in ente physico, & in ente artificiali, & iuxta hanc acceptionem partes, vt etiam aliquando dixit Aristoteles, sunt materia totius; æs & lignum sunt materia circuli, aqua est materia calidi, & sic de cœteris. Eadem materia latissime accepta in ente naturali definita est.

Quinta definitione, in qua acceptione comprehensa est materia non solum prima, sed secunda, nec solum generabilis, & corruptibilis, sed localis, & vnde quò; immo & in ea acceptione accommodari potest indiuiduis, quæ dicuntur materia respectu rationis specificæ, vt nō semel apud Aristotelem. Et hactenus quidem de materia, de qua aliqua adhuc dicentur cum de causa materiali, & formali.

Quæstio tertia, de priuatione.

PRiuatio etiam si omnium principiorū rerum naturalium in fieri vltimum locum obtineat, cum sit omnium principiorum imperfectissima, minusque concurrat ad res naturales ponendas in esse, quā tætera; tamen secundo loco est tractanda; quia quodammodo identificatur cum materia, & in generatione obtinet locum termini à quo, vt proinde præcedere debeat formam, quæ habet rationem termini ad quem; de illa ergo supposito an sit, quid, & quotuplex sit, & propter quid sit, & an principiet in rebus naturalibus inuestigabimus.

Articulus primus, vtrum priuatio sit ens reale positiuum.

SEntentia affirmatiua, quod sit aliquod ens reale positiuum ab aliquibus tribuitur. Them. tex. 61. 1. phy. & Simp. tex. 81.

Contraria tamen sententia, quæ negat priuationem esse ens reale positiuum, est communis, nec ab ea alieni fuisse putandi sunt. Simp. & Them.

Tamen pro affirmatiua non desunt rationes.

Prima esse potest ex Arist. apud quem primo. Physicorum priuatio appellatur malefica; sed quod non est ens non potest esse maleficum; ergo priuatio est ens positiuum; eodem lib. t. 66. priuatio est accidens materiæ; sed accidens est quid positiuum; ergo priuatio est quid positiuum. Secundo de anima t. 138. priuationes percipiuntur sensu, vt à visu tenebræ; sed quod non est, non potest à sensu percipi; quia nihil percipitur à sensu, nisi quod immutat sensum, & imprimit suam speciem in sensu, quod non potest facere non ens; ergo priuatio est ens positiuum.

Secunda ratio, nihil non determinat sibi subiectū; nam antequam esset subiectū, & mundus, erat nihil; sed priuatio determinat sibi subiectum; ergo non est nihil; erit ergo aliquid, ac proinde ens positiuum.

Tertia ratio, ex. 10. met. t. 15. omnia opposita reducuntur ad habitum, & priuationem; sed relatiua, & contraria sunt opposita; ergo reducuntur ad habitum, & priuationem; sed si priuatio esset non ens, relatiua, & contraria, quæ sunt ens, reducerentur ad non ens, quod implicat; ergo priuatio non est non ens; sed ens positiuum.

Quarta ratio, priuatio aliquando est terminus ad quem mutationis; sed terminus ad quem non potest esse nihil; ergo erit aliquid, ac proinde priuatio erit aliquid, & ens; quia ens, & aliquid conuertuntur.

Quinta ratio; implicat, nihil, & non ens esse principium rerum naturalium, & entium; sed priuatio, vt infra constabit, est principium rerum naturalium & entium; ergo debet esse ens, & aliquid positiuum.

Pro contraria sententia negatiua vera rationes plures militant.

Prima ab auctoritate philosophi primo Phy. t. 75 79 80. vbi expresse ait priuationem esse non ens; & tex. 68. solam formam facere præsentiam, & absentiā in subiecto sine vlla alia entitate; ergo priuatio, quæ est absentia formæ non habet entitatem.

Secun-

Secunda ratio, si priuatio esset quid reale positiuum, sequeretur dari priuationem priuationis in infinitum; nam absente priuatione à subiecto, subiectum esset illa priuatum, & sic daretur priuatio priuationis in infinitum.

Tertia ratio, si priuatio esset aliquid positiuum, priuatio esset aliquid bonum; at est quid malum, vnde à philosopho appellatur malum, & malefica; ergo non est aliquid positiuum.

Quarta ratio, omne ens positiuum factũ fuit à Deo, vel à causa naturali, & terminat aliquam actionem; sed priuatio non est facta à Deo, & nullius actionis est terminus; ergo non est ens positiuum.

Quinta ratio, priuatio & forma sunt contraria; sed non sunt contraria positiua; ergo priuatiua; ergo priuatio contraponitur ad ens positiuum; non igitur potest esse ens reale positiuum.

Pro solutione.

Notandum, quod priuatio, & priuatum dicitur multis modis; nam aliquando priuatio dicitur de illo positiuo, quod in aliquo genere non est æquè perfectum, vt illud, quod ipsi contraponitur in eodem genere, & hac ratione frigus dicitur priuatio in ordine ad calorem, primo de generatione t. 18. secundo priuatio dicitur carentia alicuius, quod aptum est haberi ab alio, licet non sit aptum haberi ab eo, quod dicitur priuatum, & sic ex 5. met. t. 26. planta dicitur priuata oculis. Tertio ex eodem loco priuatio dicitur secundum genus, quando aliquid priuatum dicitur eo, quod habere non est aptum, habetur tamen communiter à genere, in quo illud est, & hoc modo, Talpa dicitur cæca, quia visus conuenit animalibus. Quarto dicitur priuatio secundum speciem, sed secundum diuersam partem, & tempus; quo pacto homo secundum manum dici potest priuatus oculis, quia caret oculis in manu, in qua tamẽ parte non est aptus habere oculos, & Catuli dicuntur cæci statim à natiuitate, cum tamen non sint apti videre, nisi post aliquot dies; Quinto aliquid dicitur priuatum quando & secundum genus, & speciem, & secundum tempus, & partem debitam habet aliquid, quod aptum est habere, non tamen perfectè habet; sic aer parũ illuminatus dicitur tenebrosus; Vltimo priuatum illud dicitur, quod penitus caret forma secundum illam partem, & tempus, quo illam habere natum est, ex quo est illa distinctio apud D.Thom. 1.2. quæ. 73 art. 2. in priuationem simplicem, & nõ simplicem; priuatio simplex est illa, quæ consistit quasi in corruptum esse, vt mors, quæ ita est priuatio vitæ, vt nihil retineat de vita, & talis priuatio non suscipit magis, & minus; cum nihil retineat de habitu opposito; altera priuatio non simplex est, quæ aliquid retinet de habitu opposito, & consistit in corrumpi, vt ægritudo, quæ priuat debita commensuratione humorum; tamen aliquid de illa relinquit; cum enim debita humorum proportio est penitus labefactata, non est amplius ægritudo, sed iam est mors. priuatio ergo propriè accipitur, quando accipitur pro negatione, & carentia formæ maximè totaliter acceptæ in subiecto apto, & de hac quæritur, sitne ens reale positiuum, an vero aliquid negatiuum; & primo certum est priuationem partim conuenire cum negatione, partim ab ea differre; conuenit quod sicut negatio tollit aliquid, ita & priuatio; differt autẽ, quod negatio ita tollit aliquid, vt tamen nihil ponat, neque supponat, priuatio aliquid supponit in subiecto, ipsum scilicet subiectum, & aptitudinem ad formam habendam, qua est priuatum; vnde non est idem omnino priuatio, & negatio; dubiũ tamen est: vtrum inter se differant formaliter, & essentialiter; an solum, materialiter, & accidentaliter; volunt aliqui solum differre materialiter, quia scilicet solum differunt ratione subiecti, quod concernit priuatio, non ratione sui; melius tamen videtur esse differre essentialiter; quoniam essentia, & conceptus priuationis videtur intrinsece includere aptitudinem, siue cõnotationem, & ordinem ad subiectum aptum.

Atque his suppositis certum deinde est, esse priuationis secundum id, quod formaliter dicit non esse ens reale positiuum; quia implicat non esse entis positiui, esse ens reale positiuum; si vero accipiatur formaliter pro adequata ratione priuationis, secundum quam diximus priuationem formaliter differre à negatione, aliquo modo

erit

quãtis contrarietur alteri parti, quatenus est cõiuncta cũ negatione alterius, quæ cum fit circa idem subiectum facit quandã quasi oppositionem priuatiuam.

Ad quartam respondeo dicendum, quod non implicat terminum mutationis esse nihil; ratio est, quia datur mutatio deperditiua, quando scilicet subiectum amittit aliquam formam, nec vllam aliam acquirit cuius mutationis necesse est terminum, esse priuatiuum, et nihil; quia subiectum transit à possessione alicuius ad illius amissionẽ, vt accidit cum extinguitur lumen in aere.

Ad quintam patebit ex dicendis infra cũ ostenderimus quomodo priuatio sit principium.

Obijcies omnis conceptus est similitudo rei ex primo periher. cap. 1. sed datur cõceptus priuationis; ergo priuatio est res, et consequenter ens; quia res et ens conuertuntur. Confirmatur ex 4. met. t. 2. vbi philosophus cum dixisset ens multipliciter dici et enumerasset, priuationes, corruptiones negationes, dicit hæc dici entia in ordine ad substãtiam, vnde subdit. ipsum non ens esse non ens dicimus: ergo negatio, et non ens, habet aliquam rationem entis.

Respondeo dicendum, quod omnis conceptus est similitudo alicuius rei, vel verę, vel fictę; nam concipimus hircoceruum, vt ibidem dicitur, et alia huiusmodi, quæ non sunt vere res, sed res fictę; eodem ergo modo licet priuatio non sit vera res, sed negatio rei, concipi tamen potest, vt res aliqua, sed non conceptu proprio, sed alieno; vnde est, quod in secunda intellectus operatione dicimus priuationem non esse rem, neque etiam conceptam; sed negationem rei, et quoniam quidquid concipit intellectus concipit per modum entis, hinc est, vt dicat non ens esse non ens concipiendo non ens, quasi esset ens, dicimus etiam priuationes, et corruptiones entia in ordine ad substantiam, quia hęc concipimus per modum accidentium substantiam afficientium.

Ar. 2. vtrum priuatio sit ens rationis.

Sententia, quę affirmat priuationem esse ens rationis tribuitur Sonc 10 m. q. 15. qui citat Aristotelem S. Thomã, comment. altera, quę negat priuationem esse ens rationis, sed vult priuationem esse formaliter in rebus seclusa omni operatione intellectus, est sententia communis S. Tho 1. par te quęst. 48. arti. 2. ibidem. Caiet. Capreo. Ferrariensis Alb. Alensis, et aliorum.

Pro sententia affirmatiua.

Prima ratio. concipimus priuationem; sed omnis conceptus est expressio alicuius rei; ergo priuatio est res aliqua, non realis, ergo rationis.

Secunda ratio. si priuatio non est ens rationis, ergo erit in rebus; ergo existet; at quidquid existit in rebus est ens reale positiuum. ergo assumptum probatur, quia existentia est vltima actualitas entis realis; si ergo seclusa operatione intellectus conuenit priuationi; ergo priuatio verè erit ens reale positiuum.

Tertia ratio. ens in tota sua latitudine diuiditur in ens extra, et in ens in anima; sed priuatio non est ens extra animã; Quia omne ens quod est extra animam vel est à se ipso, et est Deus, vel factum est ab aliquo; at quod factum est, est ens positiuum; quoniam terminauit intrinsecè actionem positiuam; terminus autẽ intrinsecus actionis positiuè non potest esse nisi positiuus, vt patet, et probari potest; quia identificatur cum actione positiua; erit ergo priuatio, cum non sit ens positiuum, ens in anima, siue ens rationis.

Quarta ratio. ens rotionis communi diuisione diuiditur in negationem, priuationem, et relationem; ergo sicut relatio, et negatio sunt entia rationis, ita et priuatio; neque enim vllum esse debet membrum diuidens, quod nõ participet diuisum, et hæc pro parte affirmatiua.

In contrarium pro secunda sententia negatiua.

Prima ratio. Illud est ens rationis, quod

Q san-

tantum habet esse in ratione, sed ante omnem conceptum rationis in eclypsi luna est priuata lumine, per noctu est tenebrosus, quę sunt priuationes; ergo priuatio nō est ens rationis.

Secunda ratio. Aristoteles et Communis sententia peripatetica ponit priuationem principium generationis, vt terminum à quo; sed generatio non est per rationem sed à parte rei; ergo et eius principia debēt esse à parte rei, non per rationem; priuatio ergo quę est vnum ex eius principijs, erit à parte rei, et non ens rationis.

Tertia ratio. oppositio priuatiua est realis, idest à parte rei sicut cętera gratia oppositionum; ergo extrema eius sunt à parte rei ante operationem intellectus; sed alterum extremorum eius est priuatio; ergo priuatio formaliter non est ens rationis, sed est à parte rei. Confirmatur, quia adueniente forma in subiecto sine vlla consideratione intellectus desinit eius priuatio; nō ergo priuatio est ens rationis.

Pro solutione.

Notandum, quod de priuatione loqui possumus dupliciter vel vt concipitur à nobis, vel secundum ea, quæ pręstat à parte rei; vt concipitur à nobis, certum est vere esse ens rationis; quia cum non possit concipi, quin exprimatur; quod autem non habet esse exprimi non possit, exprimitur vt habens esse, exprimere autem vt habens esse, quod non habet esse, est facere ens rationis; at si loquamur de priuatione vt est in re, certum etiam est non posse esse ens rationis; quoniam ens rationis non habet esse in re; et quoniam difficile est cōcipere quomodo priuatio habeat esse in re, considerandum est, quod ex eo, quod subiectum aliquod de sua natura debet habere aliquam formam, si illam non habeat, vere à parte rei erit subiectum cum carentia, et negatione illius formę, ac proinde negatio formę illius dicetur existere in illo subiecto; non existit autē positiuè, quasi aliquid sit, sed negatiue per remotionem formę; nam vere ab oculo cęco cęcitas remouet visum nullo etiam cogitante intellectu; Ex quo est, vt absolute dicat de priuatione, quod sit, in Genesi enim habetur, tenebrę erant super faciem abyssi, et alibi sæpe repetuntur huiusmodi locutiones. D. etiam Thomas prima parte q.48.art.2.cum Arist.[5.met.tex.14.putat dici ens non solū illud positiuum, quod distinguitur in decem prędicamenta, sed illud, quod sufficit ad veritatem propositionis, qua ratione priuatio est ens, et existit, existere, autem priuationis est non esse formę, quod in re nihil aliud est, quam negatio, in intellectu vero nostro solet esse ens rationis, quare.

Dicendum si accipiatur priuatio vt antecedit nostram considerationem, nō est ens rationis sed neque purum nihil, sed est negatio in subiecto apto; patet hęc conclusio ex dictis; et rationibus vtriusque sententię. confirmatur quia priuationes faciunt ad perfectionem, et pulchritudinem vniuersi, vnde est illud Aug. de Gen. ad literā aliud est lux, aliud hę priuationes lucis, quas in contrarijs tenebris ordinauit Deus. faciunt autem ad perfectionē vniuersi; quia sine illis non essent successiuę generationes rerū, faciunt ad pulchritudinem; quia per priuationem melius apparet habitus, pulchrior enim est lux post tenebras, sicut melius micant in picturis propter vmbras, & alia huiusmodi, colores, et partes imaginis.

Ad rationes in contrarium. Ad primam respondeo per illa nihil aliud probari, quā priuationes in mente esse entia rationis. Ad secundum patet ex dictis, nō quidquid existit in rebus esse ens reale positiuum; nā ens reale positiuum est quod propriè, et positiuè existit, non quod impropriè, et negatiuè; priuatio autem existit negatiuè per nō esse formæ; eodem modo ad probationem dicendum existentiam propriam & positiuā esse vltimā actualitatē rei realis, & positiuę; existentiā vero negatiuam esse negationem talis actualitatis, et non esse rei.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod priuatio reducitur ad vtrumque illud membrum entis, reducitur ad ens in anima pro vt concipitur ab intellectu per modum positiui, reducitur ad ens extra animam pro vt est à parte rei. ad probationem dico illa procedere de ente quod est extra animam positiuum, hoc enim proprie fit, et habet cętera quę ibi dicuntur; at ens negatiuum quale est priuatio, non fit per actionem nisi consecutiuè; sed fit vel per cessationem cōseruationis, vel ex eo, quod non est actio producens vbi debet, vel quādo debet &c. Nam considerandum est, quod accidit priuatio aliquando, quia non est producens for-

formam, vt nocte tenebrę sunt, quia non est sol producens lumen; aliquãdo est, quia subiectum non est debitè dispositum ad ac cipiendam formam; aliquando quia producitur in subiecto aliqua forma, cum qua nõ potest stare, alia, vnde licet prius illa esset, desinit tamen iam esse in subiecto non capace oppositorum; ex quibus omnibus patet, priuationem nõ fieri per actionem, sed per desitionem actionis, vel cõseruationis.

Ad quartam respondeo dicendum, quod illa diuisio pcedit de negationibus, & priuationibus in mente; conclusio autem de eo, quod est à parte rei; quare concedenda est maior cum hac limitatione, in quo sensu concedenda quoque est consequutio, ne ganda in alio sensu.

Obijcies si priuatio in mente esset ens rationis, nunquam priuatio intelligeretur, consequens est falsum, et contra rationem et experiẽtiam; ergo priuatio neque etiam in mente est ens rationis; sequela probatur si est ens rationis ergo quod obijcitur, cum intelligimus priuationem, non est priuatio, sed aliquid positiuum fictum à ratione sed de priuatione cognoscimus quod nihil est positiuum, & idem affirmamus per secundam operationẽ; ergo aliquid aliud co gnoscimus de priuatione, quod non est ens rationis; ergo erit ipsa priuatio, ipsa ergo priuatio directè de se cognoscitur, quę cũ de se non sit ens rationis, neque in mente erit ens rationis.

Respondeo dicendum, quod priuatio nunquam intelligitur directè proprio, et adæquato conceptu, sed alieno, et fictitio, et sic tenebras concipimus quasi nigredinem vel caliginem in aere; scimus autem quod priuatio non est quid positiuum, immo quòd non est id, quod concipimus propriè, quia tàm de priuatione, quam de eo, quod concipimus scimus aliqua prędicata communia, quæ non possunt conuenire priuationi; scimus enim quod concipimus priuationem in se esse quid positiuum, cũ priuatio de se sit quid negatiuum.

Dices, vnde scimus esse quid negatiuum si nihil negatiuum concipimus; sed omnia intelligimus per modum positiui, nam si de aliquo quidquam negari debet, ne falso negetur, illud debet cognosci.

Respondeo ex experimento, quo cum aliquid positiuum sensibus et imaginatione sentimus, deprehendimus proportionẽ, quam illud positiuum habet ad subiectum, et ad potentias cognoscitiuas. Vnde habet intellectus fundamentum, vt possit formare conceptũ confusum non entis, siue quod ens aliquod neget de alio; aduertens enim formam non esse in subiecto tenebras non immutare visum affirmat subiectum esse sine forma, & aerem esse sine lumine; ad hoc autem iudicium non est necesse, vt intellectus formet conceptum positiuum de non ente, sed quod dicat vnum ens non esse in alio; cum tamen prę cessisse debuerit aliqua apprehensio non entis per aliquem conceptum confusum, et per modum positiui.

Ar. 3. vtrum priuatio sit principium naturalis generationis distinctũ à materia, & alijs principijs.

NEgatiua sententia videtur fuisse Platonicorum, qui duo tantum principia ponebant. Affirmatiua est communis. Pro sententia negatiua sunt hę rationes.

Prima ex nihilo nihil fit; sed priuatio est nihil: ergo ex priuatione nihil fieri potest; sed principia generationis sunt, ex quibus fit generatio; ergo priuatio non est principium generationis.

Secunda ratio principia ex t. 50. oportet semper manere; sed priuatio in generatione non manet, sed destruitur alioquin in subiecto esset forma cum negatione sui ipsius quod est impossibile, ergo priuatio nõ est principium.

Tertia ratio. si priuatio est principium rerum naturalium in fieri, siue generationis, vel est principium quando est in subiecto vel quando non est; neutrum dici potest; ergo priuatio non est principium, probatur minor, quod non sit principium quã do est; nam exẽpli gratia sit generatio alicuius substantiæ, puta ignis, si priuatio est principium talis generationis, vel est principium toto tempore immediatè prę cedente instans generationis ignis, et hoc non; quia toto illo tempore non est generatio; implicat autem esse principium sine principiato; quoniam principium et principia-

cipiatum sunt relatiua, ac proinde simul natura; vnde implicat esse principia generationis et non esse generationem; Vlterius si toto illo tempore ante instās generationis priuatio principiat, poterit principiare ante annū, quod est inconueniēs; sequela batur; quia si ꝑ per annū in subiecto sit priuatio; nō est rō cur magis prīcipiare debeat vno tēpore, et nō alio, ac proinde nūquā verè principiabit; quod neque sit principium, quando non est, probatur, quia ex propositione de tertio adiacente ex perihermenia valet consequentia ad propositionē de secundo; vnde hęc valere debet, priuatio est principium; ergo priuatio est pręterea, vt dicebatur principium et principiatum videntur esse correlatiua; ergo quando est principiatum, debet esse principium, sed priuatio est principium, generatio principiatum; ergo quando est generatio debet esse priuatio; sed implicat, quod sit priuatio tunc; quia sequeretur esse formam in subiecto cum sui negatione; ergo priuatio non est principium.

Pro contraria sententia affirmatiua sit.

Prima ratio. Non potest intelligi generatio naturalis, sine priuatione; ergo priuatio est illius principium; patet consequētia, quia illud est principium à quo intelligitur, aliquid esse. antecedēs probatur; quia generatio naturalis est mutatio totius in totum nullo sensibili remanente, vt subiecto eodem; vel est transitus subiecti ab aliquo non esse ad esse; ergo de conceptu generationis est, vt aliquid ex aliquo non esse, vt ex termino à quo transeat ad esse, vt puta, subiectum ex non esse ignis transeat ad esse ignem suscipiendo formam ignis.

Secunda ratio. res naturales non fiunt ex nihilo, neque ex quolibet; ergo ex aliquo priuato; probatur consequentia quia si non fiunt ex nihilo, ergo fiunt ex aliquo, non ex aliquo quod sit id, quod fit; ergo ex aliquo quod non sit id, quod fit; sed hoc vt dicebatur non potest esse quodlibet; ergo ex aliquo quod non sit id, quod fit, aptū tamē illud fieri, sed quod non est aliquid, aptum tamen est illud esse, est priuatiuum; ergo omnia naturalia fiūt ex priuatiuo igitur erit principium generationis rerum naturaliū.

Tertia ratio. sicut entis à se et æterni proprium est semper esse, et à nullo esse, ita entis creati, et temporanei proprium est non semper esse, et ab aliquo aliò esse, sed quod est ab efficiente naturali non est ex nihilo; quia omnis actio agentis naturalis est in subiecto; ergo erit ex aliquo subiecto; sed subiectum transiens per actionem agentis naturalis ad esse producti habet terminum à quo sui transitus priuationem formæ, et esse producti; ergo priuatio est principiū generationis naturalis.

Pro solutione.

Notandum, quod ratio principij ex dictis supra cum latius pateat, quàm ratio causæ, et dicat omne id, à quo aliud est siue procedit, quocumque modo, necesse est, quod conueniat priuationi, cum sit id, à quo sunt res naturale, cum fiunt; transeunt enim vere ex non esse ad esse, non autem ex non esse simpliciter, sed ex tali non esse proximè scilicet apto, quod est transire ex priuatiuo; erit ergo priuatio rerum naturalium principium; sed dubiū est sitne principium distinctum à materia; nam quod sit principium distinctum à forma, cum ei opponatur certum est; et ratio difficultatis est quia si spectatur priuatio secundum positiuum, quod dicit non dicit quidquam distinctū a materia & eius dispositionibus; si spectatur pręcise secundum negatiuum, illud non constituit in priuatione rationem principij; vnde priuatio videtur esse principium per accidens ratione scilicet materię, cui accidit, nihilominus spectata natura generationis considerandum est, quod aliud est esse subiectum, quod verbi gratia trāseat ex non esse ignis ad esse ignis aliud est terminus, à quo transit, et ad quem transit, priuatio autem cum sit terminus à quo necessario est principium quidditatiue distinctum à materia et à forma: cùm intellecta materia et forma non sufficienter intelligatur generatio, neque naturaliter fiat noua forma, et per illam generatio, nisi ex non esse formæ proximè apto esse, quod non est materia vt sic licet sit in materia, et aliquo modo dicat materiam dispositam quare.

Dicendum priuationem et esse principium generationis naturalis, et esse principium quidditatiuè distinctū ab alijs; vtraque pars conclusionis patet ex dictis modo, et rationibus secundæ sententiæ. confirmatur vtraque pars. prima quidem, quia quod

non

non est debet transire ad esse saltem secundum conceptum nostrum; nullus autē transitus est ab extremo ad extremum sine medio, debet ergo trāsire ad esse, quod nō est, ex non esse per medium quod est non esse actu, et esse potentia, ac proinde, quod nō est, proxime est ex priuatiuo. Secunda pars confirmatur; quia nisi priuatio esset principium distinctum generatio esset per aduentum formę cum quacumque materia, natura autem ex quolibet nō generat quodlibet.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum ex puro nihilo nihil fit naturaliter, potest tamen fieri supernaturaliter, et per creationem; quamquam neque quod creatur fit ex nihilo nisi secundum nostrum modum concipiendi, qui idcirco concipimus creaturam fieri ex nihilo; quia antequam fieret à Deo nihil ipsius erat; vnde nihil in nostro modo concipiendi est pro termino à quo; priuatio autem cum non sit purum nihil po riori iure non solum in nostro conceptu, sed à parte rei habet rationē termini à quo cùm à parte rei sit; de priuatione enim absolutè dici potest quod sit, non de puro nihil; quia licet priuatio sit per non existentiam formę; quia tamen dicit non existentiam formæ in subiecto apto, secundum totum quod dicit vere est; quia vere ponit subiectum priuatum; nihil vero cum nullum subiectum ponat, esse non potest; quia negatio non est nisi in aliquo subiecto, et positiuo fundetur, quod est; quare negatur consequentia.

Ad secundam dictum est alias principia semper manere, id est semper reperiri in generatione naturali, non vero semper perdurare, idest, in genito perdurare.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod aliqui ponunt priuationem esse principiū, quando non est; quia cum in generationibus instantaneis toto tempore, quo in subiecto est priuatio intelligatur nō esse forma; in instanti autem quo est forma, vere sit generatio, et mutatio, non autem sit priuatio, putant tunc priuationem principiare; quia credunt esse absurdum priuationem principiare ante, ac proinde esse principiatum; sed hi male philosophantur, nam considerandum est, quod non omne principium simul esse debet cum suo principiato simultate coexistentiæ, sed quod sufficit quod simul sit simultate successionis; nam in omnibus principijs successiuis successione vel discreta, vel continua principium, qđ est terminus à quo, nō pōt simul esse simultate coexistentię cum termino ad quē, vel cum medio; secus enim. v. g. primus quadrans horę existere deberet, quando existit secundus, vel vltimus; sed esse debet immediate ante, et per hoc sufficienter primus quadrās horæ principiat horam, quod post ipsum sit secundus quadrans, et alij; in generationibus ergo instantaneis inter terminos ipsarum est quædam successio discreta, cum vnus esse debeat post alium, nō debeant esse simul; sed vnū succedere oporteat alteri; et quoniam mutatio, et generatio denominatur à termino ad quem; quia simpliciter tūc dicimus mutari subiectum, et generari nouum esse, quando est sub termino ad quem; ideo dicitur quod priuatio non principiat, quando est mutatio, sed quādo est ipsa, immediatè scilicet antequam sit mutatio; quamquam aduertendum est, quod si accipiatur totum id, quod dicit mutatio, non debet simpliciter dici mutationem solum esse, quando est terminus ad quem, sed esse totaliter, et completiuè, cum tamen inadæquate, et inchoatiuè, sit etiam quando est terminus à quo; vnde potest dici quod priuatio principiat, et quando ipsa est, et quando est mutatio, inadæquate scilicet, et vt in termino à quo; nec valet dicere quod mutatio substantialis est in instanti, cum hoc solum procedat de mutatione secundum id, quod dicit principalius, non secundum totum, quod dicit, nec tamen bene loquuntur, qui propterea dicunt priuationem principiare ante multos annos; nā priuatio; non potest esse principium nisi immediatè ante instans generationis; tum quia generatio formę non est ab ipsa nisi vt ab immediate ante existente; tum quia tunc priuatio est principium, quādo dispositiones complentur, quę non complentur nisi immediatè ante eductionem formæ substantialis; & hęc quidē secundum communem sententiam; cęterum placuit aliquibus quod dicunt Conimbricenses primo Phy. cap. 9. quæst. 8. art. 2. ad tertium priuationē principiare quando est, et principiare in eodem instanti, in quo est, mutatio, quod

S sic

trascendentali, quæ sequitur ens, difficultas non est alia, quam quæ de materia supra tacta est; si enim de se materia aliquam entitatem habet actualem, & aliquam vnitatem habebit trascendentalem, quæ sequitur entitatem, & ens; vt proinde si de se materia ens est, & vna quoque sit vnitate, quæ sequitur ens, & qua materia in se indiuisa ab omni alio ente diuisa, distinctaque est, quod materia non est. Restat ergo difficultas de vnitate specifica, & numerica.

Quoad primam ergo considerandum est, quod si materia in tota sua latitudine aliquam admittit specificam distinctionē, hæc debet esse in ordine ad formam; nam cum ipsa potentia sit non potest esse potentia distincta, nisi in ordine ad actum distinctum; nec tamen quæcumque actus diuersitas sufficiens esse potest ad distinctam speciem, secus enim tot deberent esse distinctæ species materiæ, quot sunt species actuum & formarum; Ex quo sequeretur non esse vnam materiam, & vnum primū subiectum omnium transmutationum, ac proinde nec esse generationes perennes, nec res naturales, inuicem transmutabiles; Quoniam hæc mutua transmutatio nō est sine vno primo subiecto, in quo formæ conueniant, à quo dum noua actione remouentur veteres, & generantur nouæ, procedit generatio, & noua subinde fiunt composita; Vt proinde pro omnibus rebus corruptibilibus necesse sit assignare vnam specie materiam, quæ multiplex quodammodo fiat per multiplicem determinationem, & dispositionem ad diuersos actus, ac proinde solum vt determinata, quæ solet dici materia secunda, assumere possit peculiarem aliquam formalitatem ad peculiares actus, & sub illa restrictione censeri multiplicium specierum non vnius, cū de se omnes actus corruptibiles æque, & indifferenter respiciat, vt subiectum primum, ac proinde de se vnius tantum speciei sit & naturæ.

Difficultas ergo est de materia in rebus æternis & incorruptibilibus, & posito quod huiusmodi res dentur constantes materia.

Considerandum est, quod incorruptibilitas corporis non potest prouenire à materia; ratio est primo; Quia ab eo prouenire debet in corpore incorruptibilitas, à quo tollitur à tali corpore corruptio, & excluditur omnis actio agentis corrumpētis; sed hæc proueniunt à forma, & à formæ dispositionibus; nam sicut non posse illuminari opacum non est à materia, sed à formis, ita non posse calefieri, exsiccari, frigefieri &c. à formis est, non à materia.

Secundo quantumcumque sint materiæ inter se distinctæ specie, tamen semper erunt potentiæ; Ergo erunt capaces plurium actuum, ac proinde corpora in quibus ponentur erunt corruptibilia. Si dicas non esse capaces plurium actuum specie distinctorum, iam tot erunt species materiæ, quot erunt corpora incorruptibilia, ac proinde tot specie materies, quot corpora cælestia, & adhuc vim habet ratio; quia cùm possibilis sit ex parte materiæ alia forma eiusdem speciei cum ea, quæ est in vno corpore incorruptibili (non enim illa videtur ratio, qua id possit negari) adhuc illa materia patietur illa, quæ inferūt contra ponentes vnam specie materiam in omnibus corporibus; Nam illa materia appetet aliam formam, & erit illius capax, quæ capacitas ne sit frustra, dari debebit agens naturale potens illam producere, & alia huiusmodi, quæ inferre solent contra vnitatem materiæ paralogizantes. Itaque in proposito reuocari in memoriā debet, quod supra dictum est, aliud esse accipere materiam secundum se, & antecedenter ad omnem formam, aliud accipere illam vt habet requisita adhoc vt sit iuxta ordinem naturæ, & vniuersi potentia contradictionis; Si primo modo accipiatur vna est specie materia tam in corporibus corruptibilibus, quam incorruptibilibus; Quia vt sic non magis respicit vnum actū, quam alium, & est illud prope nihil, sicut dicebat Augustinus, quod excludit omnē actum, & dicit meram potentialitatem: si accipiatur secundo modo, duplex materiæ species statui debet, vt statuit Aristoteles 8. metaphy. Tex. 4. cum dicit. Non est necesse si quid materiam habet localem etiā materiam habere generabilem & corruptibilem. Quia vere in ista consideratione materia duplicem dicit conceptum potentialis; ac proinde duplex est metaphysica ratio materiæ. Nam ratio materiæ cum sit potentialitas, quoties hæc per actum ita deter-

determinatur, vt naturaliter disponi non possit ad alium actum, perinde est ac si in illo corpore non esse materia; non quoad primarium officium componendi sed quo ad secūdum promouendi ad alium actum. Ex quo est, vt Aristoteles 8. metaphis. Tex. 14. dicat, Neque omnium materia est, sed quorumcumq; generatio, & transmutatio inuicem sunt; quæcunque vero absque eo, quod transmutentur sunt, aut non, horum materia non est.

At si potentialitas solum sit ad motum localem appellatur à philosopho materia localis, siue vndè quò, vt 12. metaph. Tex. 10 si vero sit ad generationem, dicitur materia generabilis & corruptibilis, siue potentia contradictionis, vt supra, et 9. met. Tex. 17. Quare & vna erit materia specie secundum se, et duplex erit specie accepta in officio, quod fungitur in rebus; nam in corporibus cœlestibus erit solum potentialitas ad ubi, & materia vnde quò. In corporibus sublunaribus erit potentia contradictionis, & materia generabilis, & corruptibilis, Et hæc de vnitate specifica.

Restat nunc difficultas de vnitate numerica. Quæ etiam dupliciter venire potest in controuersiam, primum quidē si materia accipiatur secundum se, & antecedēter ad omnes formas.

Secūdo verò si accipiatur vt de facto est in corporibus sub varijs, & diuersis formis. Et de hoc secundo difficultas non est, quod vna nō sit: Neq; enim materia quæ nūc est sub forma æris vna numero est cum materia, quæ est sub forma terræ; quia illa quæ est sub forma terræ, quatenus est sub forma terræ, diuisa est à materia, quæ est sub forma æris, ac proinde non vna sed duæ materiæ hæc & illa: sicut duæ quantitates, duę lineę, quæ in duobus sunt corporibus.

Quo ad primū verò materia pręcisis formis vna numero videtur; Quia in ea omnis diuisio est per aliquam formā, vt proinde pręcisa omni forma in se indiuisa sit, et cō sequenter vna numero: nam et in eo statu nisi vt vna non accipitur.

Cōtrouersia quidē esse potest vtrū in eo statu plures sint partes eius, ad quod videtur dicēdū materiā actu partes nō habere, sed potestate Quatenus tale quid est, quod totū secūdū se, potest naturaliter esse non totum sub diuersis formis, & secūdū quid sui sub hac, secundum quid sub illa: neque enim tota materia est, neque naturaliter potest esse sub forma grani sinapis; neque materia, quæ sub tali forma est, naturaliter potest esse sub tota forma terræ, vt proinde in materia potestate partes sint, et quædam latitudo Entitatis, quæ fundat partes in ordine ad formas.

Sed iam ad quæsitum.

Dicendum materiam secundum se acceptam, et pręcisis formis esse vnam, et specie, & numero, vt vero est sub diuersis formis diuersas conceptus, siue species metaphysicas cōstituere posse in corporibus corruptibilibus, & incorruptibilibus. Patent omnes partes conclusionis ex dictis.

Et confirmatur prima pars. Quia cum materia de se, et pręcisis formis postquam à Deo creata est, sit extra nihil, et vere aliquid sit, licet imperfectum, hoc autem quod est materia antecedenter ad omnes formas nullam dicat in se diuisionem, et tamen dicat distinctionem ab omni alio, quod materia non est, consequenter vna est et numero; Quia ab intellectu accipi potest vt hæc; & specie; Quia et si in re adeo imperfecta proprie species non est, tamen concipitur vt potentia ad omnes formas informantes, nec habet aliquid per quod magis respiciat hanc speciem actuū, quam illam. Vt autem (quæ est secunda pars conclusionis) ita determinata est, vt illud, in quo est, non sit, In potentia, nisi ad motum localem, vel aliquam mutationem perfectiuam, qualis est illuminatio, habet diuersam rationem potentialis ab illa, quam habet vt est in rebus corruptibilibus, quæ sunt in potentia ad corruptionem, vt consequenter ad nouam generationem, ac proinde in rebus corruptibilibus differt specie, siue conceptu specifico dicto non simpliciter a se ipsa, vt est in rebus incorruptibilibus.

Neque hoc est inconueniens; Quia si eadem res potest esse actio, et passio, et consequenter a se ipsa specie differre secundū diuersas rationes, multo magis hoc poterit habere materia, quæ cum hoc habet, sola non est, sed includit aliquid, quod ipsa non est, cum quo tamen tale po-

lectum primum omnis generationis, & corruptionis, siue magis ex quo vt potentia inexistente fit aliquid; quod nulli alij rei conuenit; vnde quando ipsa ita concipitur proprio conceptu concipitur, qui non est alterius rei.

Secundus sensus est materia non potest concipi, quin concipiatur cum ordine ad aliud, nimirum ad formam, & tunc sensus quidem hic verus est; sed falsa consequentia. De quo tamen sensu est dubium, & diuersæ auctorum sententiæ; nam aliqui volunt materiam intelligi posse sine vllo ordine ad formam: Alij vero negant.

Pro cuius decisione triplex fingi potest esse conceptus materiæ.

Primus absolutus, quo materia concipiatur sub conceptu substantiæ, vel entis, & hic non est proprius conceptus materiæ, cum magis conueniat formæ & composito. Secundus negatiuus, qui respondeat definitioni traditæ de materia per negationem, vt cum definitur materia nō est quid, non est quantum; non est quale &c. Et hic neque est proprius conceptus materiæ, cum per eum potius concipiatur quid non sit materia, quam quid sit.

Tertius relatiuus relatione transcendentali, quo materia concipitur potentia ad sibi proportionatum actum, & hic est proprius materiæ cōceptus, qui, vt apparet, in ordine ad formam est.

Neque contra hoc est Aristoteles, qui loco citato physicorum magis quod dictum est insinuat, concipiendam scilicet esse materiam in ordine ad formam.

Quod autem dictum est cognoscibilitatem esse passionem actus distinguendum est de cognoscibilitate, & concedendum de distincta, & clara; nam secus cognoscibilitas magis est passio entis, vt proinde quod ente participat, participet quoque cognoscibilitate.

Ad secundam respondeo dicendū, quod satis est si materia habeat in mente diuina ideam secundario ratione scilicet entis cōpleti, cuius ipsa est pars subiectiua; quamquam negandum non est Deum vere, & quidditatiue cognoscere quid sit materia etiam ab ipsa præcisa forma; ac proinde in aliquo vero sensu concedi potest materiam habere suam ideam in mente diuina.

Quoad secundum principale quæsitum, vtrum materia habeat aliquam bonitatē. Non habere putarūt phythagoræi ex Simplicio, & cum illis nonnulli alij, sed sine sufficienti fundamentum. Quare magis.

Dicendum materiam habere suam bonitatem. Quod patet; Quia materia de se est ens aliquod, siue aliquid entis, & facta est à Deo: Vidit autem Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.

Quidam tamen dicunt materiam esse bonam potentia: Quia est ens potentia; sed melius dicitur cum D. Thoma lib 3 contra Gent. cap. 20 materiam etiam si sit ens potentia, tamen esse bonam actu; Quia materia ens potentia dicitur, non quod non sit vere ens; ac proinde verè bona; sed quia non est ens completum, quod proprie dicitur actu ens. Secundo quia actu dicit ordinem ad formam, ad quam etiam dicit rationem conuenientiæ; formæ enim sua conueniens est materia, vt proinde subista ratione vere materia bona sit, & consequē ter bona actu dici debeat.

Obijcies lib. 7. met. Tex. 35. dicitur.

Materia vero per se ipsam incognita; Ergo materia per se ipsam, neque habet veritatem, neque ideam vllam: patet consequentia; Quia idem est per se cognosci, & per se habere veritatem, & ideam; Quia per suam veritatem, & ideam vnaquæque res cognoscitur.

Respondeo dicendum, quod ibi Aristoteles accipit materiam pro materiali materialiter sumpto, vt scilicet contradistinguitur à ratione intelligibili, & idē est, quod dicit Aristoteles, ac si quis dicat, color per se inuisibilis, per lumen visibilis est; Quia scilicet lumen est ratio, qua videtur color: Ita ergo in proposito; Quia nihil materiale cognoscitur, nisi per suam rationem intentionalem, ideo materia, & omne materiale acceptum materialiter per se ipsum incognitum est, sed idem acceptum intentionaliter, siue in sua ratione intentionali cognitum est. Et quod Aristoteles ibi de materia hoc pacto loquatur probari potest ex eo, quod ibi statim distinguit materiam in sensibilem, & intelligibilem, in physicam & matematicam, & æs ac lignū dicit esse materiam. Ex quo apparet, non esse acceptam materiam ab Aristotele, vt est illud, quod contradistinguitur à forma physica informante.

Art. 24. Vtrum materia definiri possit, et bene ab Aristotele definita sit.

PArs negatiua probari sic pôtest.

Primo definitio est ratio quod quid erat, idest quidditatis explicatio est; sed materia non est. Quod quid erat; Quia per philosophū quod quid erat est forma: Ergo de materia haberi non potest definitio.

Secundo. Quod materia bene definita non sit. Si materia est bene definita, vel est bene definita primo de Gener. Tex 24. vbi dicitur materia est subiectū generationis, et corruptionis susceptibile: Et hoc non; Quia si materia susciperet corruptionem corrumperetur Quod esse nō potest; Quia materia est incorruptibilis. Vel bene definita est, Secunda phy. Tex. 28. materia est, ex qua aliquid fit cum in sit, & hoc nō, quia hæc definitio cōuenit materiæ artificiatorū, quæ est ens actu, quale est lignū, æs, marmor &c. Vel bene definita est 12. metaphy. Tex. 14. materia est quod quid eo ipso, quod apparet, et hoc non; Quia quod quid est cōpositū substātiale, et ratio quod quid erat est forma, vel 4 bene definita est materia 6. met. Tex. 3. materiam dico, quæ cum nō quid actu sit, quod quid est potentia; Et hoc nō; Quia materia potētia est etiā quale, quātū &c. quod nō est expresū in definitione. Vel. 5 bene definita est materia 7. metaphy. Tex. 8. materiā dico, quæ, per se ipsā neque quid, neque quantum, neque aliquid aliud quidpiam dicitur, quibus ens determinatur; est enim quid, de quo singula horum prædicantur. Et hoc non; Quia nihil positiuum definiri potest per negatiuum, et falsum est, quod de materia illa prædicentur. Vel demum bene definita est materia primo phyfi: Tex. 82. Dico materiam primum subiectum vniuscuiusque, ex quo fit aliquid cum in fit, non secundum accidens, et si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum. Et hoc non; Quia vltimum in quod generabilia, et corruptibilia corrumpuntur sunt, quatuor elementa quæ non sunt materia.

In contrarium pro parte affirmatiua est Aristoteles, et peripatetici communiter, qui secūdum diuersas considerationes definitiones illas de materia admittunt.

Secundo illa est bona definitio, quæ adæquate exprimit naturā definiti; et definitū distinguit ab omni alio; sed tales sunt multæ ex definitionibus assignatis; Ergo per illas bene materia definità est.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut duplex est modus explicandi, perfectissima affirmatio scilicet, & negatio; Vnde ex S. Diony. cap. 1. de Diuinis Nom. et de mystica theol. cap. 2. et 3. duobus modis Deum possumus notū facere; primo affirmando de eo omnia, quæ dicunt perfectionem fine vlla imperfectione, quomodo dicimus Deum esse summam sapientiam, bonitatem &c.

Secundo negando de eo quæcunque aliquam imperfectionē dicunt ita vice versa vt annotauit. S. Bonau. imperfectissima, qualis est materia duobus modis à nobis explicantur, et negatiue, et affirmatiue: negatiue explicata est materia ab Aristotile loco citato 7. metaphysicæ, et à Platone in Timæo remouendo ab ea actus omnium prædicamentorum, & à S. Aug. 12. Confess. dum dixit materia non color est, non figura, non corpus est, non spiritus, non tamen omnino nihil. affirmatiue definita est materia in pluribus ex illis definitionibus, quæ in secunda ratione primæ sententiæ refutabantur. Et quidem bene descripta est materia cum dicta est subiectum generationis, & corruptionis susceptibile. Hæc enim est natura materiæ, vt tanquam pura potentia recipiat generationem, dū fiunt formæ, & corruptionem, dum corrūpuntur; nam sicut aliarum mutationum proprium subiectum est compositum, siue materia, vt tamen est sub forma; ita proprium subiectum generationis, & corruptionis est ipsa materia prima. nec contra dictam descriptionem faciunt obiecta; Quia, quod est susceptibile corruptionis, non idcirco corrūpitur; corrūpi enim dicitur, quod per corruptionē amittit esse; materia autē suū esse non amittit, Quia nō est materiæ corruptio, nisi ratione formæ, quę per corruptionem transit ad non esse.

Secunda illa definitio, nisi in illa illud aliquid restringatur ad ens per se, nō erit

Pro-

propria materiæ primæ, quæ est essentialis pars physica compositi physici; tamẽ quia, vt ex dictis manifestum est, non vno modo accipitur materia, bona erit definitio pro materia non accepta in illa restrictione, sed latius, vt comprehendit materiã secundã. De 3. inter peripateticos interpretes nõ leuius disceptatio est, aliqui sic explicant. materia est quodquid, & hoc aliquid coniuncta formæ, apparet autem cum forma coniuncta, & per illam cognoscitur. Alij exponunt, materia est substantia, ratione cui⁹ forma apparet; Quoniã forma, vt forma non apparet, cum dentur formæ abstractæ, & separatæ à sensibilibus, quæ non apparent; vnde quæ apparent, quia sunt in materia, apparere dicentur. Alij sic intelligunt. Materia quantum ad id, quod apparet videtur substantia, & hoc aliquid, ex quo est, vt primi philosophi naturales solã materiã putauerint esse substantiam. Alij aiunt. materia est hoc aliquid in apparere: idest cognoscitur quid materia sit per id, quod videtur; idest materia naturalis est cognoscibilis per analogiam ad materiã artificialem. Quarta descriptione melius explicatur natura materiæ primæ, quæ in eo consistit, vt sit potentia subiectiua in genere substantiæ. Hæc valet, quod obiectũ est: materiã esse etiã potentia quantũ, quale &c. Quia hoc nõ habet primario, sed secundario, in quo participant alia; primario enim est potentia Quodquid, idest substantia cõpleta. De quinta descriptione nihil est, quod addamus; patet enim ex dictis bene per negationẽ descriptã esse materiã propter suam imperfectionem: Quæ tamen descriptio habet aliquid positiuũ, quod iunctũ negatiuis patefacit naturam materiæ. Melius explicata est in vltima definitione materia, quæ idcirco censetur omniũ absolutissima. nam materia prima dicitur primũ subiectũ; Quia tota eius natura in hoc consistit, vt tãquã pars subiectiua jungatur cũ forma substantiali, & cũ ea vnũ constituat; illa quidẽ vt actus informans, hæc vero vt potentia subiectiua: dicitur primũ ad distinctionem materiæ secundæ. dicitur, ex quo fit aliquid cum insit, ad excludendas alias acceptiones materiæ, & maxime illud potẽtiale metaphysicũ, quod aliqui, vt supra vidimus, putãt solũ esse materiã, quod cum sit identificatum cũ forma præcedẽte, nõ potest dici inesse in genito; dictũ etiã est, vt alij volunt, illud, propter priuationem, ex qua tanquã ex termino à quo res generantur, nec tamen remanet in re facta, sicut materia. Dicitur, per se, & non secundũ accidens ad excludenda alia, quæ causant subiectiue, & ad excludendã materiã secundã, ex quibus fit tãtũ aliquid secundũ accidens, & ad ostendendũ materiã primã cũ forma substantiali sibi correspondente facere vnum per se, ac proinde spectare ad essentiã cõpositi. Dicitur, & si corrũpitur aliquid in hoc abibit vltimũ, ad manifestandã magis naturam materiæ, & ostendendũ solã materiã primã in physicis cõpositis esse ingenerabilẽ, & incorruptibilem. Quod autẽ vltimo obijciebatur, quod res in elementa vltimato abirent, non valet; nam licet actu res vlterius non corrumpantur, sic vt in eo maneant; Quia dari non potest in natura materia spoliata omni forma; tamen bene philosophus per sensum illum conditionalem ostendit nobis, elementa non esse primũ principiũ subiectiuũ, & materialẽ rerũ generabiliũ, & corruptibiliũ; sed hoc esse materiã primã, in quã vltimo desinere deberent res generabiles & corruptibiles, si corruptio vnius non esset generatio alterius.

Quibus sic explicatis

Dicendum materiam definiri posse, imo & bene à philosopho definitã esse, & materiam quidem primam bene definitam esse, maxime vltima illa definitione. Patet ex dictis, & confirmatur; quia materia cũ sit primũ principiũ cõpositiuũ rerũ physicarũ, & ordinata sit ad facienda cum forma composita naturalia, bene per hoc definita est definitione physica, qua res vel per suas causas intrinsecas, & partes siue compartes definitur; vel per suum finem, ad quem à natura est ordinata,

Ad rationes in contrarium partis negatiuæ patet ex dictis; & prima quidem solũ vim habet loquendo de definitione entis completi: Materia autem est ens incompletũ, quæ tamen aliquando ab Aristotele dicitur quodquid, vt ex dictis manifestũ est.

Ad secundã autẽ respondeo dicendum, quod varijs illis definitionibus bene definita est materia iuxta varias suas acceptiones; Et materia quidem prima, quæ

est

est pars compositi naturalis definita bene est vltima definitione, & quarta; Eademq; bene definita est in ordine ad generationé, & corruptionem definitione prima; Nam secunda definitio est de materia, vt dicitur latissime scilicet, & in ente physico, & in ente artificiali, & iuxta hanc acceptionem partes, vt etiam aliquando dixit Aristoteles, sunt materia totius; æs & lignum sunt materia circuli, aqua est materia calidi, & sic de cœteris. Eadem materia latissime accepta in ente naturali definita est.

Quinta definitione, in qua acceptione comprehensa est materia non solum prima, sed secunda, nec solum generabilis, & corruptibilis, sed localis, & vnde quò; immo & in ea acceptione accommodari potest indiuiduis, quæ dicuntur materia respectu rationis specificæ, vt nõ semel apud Aristotelem. Et hactenus quidem de materia, de qua aliqua adhuc dicentur cum de causa materiali, & formali.

Quæstio tertia, de priuatione.

PRiuatio etiam si omnium principiorũ rerum naturalium in fieri vltimum locum obtineat, cum sit omnium principiorum imperfectissima, minusque concurrat ad res naturales ponendas in esse, quã cætera; tamen secundo loco est tractanda; quia quodammodo identificatur cum materia, & in generatione obtinet locum termini à quo, vt proinde præcedere debeat formam, quæ habet rationem termini ad quem; de illa ergo supposito an sit, quid, & quotuplex sit, & propter quid sit, & an principiet in rebus naturalibus inuestigabimus.

Articulus primus, vtrum priuatio sit ens reale positiuum.

SEntentia affirmatiua, quod sit aliquod ens reale positiuum ab aliquibus tribuitur. Them. tex. 61. 1. phy. & Simp. tex. 81.

Contraria tamen sententia, quæ negat priuationem esse ens reale positiuum, est communis, nec ab ea alieni fuisse putandi sunt. Simp. & Them.

Tamen pro affirmatiua non desunt rationes.

Prima esse potest ex Arist. apud quem primo. Physicorum priuatio appellatur malefica; sed quod non est ens non potest esse maleficum; ergo priuatio est ens positiuum; eodem lib. t 66. priuatio est accidens materiæ; sed accidens est quid positiuum; ergo priuatio est quid positiuum. Secundo de anima t. 138. priuationes percipiuntur sensu, vt à visu tenebræ; sed quod non est, non potest à sensu percipi; quia nihil percipitur à sensu, nisi quod immutat sensum, & imprimit suam speciem in sensu, quod non potest facere non ens; ergo priuatio est ens positiuum.

Secunda ratio, nihil non determinat sibi subiectũ; nam antequam esset subiectũ, & mundus, erat nihil; sed priuatio determinat sibi subiectum; ergo non est nihil; erit ergo aliquid, ac proinde ens positiuum.

Tertia ratio, ex. 10. met. t. 15. omnia opposita reducuntur ad habitum, & priuationem; sed relatiua, & contraria sunt opposita; ergo reducuntur ad habitum, & priuationem; sed si priuatio esset non ens, relatiua, & contraria, quæ sunt ens, reducerentur ad non ens, quod implicat; ergo priuatio non est non ens; sed ens positiuum.

Quarta ratio, priuatio aliquando est terminus ad quem mutationis; sed terminus ad quem non potest esse nihil; ergo erit aliquid, ac proinde priuatio erit aliquid, & ens; quia ens, & aliquid conuertuntur.

Quinta ratio; Implicat, nihil, & non ens esse principium rerum naturalium, & entium; sed priuatio, vt infra constabit, est principium rerum naturalium & entium; ergo debet esse ens, & aliquid positiuum.

Pro contraria sententia negatiua vera rationes plures militant.

Prima ab auctoritate philosophi primo Phy. t. 75. 79. 80. vbi expresse ait priuationem esse non ens; & tex. 68. solam formam facere præsentiam, & absentiã in subiecto sine vlla alia entitate; ergo priuatio, quæ est absentia formæ non habet entitatem.

Secun-

Secunda ratio, si priuatio esset quid reale positiuum, sequeretur dari priuationem priuationis in infinitum; nam absente priuatione à subiecto, subiectum esset illa priuatum, & sic daretur priuatio priuationis in infinitum.

Tertia ratio, si priuatio esset aliquid positiuum, priuatio esset aliquid bonum; at est quid malum, vnde à philosopho appellatur malum, & malefica; ergo non est aliquid positiuum.

Quarta ratio, omne ens positiuum factũ fuit à Deo, vel à causa naturali, & terminat aliquam actionem; sed priuatio non est facta à Deo, & nullius actionis est terminus; ergo non est ens positiuum.

Quinta ratio, priuatio & forma sunt contraria; sed non sunt contraria positiua; ergo priuatiua; ergo priuatio contraponitur ad ens positiuum; non igitur potest esse ens reale positiuum.

Pro solutione.

Notandum, quod priuatio, & priuatum dicitur multis modis; nam aliquando priuatio dicitur de illo positiuo, quod in aliquo genere non est æquè perfectum, vt illud, quod ipsi contraponitur in eodem genere, & hac ratione frigus dicitur priuatio in ordine ad calorem, primo de generatione t. 18. secundo priuatio dicitur carentia alicuius, quod aptum est haberi ab alio, licet non sit aptum haberi ab eo, quod dicitur priuatum, & sic ex 5. met. t. 26. planta dicitur priuata oculis. Tertio ex eodem loco priuatio dicitur secundum genus, quando aliquid priuatum dicitur eo, quod habere non est aptum, habetur tamen communiter à genere, in quo illud est, & hoc modo, Talpa dicitur cæca, quia visus conuenit animalibus. Quarto dicitur priuatio secundum speciem, sed secundum diuersam partem, & tempus; quo pacto homo secundum manum dici potest priuatus oculis, quia caret oculis in manu, in qua tamẽ parte non est aptus habere oculos, & Catuli dicuntur cæci statim à natiuitate, cum tamen non sint apti videre, nisi post aliquot dies; Quinto aliquid dicitur priuatum quando & secundum genus, & speciem, & secundum tempus, & partem debitam habet aliquid, quod aptum est habere, non tamen perfectè habet; sic aer parũ illuminatus dicitur tenebrosus; Vltimo priuatum illud dicitur, quod penitus caret forma secundum illam partem, & tempus, quo illam habere natum est, ex quo est illa distinctio apud D. Thom. 1.2. quæ. 73 art 2. in priuationem simplicem, & nõ simplicem; priuatio simplex est illa, quæ consistit quasi in corruptum esse, vt mors, quæ ita est priuatio vitæ, vt nihil retineat de vita, & talis priuatio non suscipit magis, & minus; cum nihil retineat de habitu opposito; altera priuatio non simplex est, quæ aliquid retinet de habitu opposito, & consistit in corrumpi, vt ægritudo, quæ priuat debita commensuratione humorum; tamen aliquid de illa relinquit; cum enim debita humorum proportio est penitus labefactata, non est amplius ægritudo, sed iam est mors. priuatio ergo propriè accipitur, quando accipitur pro negatione, & carentia formæ maximè totaliter acceptæ in subiecto apto, & de hac quæritur, sitne ens reale positiuum, an vero aliquid negatiuum; & primo certum est priuationem partim conuenire cum negatione, partim ab ea differre; conuenit quod sicut negatio tollit aliquid, ita & priuatio; differt autẽ, quod negatio ita tollit aliquid, vt tamen nihil ponat, neque supponat, priuatio aliquid supponit in subiecto, ipsum scilicet subiectum, & aptitudinem ad formam habendam, qua est priuatum; vnde non est idem omnino priuatio, & negatio; dubiũ tamen est: vtrum inter se differant formaliter, & essentialiter; an solum, materialiter, & accidentaliter; volunt aliqui solum differre materialiter, quia scilicet solum differunt ratione subiecti, quod concernit priuatio, non ratione sui; melius tamen videtur esse differre essentialiter; quoniam essentia, & conceptus priuationis videtur intrinsece includere aptitudinem, siue cõnotationem, & ordinem ad subiectum aptum.

Atque his suppositis certum deinde est, esse priuationis secundum id, quod formaliter dicit non esse ens reale positiuum; quia implicat non esse entis positiui, esse ens reale positiuum; si vero accipiatur formaliter pro adæquata ratione priuationis, secundum quam diximus priuationem formaliter differre à negatione, aliquo modo

erit

quãtis contrarietur alteri parti, quatenus est cõiuncta cũ negatione alterius, quæ cum sit circa idem subiectum facit quandã quasi oppositionem priuatiuam.

Ad quartam respondeo dicendum, quod non implicat terminum mutationis esse nihil; ratio est, quia datur mutatio deperditiua, quando scilicet subiectum amittit aliquam formam, nec vllam aliam acquirit cuius mutationis necesse est terminum, esse priuatiuum, et nihil; quia subiectum transit à possessione alicuius ad illius amissionẽ, vt accidit cum extinguitur lumen in aere.

Ad quintam patebit ex dicendis infra cũ ostenderimus quomodo priuatio sit principium.

Obijcies omnis conceptus est similitudo rei ex primo periher. cap. 1. sed datur cõceptus priuationis; ergo priuatio est res, et consequenter ens; quia res et ens conuertuntur. Confirmatur ex 4. met. t. 2. vbi philosophus cum dixisset ens multipliciter dici et enumerasset, priuationes, corruptiones negationes, dicit hæc dici entia in ordine ad substãtiam, vnde subdit. ipsum non ens esse non ens dicimus: ergo negatio, et non ens, habet aliquam rationem entis.

Respondeo dicendum, quod omnis conceptus est similitudo alicuius rei, vel veræ, vel fictæ; nam concipimus hircoceruum, vt ibidem dicitur, et alia huiusmodi, quæ non sunt vere res, sed res fictæ; eodem ergo modo licet priuatio non sit vera res, sed negatio rei, concipi tamen potest, vt res aliqua, sed non conceptu proprio, sed alieno; vnde est, quod in secunda intellectus operatione dicimus priuationem non esse rem, neque etiam conceptam; sed negationem rei, et quoniam quidquid concipit intellectus concipit per modum entis, hinc est, vt dicat non ens esse non ens concipiendo non ens, quasi esset ens, dicimus etiam priuationes, et corruptiones entia in ordine ad substantiam, quia hæc concipimus per modum accidentium substantiam afficientium.

Ar. 2. vtrum priuatio sit ens rationis.

SEntenta, quæ affirmat priuationem esse ens rationis tribuitur Sonc 10. m. q. 15. qui citat Aristotelem S. Thomã, comment. altera, quæ negat priuationem esse ens rationis, sed vult priuationem esse formaliter in rebus seclusa omni operatione intellectus, est sententia communis S. Tho 1. par te quest. 48. arti. 2. ibidem. Caiet. Capreo. Ferrariensis Alb. Alensis, et aliorum.

Pro sententia affirmatiua.

Prima ratio. concipimus priuationem; sed omnis conceptus est expressio alicuius rei; ergo priuatio est res aliqua, non realis, ergo rationis.

Secunda ratio. si priuatio non est ens rationis, ergo erit in rebus; ergo existet; at quidquid existit in rebus est ens reale positiuum. ergo assumptum probatur, quia existentia est vltima actualitas entis realis; si ergo seclusa operatione intellectus conuenit priuationi; ergo priuatio verè erit ens reale positiuum.

Tertia ratio. ens in tota sua latitudine diuiditur in ens extra, et in ens in anima; sed priuatio non est ens extra animã; Quia omne ens quod est extra animam vel est à se ipso, et est Deus, vel factum est ab aliquo; at quod factum est, est ens positiuum; quoniam terminauit intrinsecè actionem positiuam; terminus autẽ intrinsecus actionis positiuè non potest esse nisi positiuus, vt patet, et probari potest; quia identificatur cum actione positiua; erit ergo priuatio, cum non sit ens positiuum, ens in anima, siue ens rationis.

Quarta ratio. ens rationis communi diuisione diuiditur in negationem, priuationem, et relationem; ergo sicut relatio, et negatio sunt entia rationis, ita et priuatio; neque enim vllum esse debet membrum diuidens, quod nõ participet diuisum, et hæc pro parte affirmatiua.

In contrarium pro secunda sententia negatiua.

Prima ratio. Illud est ens rationis, quod

tantum habet esse in ratione, sed ante omnem conceptum rationis in eclypsi luna est priuata lumine, aer nocte est tenebrosus, quę sunt priuationes; ergo priuatio nō est ens rationis.

Secunda ratio. Aristotiles et Communis sententia peripatetica ponit priuationem principium generationis, vt terminum à quo; sed generatio non est per rationem sed à parte rei; ergo et eius principia debēt esse à parte rei, non per rationem; priuatio ergo quę est vnum ex eius principijs, erit à parte rei, et non ens rationis.

Tertia ratio. oppositio priuatiua est realis, idest à parte rei sicut cętera gratia oppositionum; ergo extrema eius sunt à parte rei ante operationem intellectus; sed alterum extremorum eius est priuatio; ergo priuatio formaliter non est ens rationis, sed est à parte rei. Confirmatur, quia adueniente forma in subiecto sine vlla consideratione intellectus desinit eius priuatio; nō ergo priuatio est ens rationis.

Pro solutione.

Notandum, quod de priuatione loqui possumus dupliciter vel vt concipitur à nobis, vel secundum ea, quæ pręstat à parte rei; vt concipitur à nobis, certum est vere esse ens rationis; quia cum non possit concipi, quin exprimatur; quod autem non habet esse exprimi non possit, exprimitur vt habens esse, exprimere autem vt habens esse, quod non habet esse, est facere ens rationis; at si loquamur de priuatione vt est in re, certum etiam est non posse esse ens rationis; quoniam ens rationis non habet esse in re; et quoniam difficile est cōcipere quomodo priuatio habeat esse in re, considerandum est, quod ex eo, quod subiectum aliquod de sua natura debet habere aliquam formam, si illam non habeat, vere à parte rei erit subiectum cum carentia, et negatione illius formę, ac proinde negatio formę illius dicetur existere in illo subiecto; non existit autē positiuè, quasi aliquid sit, sed negatiue per remotionem formę; nam vere ab oculo cęco cęcitas remouet visum nullo etiam cogitante intellectu; Ex quo est, vt absolute dicat de priuatione, quod sit, in Genesi enim habetur, tenebrę erant super faciem abyssi, et alibi sępe repetuntur huiusmodi locutiones. D. etiam Thomas prima parte q.48.art.2.cum Arist.[5.met.tex.14.putat dici ens non solū illud positiuum, quod distinguitur in decem prędicamenta, sed illud, quod sufficit ad veritatem propositionis, qua ratione priuatio est ens, et existit, existere, autem priuationis est non esse formę, quod in re nihil aliud est, quam negatio, in intellectu vero nostro solet esse ens rationis, quare.

Dicendum si accipiatur priuatio vt antecedit nostram considerationem, nō est ens rationis sed neque purum nihil, sed est negatio in subiecto apto; patet hęc conclusio ex dictis; et rationibus vtriusque sententię. confirmatur quia priuationes faciunt ad perfectionem, et pulchritudinem vniuersi, vnde est illud Aug. de Gen. ad literā aliud est lux, aliud hę priuationes lucis, quas in contrarijs tenebris ordinauit Deus. faciunt autem ad perfectionē vniuersi; quia sine illis non essent successiuę generationes rerū, faciunt ad pulchritudinem; quia per priuationem melius apparet habitus, pulchrior enim est lux post tenebras, sicut melius micant in picturis propter vmbras, & alia huiusmodi, colores, et partes imaginis.

Ad rationes in contrarium. Ad primam respondeo per illa nihil aliud probari, quā priuationes in mente esse entia rationis. Ad secundum patet ex dictis, nō quidquid existit in rebus esse ens reale positiuum; nā ens reale positiuum est quod propriè, et positiuè existit, non quod impropriè, et negatiuè; priuatio autem existit negatiuè per nō esse formæ; eodem modo ad probationem dicendum existentiam propriam & positiuā esse vltimā actualitatē rei realis, & positiuę; existentiā vero negatiuam esse negationem talis actualitatis, et non esse rei.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod priuatio reducitur ad vtrumque ilud membrum entis, reducitur ad ens in anima pro vt concipitur ab intellectu per modum positiui, reducitur ad ens extra animam pro vt est à parte rei. ad probationem dico illa procedere de ente quod est extra animam positiuum, hoc enim proprie fit, et habet cętera quę ibi dicuntur; at ens negatiuum quale est priuatio, non fit per actionem nisi consecutiuè; sed fit vel per cessationem cōseruationis, vel ex eo, quod non est actio producens vbi debet, vel quādo debet &c. Nam considerandum est, quod accidit priuatio aliquando, quia non est producens

for-

formam, vt nocte tenebrę sunt, quia non est sol producens lumen; aliquãdo est, quia subiectum non est debitè dispositum ad accipiendam formam; aliquando quia producitur in subiecto aliqua forma, cum qua nõ potest stare, alia, vnde licet prius illa esset, desinit tamen iam esse in subiecto non capace oppositorum; ex quibus omnibus patet, priuationem nõ fieri per actionem, sed per desitionem actionis, vel cõseruationis.

Ad quartam respondeo dicendum, quod illa diuisio ꝓcedit de negationibus, & priuationibus in mente; conclusio autem de eo, quod est à parte rei; quare concedenda est maior cum hac limitatione, in quo sensu concedenda quoque est consequutio, negãda in alio sensu.

Obijcies si priuatio in mente esset ens rationis, nunquam priuatio intelligeretur, consequens est falsum, et contra rationem et experiẽtiam; ergo priuatio neque etiam in mente est ens rationis; sequela probatur si est ens rationis ergo quod objjcitur, cum intelligimus priuationem, non est priuatio, sed aliquid positiuum fictum à ratione sed de priuatione cognoscimus quod nihil est positiuum, & idem affirmamus per secundam operationẽ; ergo aliquid aliud cognoscimus de priuatione, quod non est ens rationis; ergo erit ipsa priuatio, ipsa ergo priuatio directè de se cognoscitur, quę cũ de se non sit ens rationis, neque in mente erit ens rationis.

Respondeo dicendum, quod priuatio nunquam intelligitur directè proprio, et adæquato conceptu, sed alieno, et fictitio, et sic tenebras concipimus cuasi nigredinem vel caliginem in aere; scimus autem quod priuatio non est quid positiuum, immo quòd non est id, quod concipimus propriè, quia tàm de priuatione, quam de eo, quod concipimus scimus aliqua prędicata communia, quæ non possunt conuenire priuationi; scimus enim quod concipimus priuationem in se esse quid positiuum, cũ priuatio de se sit quid negatiuum.

Dices, vnde scimus esse quid negatiuum si nihil negatiuum concipimus; sed omnia intelligimus per modum positiui, nam si de aliquo quidquam negari debet, ne falso negetur, illud debet cognosci.

Respondeo ex experimento, quo cum aliquid positiuum sensibus et imaginatione sentimus, deprehendimus proportionẽ, quam illud positiuum habet ad subiectum, et ad potentias cognoscitiuas. Vnde habet intellectus fundamentum, vt possit formare conceptũ confusum non entis, siue quod ens aliquod neget de alio; aduertens enim formam non esse in subiecto tenebras non immutare visum affirmat subiectum esse sine forma, & aerem esse sine lumine; ad hoc autem iudicium non est necesse, vt intellectus formet conceptum positiuum de non ente, sed quod dicat vnum ens non esse in alio; cum tamen pręcessisse debuerit aliqua apprehensio non entis per aliquem conceptum confusum, et per modum positiui.

Ar. 3. vtrum priuatio sit principium naturalis generationis distinctũ à materia, & alijs principijs.

NEgatiua sententia videtur fuisse Platonicorum, qui duo tantum principia ponebant. Affirmatiua est communis. Pro sententia negatiua sunt hę rationes.

Prima ex nihilo nihil fit; sed priuatio est nihil: ergo ex priuatione nihil fieri potest; sed principia generationis sunt, ex quibus fit generatio; ergo priuatio non est principium generationis.

Secunda ratio principia ex t. 50. oportet semper manere; sed priuatio in generatione non manet, sed destruitur alioquin in subiecto esset forma cum negatione sui ipsius quod est impossibile, ergo priuatio nõ est principium.

Tertia ratio. si priuatio est principium rerum naturalium in fieri, siue generationis, vel est principium quando est in subiecto vel quando non est; neutrum dici potest; ergo priuatio non est principium, probatur minor, quod non sit principium quã do est; nam exẽpli gratia sit generatio alicuius substantiæ, puta ignis, si priuatio est principium talis generationis, vel est principium toto tempore immediatè pręcedente instans generationis ignis, et hoc non; quia toto illo tempore non est generatio; implicat autem esse principium sine principiato; quoniam principium et principia-

non est debet transire ad esse saltem secundum conceptum nostrum; nullus autē transitus est ab extremo ad extremum sine medio, debet ergo trāsire ad esse, quod nō est, ex non esse per medium quod est non esse actu, et esse potentia, ac proinde, quod nō est, proxime est ex priuatiuo. Secunda pars confirmatur; quia nisi priuatio esset principium distinctum generatio esset per aduentum formę cum quacumque materia, natura autem ex quolibet nō generat quodlibet.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum ex puro nihilo nihil fit naturaliter, potest tamen fieri supernaturaliter, et per creationem; quamquam neque quod creatur fit ex nihilo nisi secundum nostrum modum concipiendi, qui idcirco concipimus creaturam fieri ex nihilo; quia antequam fieret à Deo nihil ipsius erat; vnde nihil in nostro modo concipiendi est pro termino à quo; priuatio autem cum non sit purum nihil potioti iure non solum in nostro conceptu, sed à parte rei habet rationē termini à quo cūm à parte rei sit; de priuatione enim absolutè dici potest quod sit, non de puro nihil; quia licet priuatio sit per non existentiam formę; quia tamen dicit non existentiam formæ in subiecto apto, secundum totum quod dicit vere est; quia vere ponit subiectum priuatum; nihil vero cum nullum subiectum ponat, esse non potest; quia negatio non est nisi in aliquo subiecto, et positiuo fundetur, quod est; quare negatur consequentia.

Ad secundam dictum est alias principia semper manere, id est semper reperiri in generatione naturali, non vero semper perdurare, id est, in genito perdurare.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod aliqui ponunt priuationem esse principiū, quando non est; quia cum in generationibus instantaneis toto tempore, quo in subiecto est priuatio intelligatur nō esse forma; in instanti autem quo est forma, vere sit generatio, et mutatio, non autem sit priuatio, putant tunc priuationem principiare; quia credunt esse absurdum priuationem principiare ante, ac proinde esse principiatum; sed hi male philosophantur, nam considerandum est, quod non omne principium simul esse debet cum suo principiato simultate coexistentiæ, sed quod sufficit quod simul sit simultate successionis; nam in omnibus principijs successiuis successione vel discreta, vel continua principium, quod est terminus à quo, nō pōt simul esse simultate coexistentię cum termino ad quē, vel cum medio; secus enim. v. g. primus quadrans horę existere deberet, quando existit secundus, vel vltimus; sed esse debet immediate ante, et per hoc sufficienter primus quadrās horæ principiat horam, quod post ipsum sit secundus quadrans, et alij; in generationibus ergo instantaneis inter terminos ipsarum est quædam successio discreta, cum vnus esse debeat post alium, nō debeant esse simul; sed vnū succedere oporteat alteri; et quoniam mutatio, et generatio denominatur à termino ad quem; quia simpliciter tūc dicimus mutari subiectum, et generari nouum esse, quando est sub termino ad quem; ideo dicitur quod priuatio non principiat, quando est mutatio, sed quā do est ipsa, immediatè scilicet antequam sit mutatio; quamquam aduertendum est, quod si accipiatur totum id, quod dicit mutatio, non debet simpliciter dici mutationem solum esse, quando est terminus ad quem, sed esse totaliter, et completiuè, cum tamen inadæquate, et inchoatiuè, sit etiam quando est terminus à quo; vnde potest dici quod priuatio principiat, et quando ipsa est, et quando est mutatio, inadæquate scilicet, et vt in termino à quo; nec valet dicere quod mutatio substantialis est in instanti, cum hoc solum procedat de mutatione secundum id, quod dicit principalius, non secundum totum, quod dicit, nec tamen bene loquuntur, qui propterea dicunt priuationem principiare ante multos annos; nā priuatio; non potest esse principium nisi immediatè ante instans generationis; tum quia generatio formę non est ab ipsa nisi vt ab immediate ante existente; tum quia tunc priuatio est principium, quādo dispositiones complentur, quę non complentur nisi immediatè ante eductionem formæ substantialis; & hęc quidē secundum communem sententiam; cęterum placuit aliquibus quod dicunt Conimbricenses primo Phy. cap. 9. quæst. 8. art. 2. ad tertium priuationē principiare quando est, et principiare in eodem instanti, in quo fit, mutatio, quod sic

sic explicant instans temporis, ita est mensura generationis, vt tamen non sit mensura intrinseca, sed extrinseca, vni autem mensurę indiuisibili nihil repugnat respōdere duo indiuisibilia, sicut vni lineę baculi transmissi per duo corpora contigua puta per cœlŭ Lunæ, et Mercurij rñdēt duę superficies, superficies cōuexa Lunæ, et cōcaua Mercurij, ita ergo vni instanti temporis extrinseci respondere duo volunt indiuisibilia intrinseca ipsum scilicet fieri instantaneum formę et instantaneum corrūpi priuationis; Quod si dicas, quod tunc sequeretur in eodem instanti esse formam, et nō esse formam; Respondent hoc absolute nō sequi; sed solum sequi in eodem instanti prius natura, et quatenus instans illud correspondet desitioni priuationis non esse formam; et in eodem posterius natura, et pro vt instans correspondet inceptioni formæ esse formam; esse autem formam in subiecto, et non esse formam in subiecto secundum diuersa, non esse contradictoria; & hoc etiam confirmant ex eo quod si fiat luminosum aliquod in instanti, in eodem instanti illud luminosum illuminat; cum tamen prius sit accipere luminosum suum esse, et fieri, quàm producere lumen, lumenque ex eodem luminoso existente accipere esse; et tamen vtrumque fit in vno instanti temporis; cum tamē videātur duo esse instantia naturæ: et intrinsece, etiā duę indiuisibiles mensurę durationis vna qua prius luminosum accipit esse, altera qua posterius ipsum lumen accipit esse à luminoso existente, et secundum priorem dici posse non esse lumen; sed solum esse luminosum, secundum posteriorem et esse lumen, et esse luminosum; vnde in eodem instanti dici volunt non esse lumen, prius scilicet natura, et esse lumen in posteriori videlicet naturę, et pro vt instans iam respōdet productioni luminis; ex quibus aliam soluunt obiectionem, quę talis est.

Si aliqua priuatio est principium rerum naturalium, maximè priuatio formę, quę debet gigni; sed illa non est ergo probatur minor, quia huiusmodi priuatio nunquam datur; nam non datur quando forma inducitur in subiecto; quoniam per formæ pręsentiam tollitur priuatio; nec tempore antecedente; quoniam priuatio est negatio formæ in subiecto apto, toto autem tēpore antecedēte momētū generationis materia non est apta ad formam; quia non sunt cōpletæ dispositiones ergo.

Respondent iuxta quidem hunc suum modum dicendi eodem momento temporis, quo fit generatio, prius natura esse priuationem; et tunc principiare sed si sermo sit de signo in quo et mensura designata per particulam, In, hæc iam non placent. Quia in eadem mensura non debent concedi cōtradictoria nec duo signa, In, contradictio nem inuoluentia, sed vnum solum et in illa mensura solum debet dici esse formam quæ procedat à priuatiuo, vt à principio a quo vel ex quo sicut lumen in instanti illuminationis procedit ab illuminante vt à priori à quo non vt à priori in quo. Quod etiam fusius explicamus infra tract. sequenti. Quæstione 3. de motu art. 1. vnde huc quæ ibi dicuntur possunt accersiri, et hæc iuxta hunc secundum modum: secundum autem modum prioris magis dicēdum est priuationē esse principiū immediate &c. immediate ante momentum generationis; quoniam immediate ante factę sunt dispositiones, quæ completę sunt extrinsece, et tunc satis dici debet aptum; et dispositum subiectum ad accipiendam formam, non pro ea mensura; sed pro mensura immediatè sequenti.

Art. 4. vtrum vna priuatio sit principium omnium generationum, & quomodo sit principium.

NEgatiua sententia est communis. Pro contraria affirmatiua sunt hę rationes.

Prima priuatio est negatio cum aptitudine; sed in materia est vna potētia et aptitudo & vna negatio; ergo est vna priuatio.

Secunda ratio. Omnis priuatio est principium generationis vt terminus à quo; ergo est vna priuatio.

Tertia Nihil non habet per quod multiplicetur; sed priuatio formaliter est nihil ergo multiplicari non potest; ergo priuatio est vna pro omnibus generationibus.

Con-

Contrarium probant hę rationes.

Prima si vna priuatio sufficeret pro omnibus generationibus hæc esset formæ secũdum se acceptæ; sed hæc neque est in materia, neque potest esse principium generationis; ergo vna priuatio non sufficit pro omnibus generationibus, probatur minor quoad primam partem; quia materia semper est cum aliqua forma; ergo non potest esse priuata forma secundum se; quia ratio formæ secundum se saluatur in qualibet forma; probatur eadem minor quoad secũdam partem; quia illud est principium generationis ex quo fit generatio; sed generatio v g. ignis, et idē est de reliquis non fit ex non esse formæ secundum se, sed ex non esse ignis; ergo priuatio formæ secundum se nō potest esse principium generationis.

Secunda ratio. omnis generatio debet esse ex aliquo principio, determinato, sicut ipsa est determinata generatio: ergo omnis generatio est ex aliqua particulari priuatione, puta generatio ligni ex non esse ligni, et sic de cœteris.

Tertia ratio. dispositiones ideo introducuntur in subiectum; antequam generetur forma substātialis, vt subiectũ fiat proxime aptum ad suscipiendā formā generandam; ergo in generatione subiectũ transit ex illo nō esse, ad quod determinatũ est per dispositiones; ergo principiũ generationis est illud determinatũ nō esse, ac proinde priuatio particularis; nō igitur sufficiet vna priuatio pro omnibus generationibus.

Pro solutione.

Notandum, quod licet materia secũdum se sit vna, vt tamen iam est sub varijs dispositionibus, et formis diuisa est multiplex; vnde est vt dicere nō sit nec esse priuationē esse vnā, quia vnum sit subiectum vlterius, cum priuatio habeat esse per non esse formæ, distinctionem etiam habebit per non esse formæ; quia per illud res habet distinctionem, per quod habet suum esse; cum autem formæ multiplicentur necesse quoque est ipsam priuationem multiplicari; verũ cum multiplicatio sit ex vnitatibus, vnitas autem sit multiplex, generica, specifica, numerica; vnitatem genericam habebit priuatio per ordinē ad formā in genere, quatenus scilicet est priuatio formæ in genere, vnitatē specificā habebit in ordine ad formā specificā, et sic in quocumque subiecto priuationes formæ ignis cēsebuntur eiusdē speciei, quantũ speciē habere potest nō ens, et negatiuũ; ac vnitatem numericam habebit priuatio et in ordine ad subiectum, et in ordine ad formam; magis autem in ordine ad formam, cum hoc sit principale, et quasi essentiale; vnde est vt in eodem subiecto possint saltem successiuè eiusdem speciei esse plures numero priuationes ad plures, et varias formas; quamquam in subiecto cũ varie formæ pręsupponant varias dispositiones etiam quoad subiectum ratione dispositionum possunt esse quodāmodo multiplices priuationes, ex his cōcludi potest, quod omnis generatio rerum naturalium fit ex vna priuatione genere, sed ex diuersis specie, et numero; et quoniam in generatione attendi debet vltimum distinctiuum, et constitutiuum; per quod est hæc generatio distincta ab illa; ideo simpliciter necesse est diuersam esse hanc priuationem, vt principium huius generationis ab omnibus alijs, et sic pro multis generationibus assignari debent multæ priuationes non vna: porro in generatione priuatio non potest esse principiũ nisi vt terminus à quo; nā nō potest esse principiũ materiale, et subiectiuũ; quia hoc manet in generatione sub forma priuatio transit; sed multo minus potest esse principiũ formale, quod in generatione est terminus ad quem, quia priuatio formaliter est carentia formę; restat ergo vt sit principium vt terminus à quo; quāquā aduertendum est, quod sicut non omnis mutatio est generatio, ita non in omni mutatione priuatio est principium vt terminus à quo, sed solũ in generatione, in alijs vero mutationibus deperditiuis, et corruptiuis, cum subiectum transeat ab esse formæ ad non esse formæ, terminus à quo est ipsa forma, terminus ad quem est priuatio formæ; erit ergo priuatio in mutatione vniuersa accepta tum terminus à quo; tum terminus ad quē, terminus à quo in mutatione acquisitiua, & perfectiua, qualis est generatio, terminus ad quem in mutatione deperditiua, qualis est corruptio; ita autem priuatio est principiũ mutationũ, vt existimādũ nō sit eā esse principiũ mutationum per accidens; nam per accidens; siue contradistinguatur ad id, quod est per se, et significet

quando est forma, sed antequam sit forma, quamquam D. Tho. videtur velle philosophum ibi quoque intellexisse de priuatione
Primo phy. Tex. 66. formæ corruptæ; est autem priuatio idem numero cum materia eo modo, quo dicuntur vnum esse cum subiecto accidentia, seu illa, quæ respectu subiecti habēt se per modum accidentium; quoniam inter numerādum non sumuntur vt distincta, vt ibi dicit philosophus.

Obijcies secundo. Illud, quod præcedit ipsum fieri rei naturalis, & est necessario coniunctum principio subiectiuo principali, & per se ipsius fieri, est solum principiū dispositiuum ipsius fieri, & non per se; sed priuatio est huiusmodi; ergo priuatio non est principium per se generationis. respondeo dicendum, quod illud, quod est coniunctum principio subiectiuo principali, vt quid requisitum ab ipso, nec habens diuersam rationem principiandi ab ea, quam ipsum dicit, non est principium ab ipso distinctum; at illud, quod licet sit coniūctum alicui principio principali, habet tamen diuersam rationem principiandi, erit principium distinctum; huiusmodi autem est priuatio, quę licet sit coniuncta subiecto, habet tamen diuersam rationem principiandi ab ipso.

Obijcies tertio quod in mutatione deperditiua priuatio non sit terminus ad quē, ille est terminus ad quem, ad quem subiectum transit; sed subiectum in dicta mutatione non transit à forma ad priuationem; ergo priuatio non est terminus ad quem, maior patet, minor probatur; quia si transiret à forma ad priuationem remaneret in subiecto aptitudo ad formam corruptam; priuatio enim dicit aptitudinē ad formam, cuius est priuatio; sed subiectum non habet aptitudinem, & potentiam ad formam corruptam; quia ad corruptum naturaliter nō datur regressus; ergo in dicta mutatione non transit à forma ad eius priuationem, ac proinde priuatio non est terminus ad quē.

Respondeī primo potest, quod ex dictis supra ad priuationem simpliciter non requiritur aptitudo, quæ possit reduci ad actū cū etiā dicatur priuatio de subiecto, quod non est aptum secundum se, & solum includit genus, quod in aliquibus alijs dicit aptitudinem, vt patet in talpa, qui dicitur cœcus; sufficiet ergo vt priuatio dicatur terminus ad quem mutationis deperditiuę potentia vniuersalis materię ad omnes formas cum negatione formæ corruptæ, quę potentia cum amissa non sit, vt pote à materia inseparabilis constituet priuationem, non proximam, ex qua procedi possit ad actum, sed remotam, à qua non semper ad actum progredi potest; neque enim necesse est vt ab omni priuato transiri possit ad actum, cum aperte pronunciauerit in post prędicamentis Arist. & à philosophis communiter sit acceptum à priuatione ad habitum non dari regressum; quod pronunciatum saluari debet in aliqua priuatione.

Secundo responderi potest ad obiectionem in mutatione deperditiua terminum ad quem vere esse priuationem sumptam cū omni sua proprietate; per accidens tamen esse, quod ab ea iterum procedi non possit ad actum, & hoc dupliciter; primum quidem; quoniam in natura vniuersale videtur esse statutum, vt quod corruptum est, iterum non redeat, sed vel aliud diuersum; vel aliud simile loco ipsius, secundum verò quia in mutatione deperditiua cum termino formali ad quem, qui est priuatio formæ corruptæ, iuncta solet esse priuatio formæ faciendę, quæ cum sit magis proxima, vt quæ habet maiorem, & proximiorē aptitudinem propter suas dispositiones promouentes ad actum ipsum mox introducendum, ideo excludit actum, & formam corruptam, & proximam ad illam aptitudinem, immo sępe in eo instanti fit ipsa forma in corrupto noua, quæ omnino impedit aptitudinem ad formam corruptam, & reliquam dispositionē eius excludit ab actu, per quod magis verificatur effatum illud à priuatione ad actum non datur regressus; nam præciso hoc; vniuersale non videtur axioma illud, vt cum homini abscinditur particula carnis, & incontinenti adiungitur parti, ex qua abscissa est, nam cum iterū vniatur, & viuat, vt ex multis experientijs manifestum est, in omni casu non valet, à priuatione ad actum non datur regressus, sed quando contingunt ea, quę modo dicta sunt. Itaque iuxta hunc posteriorem modū explicanda sunt assumpta in obiectione, & neganda consequentia.

Art. 5. vtrum, & quo modo distinguatur priuatio à materia, & à forma.

QVod priuatio à materia non distinguatur his probari videtur rationibus.

Prima ab auctoritate philosophi, qui vt diximus priuationem vnum esse dixit cū materia; Ergo ab ea non distinguitur; neque enim distingui possunt, quæ sunt vnū.

Secunda. Priuatio includit ipsam materiam; ergo ab ea distingui nō potest. Quod includat materiam patet; Quia includit aptitudinem ad formam, quæ identificatur cū materia. Confirmatur; Quia priuatio supra subiectum nihil addit positiuum, ac proinde vt excluditur à subiecto, nihil est; nihil autem sufficiens fundamentum ad distinguendum non habet; Quia omnis distinctio est per aliquid.

Ergo.

In contrarium, quod distinguatur, hæc probant.

Primum. rerum naturalium ex dictis in fieri tria sunt principia; Ergo priuatio à materia & forma distinguitur. Patet consequentia; Quia si non distingueretur, restarent duo tantum principia, materia & forma.

Secundo. lib. 1. Tex 65. materia & forma sunt per se principia geniti; sed priuatio non est principium per se rei genitæ: sed solum per accidens, Quatenus scilicet accidit subiecto, ex quo fit generatio: Ergo priuatio distinguitur à materia & forma.

Tertio. Tex. 67. Priuatio contrariatur formæ; Ergo non est idem cum forma, sed ibidem materia non contrariatur formæ: Ergo priuatio à materia & forma distinguitur.

Quarto. Tex. 79. materia est non ens per accidens, priuatio autem per se: Ergo non sunt idem. Præterea materia subiectum & substantia est, non est substantia priuatio.

Quinto. Tex. 81. Materia appetit formā; Priuatio vero nequaquam; Quia contrariū non appetit suum contrarium: Ergo priuatio distinguitur à materia et à forma.

Sexto. Tex. 82. Materia per se non corrūpitur; Quia manet in composito, & est id, ex quo inexistente fit: Priuatio per se corrumpitur per aduentum scilicet formæ, cuius est priuatio; Ergo priuatio non est materia, neque forma.

Pro solutione.

Notandum, quod vnitas, & distinctio sequitur ad esse, cum ergo esse priuationis sit negatiuum, esse materiæ, & formæ sit positiuum, necesse est priuationem distingui et à materia, & à forma: hæc autem distinctio non est solum per rationem, vt patet; Quia reperitur in re, etiam præcisa ratione; in re autem distinctio est realis. Sed considerandum est, quod aliquid potest dici reale dupliciter, reale scilicet positiuū, quod proprie reale est, & reale negatiuū, quatenus videlicet vere in re est negatio alicuius entis realis, et habentis ad esse fundamentum, siue potentiam; distinctio ergo priuationis à materia, & à forma est realis; sed talis neque pure positiue, neque pure negatiue dici potest. Ex parte priuationis est realis negatiua, ex parte materiæ & formæ potest dici realis positiua. distinguitur præterea priuatio à materia, & forma essentia; Quia diuersa est ratio priuationis à ratione materiæ & formæ, ac proinde formaliter diuersa est.

Quare.

Dicendum priuationem distingui à materia, & à forma, & realiter, & formaliter. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur de distinctione reali. Quia, quæ à parte rei possunt ad inuicem separari, & non solum connotatiue, illa distinguūtur realiter; sed materia & priuatio ad inuicem separantur, cum remaneat materia sublata priuatione; Ergo distinguitur realiter. Præterea. illa non possunt esse idem realiter, quorum vnum remouet formam, alterum formā suscipit, sed à materia priuatio remouet formam, materia vero illam suscipit; Ergo non possunt esse idem realiter. Quod & confirmatur de forma; Quia oppositio realis necessario versari debet inter extrema realiter distincta; talis est oppositio priuatiua, quæ est inter priuationem & formam; Ergo priuatio & forma realiter distinguūtur. Confirmatur de distinctione formali; Quia illa formaliter distinguūtur, de quibus diuerso

ſo modo loquendum eſt; ſed tales ſunt materia & priuatio ex Tex. 58. Ergo inter ſe diſtinguũtur formaliter. Minor probatur; Quia dicimus muſicum fieri ex non muſico, non vero dicimus fieri ex homine, cum tamen dicamus hominem fieri muſicum.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam reſpondeo dicendum, quod philoſophus ſolum vult priuationem eſſe vnum cum materia eo modo, quo cum ea vnum ſunt omnia accidentia, quatenus ſcilicet inter enumerandum non accipiuntur diſtincta; enumeramus enim concreta non abſtracta, & dicimus vnum album, & ſi albedo & ſubiectum realiter diſtincta ſunt.

Ad ſecundam reſpondeo dicendũ, quod priuatio includit materiam ſiue aptitudinem, & potentiam ipſius connotatiue, ſiue in obliquo, non vero includit in recto, & per ſe primo; ſed per ſe primo ab ea diſtinguitur. Itaque aliud eſt, quod aptitudo aliquo modo ingrediatur rationem priuationis, aliud quod priuatio ſit aptitudo, vel mãteria. Primum eſt verum, ſecundum falſum, cum ergo priuatio non ſit materia, & multo minus forma, ab eis diſtinguetur. Ad confirmationem reſpondeo dicendum, quod non ens, quod tamen eſt in re, diſtingui poteſt ab ente diſtinctione reali non poſitiua ex parte ſui, ſed priuatiua; ab ente autem eſt diſtinctio poſitiua.

Quæſtio quarta de forma.

VLtimo loco de forma agendum eſt, quia licet intentione reliquis principijs ſit prior, eſt tamen in tranſmutatione poſterior, vt quæ eſt terminus, ad quem procedit tranſmutatio; nam acquiſita forma perfecta generatio eſt, ac ceſſat tranſmutatio; pręſentibus enim habitibus vt dixit philoſophus de generatione ceſſat motus, de hac multa quærenda ſunt, quę tamen ad illa quatuor quæſita reducuntur an ſit, quid ſit, qualis ſit, & propter quid ſit.

Lib. 1. Tex 55.

Art. 1. vtrum detur forma, quæ ſit re diſtincta à materia.

AB vniuerſalioribus procedendo vidẽdum eſt detur ne aliquod principium phyſicum contradiſtinctũ à materia, quod concurrat ad res naturales conſtituendas in eſſe ſiue ſit ſubſtantiale, ſiue accidentale. Sunt duæ ſententię, vna affirmatiua communis omnium penè philoſophorum, Platonicorum, & peripateticorum; altera negatiua, quę adhuc eſt multiplex, nã Anaxagoras apud Ariſt. primo Phyſi. & 1. metap. videtur ponere infinitas materias, quarum congregatione, vel ſegretatione cuncta generentur, & intereant; vnde per ſententiam Anaxagoræ tollentur omnes formæ, omneſque generationes, & cũcta fient, vel corrumpentur congregatione, vel ſegregatione. Quidã apud Scotum in ſecundo diſtinctione 12. quęſt. 1. putant in re vnam ſolum eſſe entitatem, & hanc ex illis alij vocant formam, alij materiam; Aureolus in ſecundo diſt. 12 par. 4. q. 1. dicere videtur materiam eſſe ſubſtantiam in confuſo, & potentia continentem omnem entitatem rei generabilis; formam autem eſſe illius complementum, & perfectionem intrinſecam, & ſic non diſtingui realiter ſicut nõn diſtinguitur realiter calor remiſſus à ſe ipſo intenſo, cum ſit eadem res, & intenſio ſit intrinſeca ipſius perfectio.

Pro hac ſententia ſunt hę rationes.

Prima. Si materia, & forma ſunt duę entitates, vel vnum accidens erit in duobus ſubiectis, vel in eodem compoſito erunt duo accidentia eiuſdẽ ſpeciei, vt duæ quãtitates, quod probatur; nam vel vna quantitas eſt in materia, & forma, & ſic vnum accidens eſt in duobus ſubiectis, vel vna quantitas eſt in materia, alia in forma, & ſic duo accidentia eiuſdẽ ſpeciei ſunt in eodem compoſito; non ergo forma eſt entitas diſtincta à materia; ſed materia, & forma ſunt eadem entitas.

Secunda ratio. forma dat eſſe, vel igitur hoc eſſe, eſt ipſa forma, vel aliquid diſtinctum ab ipſa forma; ſi primum; ergo forma eſt intrinſeca ipſi materię; ſi ſecundum erunt in compoſito tres entitates.

Tertia ratio. si forma differt realiter à materia, ergo creatur; quia illud dicitur creari, cuius nihil præexistebat in re. nec dici potest, quod educatur de potentia materiæ; quia educi de potêtia materiæ vel est formas præfuisse in materia; vel in materia recipi; si primum formæ non distinguentur à materia; quia quod est semper in ipsa dici non debet ab ipsa distingui; si solū recipitur hoc non tollit, quin forma creetur; quia quod fit ex nihilo, etiāsi in alio ponatur creatur.

Quarta ratio. quantitas acquirit figurā, & si nihil reale acquirat à se distinctum; ergo & materia acquirens formam nihil reale à se distinctum acquiret. Contrarium tamen verum est, & probant hæ rationes.

Prima nihil est simul principium actiuū & passiuum, presertim passione transeunte sed in subiectis physicis materia est principium passiuum; ergo dabitur forma ab ipsa distincta, quæ sit principium actiuum; minor patet ex dictis de materia; maior probatur; quia manente eodem principio passiuo, res naturales nonnunquam amittunt principium actiuum; patet in aqua calefacta cum fuerit facta frigida; idem cernitur in ligno, in lapide in ferro calido, quæ amittunt calorem, & frigescunt; vnde nec amplius possunt calefacere; cum tamen remaneat idem subiectum passiuum.

Secunda ratio. in viuentibus, & animalibus parua sæpe, ac ferè nulla facta mutatione in subiecto ex parte præcisè subiecti amittitur vita, amittuntur operationes vitales, nutritio & omnes sensationes, visio, auditio &c. Ergo diuersum est principium à quo fiunt huiusmodi operationes à subiecto materiali, quod est tantum principium passiuum; sed tale principium est forma; ergo verè datur à materia forma distincta.

Tertia ratio. materia est essentialiter potentia, ac proinde quid imperfectum, & turpe, vt ait Philosophus; forma est essentialiter actus, & pulchrum, seu perfectio; sed idem esse nō potest imperfectū, & perfectū, turpe & pulchrum; ergo debet dari forma cōtradistincta à materia, quæ sit ipsius perfectio; & pulchritudo.

Pro solutione.

Notandum, quod sicut materiā indagauimus ex trāsmutatione ita ex eadem possumus inuestigare formam, nam cum in natura videamus subinde mutari res, & ex vna fieri aliam, sicut necessario datur subiectum, quod ex vno transeat ad aliud, ita debet dari aliqua forma, quæ sit terminus, ad quem transit subiectum, & cuius gratia fiant huiusmodi mutationes, nisi enim aliquid esset, quod acquirere deberet materia materia non transiret ex vno ad aliud, vt puta ab esse ligni, sub quo erat antequam fieret ignis, ad esse ignis, & si esse calidū, non adderet perfectionem, & entitatem supra subiectum non posset mutari aqua ab esse frigido ad esse calidum; ex mutatione ergo conuincimur esse aliquid in natura distinctum à primo subiecto, quod cum sit pulchritudo, & perfectio ipsius, sit finis, & terminus mutationis, hoc autem non est aliud quam forma. vlterius formas varias inter se, & à materia distinctas inuestigare possumus ex varijs operationibus, quas in natura cernimus; nam cū propter transmutationē ex vno in aliud debeat dari vnum primum subiectū in omnibus rebus ad inuicē trāsmutabilib⁹ eiusdē rōnis; è cōtrario ꝓp varias, & diuersas operationes necesse est assignare varia principia à primo subiecto distincta, quæ sibi has operationes deposcant, & quarum sint principium eliciuum; vnde necesse est præter primū subiectum passiuum concedere in rebus naturalibus varia principia actiua, quæ principij passiui actus, & perfectiones sint: huiusmodi autem principia appellamus formas. Quare.

Dicendum dari formas re distinctas à materia, patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur experimento sensuum; nam in eodem aere aliquando videmus lumen, aliquando non videmus; in eodem pomo videmus successiue varios colores; sentimus frigus, & calorem, & alia huiusmodi, quæ nō possunt esse subiectum ipsum, quod perpetuo idem est; ergo dantur formæ, quæ accedant, & recedant ex eodem subiecto, ab eodem subiecto re distinctæ. Adde hanc veritatem euidenter confirmari ex formis animatorum; sed maxime ex anima rationali, quæ proculdubio neque est, neque idem esse potest cum corpore, cum sit ipsius perfectio, vt qua præsente bene habet, viuit, multa operatur &c. Ergo dantur formæ re à materia distinctæ.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod quamquam alibi determinandum est vtrũ accidentia sint in materia, an in toto composito, tamen in vniuersum dici potest aliqua esse in materia, aliqua in toto composito; neque ex eo quod aliqua sint in materia puta quantitas, debent in eodem composito multiplicari quantitates; nam quantitas primo extendit materiam, cui extensæ cum adueniat forma, debet necessario sine vlla alia quantitate cum materia coextendi; neque etiam ex eo quod aliquod accidens sit in toto composito erit in pluribus subiectis; quoniam est in toto composito, vt habet modum vnius, & vt partes ipsius vnitæ sunt in vnum; vnde est in toto composito vt in vno; quare in forma ad argumentum negatur vtraque sequela; ad probationem patet ex dictis, neque vnam quantitatem futuram in duobus subiectis, neque in eodem composito futura plura accidentia eiusdem speciei: quamquã de hoc est ét aliqua q̃stio, de qua alibi.

Ad secundam respondeo dicẽdum quod esse, quod dat forma, est aliquid distinctũ ab ipsa forma, Vtrum autem in composito tres dici possint esse entitates apparebit postea.

Ad tertiam respondeo dicendum quod forma materialis non creatur, vt alias dictum est; sed educitur de potẽtia materię, quod quid sit patebit infra, quare ad instãtiam dicendum educi esse pręfuisse in materia potentia, & per actionem agentis naturalis fieri actu, ac proinde nõ esse solum recipi.

Ad quartam respondeo dicendum, quod alia est ratio de figura respectu quãtitatis, alia de forma respectu materię; nam quantitas cum sit moles, & extensio, & non possit esse infinita, debet habere suos terminos, quibus finiatur; qui proinde etiam si non sint distincti re ab ipsa, non arguunt tamen formam non esse distinctam à materia; quia forma dat diuersum esse materię, & diuersas operationes, quod esse non potest, nisi forma sit quid distinctum, & diuersa entitas à materia; quare ad argumentum negatur consequentia; neque illud, quod supponit sententia illa vim habet; nam forma non est complementum materię, vt pars materię, sed vt actus, & perfectio; at intensio est perfectio formæ vt noua pars ipsius, vel sicut complemẽtũ eius in esse formæ; quamquam si intensio fit per additionem gradus ad gradum aliquo modo intensio distinguitur realiter ab ipsa forma, quę intenditur, ratione scilicet nouorum graduum, qui deferunt secũ aliquid entitatis, licet hæc coalescat in vnã entitatem, & realitatem cum pręcedente.

Art. 2. vtrum detur aliqua forma substantialis.

Negatiua sententia videtur esse illorũ antiquorum, qui ponebant vnum tantum principium, & aliorum, qui materiam tantum, & accidentia in rebus naturalibus agnoscebant, de quibus Aristoteles primo Meta. & 1. phy. eadem tribuitur, Galeno, qui lib. 1. de elem. significare videtur formas elementorum esse primas qualitates; & in lib. an affectus animi sequantur temperamentum corporis, videtur docere animam esse temperamentum accidentium; eandem Simon Portius lib. 2. de prin cip. cap. 1. tribuit Hippocrati, alijsque medicis & ipsi Gal. Niphus 1. Phys. Tex. 72. tribuit cuidam Pericli Lydo; eandem sequitur aliquo modo ipse Portius, & Niphus, nã Portius existimat non posse efficaciter probari dari formas substantiales, Niphus vult nisi esset anima rationalis, cuius operationes saluari non possunt sine forma, quę sit substantia, probabiliter defendi posse non dare huiusmodi formas.

Secunda sententia affirmatiua, quę vult dari formas substantiales est communis, quam tradunt Plato, & Arist. pluribus locis, & sequuntur Platonici, Peripatetici, & Scholastici communiter contra eam tamẽ faciunt hæ rationes.

Prima. Substãtia dicitur; quod per se subsistat, & sustentet accidentia; sed nulla forma per se subsistit; quia omnis forma ponitur esse in materia, vt in subiecto; nec sustentat accidentia: quia accidentia educuntur de potentia materię, ac proinde in illa sustentantur; ergo nulla est forma substantialis.

Secunda ratio. principium proximum generationis alicuius formę, & compositi debet

debet esse eiusdem rationis cum forma genita; at principium proximum sunt accidétia; ergo & formæ genitę non sunt nisi accidentia.

Tertia ratio. omnis forma debet esse in agente vel nobiliori modo, vel certè æque perfecto, ac est in re genita; sed si dantur formæ substantiales hoc non potest esse; ergo non dantur; maior patet; quia omne agens agit in quantum est actu, & continet vel formaliter, vel eminenter id, quod agẽdo producit; secus enim non produceret; minor probatur; quia generantur viuentia à cœlo, illa scilicet, quæ generantur ex putri materia, sed cœlum non est viuens, vt patet; ergo si viuentia sunt talia per formã substantialem, producentur à se minus perfecta, quę talem formã nec eminenter, nec formaliter cõtineat, quod est impossibile.

Quarta ratio. Si debet dari forma substãtialis in rebus naturalibus maxime quia, vt dictum est, & videtur significare Auerroes actio & passio non possunt prouenire ab iisdem principiis; sed ad actionem, & passionem sufficiunt materia, & accidentia; ergo propter actionem, & passionem non possunt poni formæ substantiales; minor probatur, quia ad calefaciendum non apparet quid requiratur preter subiectum, & calorem, quod idem dico ad frigefaciendum &c. ergo omnes actiones & passiones saluantur per materiam, & accidentia; frustra igitur ponuntur formæ substantiales.

Quinta ratio. si darentur formæ substantiales se manifestarent, & possent per se ab intellectu cognosci, sicut cognoscuntur formæ accidentales; sed formæ substantiales non apparent, nec aliud se manifestat intellectui, quam subiectum, & accidentia; ergo non dantur formæ substantiales.

Sexta ratio. nulla est ratio, cur poni debeant formæ substantiales; nam vel poni debent, vt dent esse materię, & hoc nõ; quia materia habet suum esse substantiale, & frustra in eadem re ponuntur duo entia substantialia, & duæ substantiæ; vel poni debent propter distinctionem rerum, at distinctio rerum sufficienter saluatur per accidẽtia; immò distinctio formarum substantialium ex illis, qui illas astruunt, oritur ex distinctione accidentium, & dispositionum; vel poni debent, vt multa accidẽtia, quę sunt in eodem subiecto habeant, à quo contineantur & conseruentur, & hoc non; quia potius formæ substantiales, si dãtur, conseruantur & continentur in materia ab accidẽtibus: nam corruptis dispositionibus corrumpitur compositum; vel demum propter operationes, & nulla est operatio, quę non fiat ab accidentibus; nulla igitur est ratio, quare poni debeant formę substantiales.

Contrariam pro forma substantiali probant hę rationes. Prima. Res naturales inter se essentialiter distinguũtur; ergo non sũt sola materia, sed debet dari forma substantialis, per quam distinguantur; probatur consequentia; quia in materia omnes res naturales cõueniũt: per accidẽtia res naturales essẽtialiter distingui nõ possũt, quia accidentia sunt extra essentã rerũ, & sunt quid ignobilius ipsa essentia, & substantia rerum; necessario ergo dari debent formæ substantiales, per quas distinguantur.

Secunda ratio. qualitates contrarię reperiuntur vnitæ in multis rebus naturalibus, vt in mixtis, & viuentibus; vel ergo de se vniuntur, & hoc non; quia sunt contrarię; vel vniuntur ratione principii materialis, & hoc non; quia contraria circa principium materiale, & subiectiuum se expellunt; restat ergo vt vniantur, & conseruentur tanto tempore in subiecto, propter aliquod aliud principium, quod non potest esse nisi forma substantialis; quia nihil aliud restat; ergo dantur formę substantiales.

Tertia ratio. res naturales sunt in genere & prędicamento substantię; ergo per aliquod principium substantiale, hoc non est materia; quia est omnibus communis; Ergo erit forma aliqua substantialis.

Quarta ratio. in transmutatione substantiali impossibile est rem totam de nouo fieri; quia aliter ignis non magis postularet ligna ad producendum alium ignem; quàm quamcunque aliam rem; nec esset ratio cur antequam produceret nouũ ignẽ calefaceret ligna, & illa corrumperet, quid enim totalis corruptio lignorum facere potest ad productionem noui ignis? debet ergo tantum corrumpi forma lignorum, & in materia remanente produci forma ignis dãtur ergo formæ substãtiales, quæ in trãsmutationibus substantialibus producãtur.

Quinta ratio. si nõ dantur formæ substã-

tiales

tiales nulla est ratio, cur ignis postulet caloré,& siccitaté;aqua frigus,& humiditatem; cæteræque,res naturales tempe ramenta,& dispositiones varias;nam non possunt postulare ratione materię,quæ in omnibus est eadem, & modo est sub illis dispositionibus, modo sub his; ergo restat,vt id postulent ratione formæ substantialis; dâtur ergo formæ substantiales.

Pro solutione.

Notandum, quod existentia formarum substantialium in corporibus naturalibus euidenter ostenditur ex multis principijs; nam primo id conuincit generatio substantialis; cum enim videamus in natura non solũ dari alterationes, vt calefactiones,frigefacti ones, de albationes, exsiccationes, & alia huiusmodi,quę sunt motus ad accidentia; sed etiam totales corruptiones rerum naturaliũ, & aliarũ productiones; necesse est concedere generationem esse viã ad formas substantiales,sicut alterationes, ad accidentales. Considerandum enim est, quod si per generationes non fieret acquisitio nisi accidẽtium,ex corruptione vnius viuentis non produceretur aliud, sed magis viuẽs fieri posset sine morte sẽsim aliud viuens, nam cur non possit temperaturam & complexionẽ sensim mutare,& sic aliud fieri viuens? Pręter quàmquod variæ temperaturæ inseruiunt sensui;vnde manet vita sensitiua cum omnibus illis;Igitur omnia sensitiua differrent tantum secundum accidens, nec ex vno viuente fiet aliud, nisi vt mutatur album in magis vel minus album. Adde his. Quare istæ variæ temperaturæ accidentium,quæ si non dantur formæ substantiales,constituũt substantialiter viuẽs, postulant in viuente diuersa organa, & figurationes, cum quælibet accidentium cõplexio saluetur in parte homogenea? & quo pacto illas efficiunt cum in partibus illis diuersis non eadem sed diuersa esse debeat temperatura? imo tot viuentia substantialiter diuersa in eodem essent viuente,quot partes, quia diuersæ in illis sunt accidentium crases. Deinde ex qua crasi accidẽtium in paruo quercus germine tamprocera fit arbor, tam in suis partibus varia. Hæc certe saluari non possunt per varias combinationes accidentium,cum in paruo semine, vel in paruo seminis germine tot accidentium combinationes non sint. Præterea tam in viuentibus,quam in alijs compositis multiplicitas, & diuersitas dispositionum actiuarum aperto ostendit dari formas substantiales; nam videmus stare caloré, tã cũ humiditate,quã cũ siccitate,nec tamẽ in igne stare potest cũ humiditate; datur ergo aliquod principiũ,quod in igne talẽ facultatẽ postulat, & cõnectit caloré, & siccitatem,quod non datur in aqua,quæ postulat humiditatem, & frigiditatem; sicut in aqua datur principium, quod connectit frigiditatem, & humiditatem, quod non datur in igne; quod principium cum non possit esse materia, quia materia in vtroque elemento est communis,erit forma,non accidentalis,ne procedamus in infinitum; ergo substantialis. Vlterius dari formas substantiales euidenter manifestat alia experientia, nam videmus tam in corporibus simplicibus, quàm in mextis, quod si remoueantur à suis naturalibus dispositionibus, ita tamen, vt penitus non corrumpantur, nec impediantur ab agente extrinseco, quod se reducunt ad suas dispositiones naturales:patet hoc in aqua calefacta, in ferro &c.aqua enim quãtũcũque fit calefacta, & media æstate, & magnis caloribus se reducit ad frigiditaté, quod pariter euidens est in lapide, & in ferro,etiamsi fuerit candẽs; debet ergo dari intrinsecum principiũ talis reductionis,quod vt patet non potest esse nisi forma substantialis, quod illud vlterius ostendit,quia si calefiant marmor & later, & sibi relinquantur, etiam in eodem loco magis euadet frigidum marmor, quã later; cur hoc,nisi quia forma substantialis marmoris in suo temperamento petit plus frigoris, quam patiatur in suo forma lateris? Adde,quod nunquam hieme adeo frigidũ erit lignum,sicut lapis, & inter ligna aliud est magis frigidũ alio, hoc nõ potest esse ab extrinseco;quia eodẽ tẽpore sũt sub eodẽ cęlo,neq;potest prouenire à materia; quia in hac communicant; neque potest esse ab aliqua forma accidentali;quia calor, & frigus sunt primę qualitates accidentarię;erit ergo à forma substantiali; quare cũ euidentes rationes,& experientiæ ostendãt dari formas substanttiales.

Dicendnm vere dari formas substantiales re à materia, & formis accidentalibus distinctas; patet ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ.confirmatur, quia

extra

extra controuersiam est dari in homine animam rationalem, quę non potest esse, accidens, neque enim à solo accidente potest esse vita intellectiua; sed est forma substantialis informans, vt ostendetur de anima; ergo dantur formæ substantiales. Adde quod si non darentur formæ substantiales omnes species essent aggregata per accidens, & crasis talium accidentium equus enim non esset aliud, quam materia cum aggregato talium accidentium, quod idem dico de leone, & alijs rebus naturalibus; ergo necesse est dari formas substantiales, quę cum materia vnum per se faciant, & constituant diuersas naturas substantiales, quibus tales accidentium temperaturæ conueniant. Pręterea ex dictis sic in forma potest demonstrari conclusio; vbi dantur effectus, qui pro causa non possunt habere aliud, quam formam substantialem, ibi datur forma substantialis, sed in rebus physicis dantur effectus, qui pro causa non possunt habere aliud, quàm formam substantialem; ergo in rebus physicis datur forma substantialis; maior propositio est euidens; quia est ab effectu ad propriā causam; euidens autem est omnem effectum habere aliquam causam cū nō sit à se, sed ab alio: minor probatur euidenter ex reductione rerum naturalium ad propria temperamēta, quando non impediuntur ab ambiente, de qua dictum est: secundo quia in eadem dispositione ambientis res naturales diuersimode dispositæ sunt per primas qualitates vnde positis in eodem loco aqua, & oleo semper calidius erit oleum quàm aqua, & multò calidius balsamum; eodem modo calidior erit lana, quam lapis, & inter ligna vnum calidius erit alio, vt suber multis alijs lignis; quod idē cernitur in multis alijs mixtis; hoc autem impossibile est, quod proueniat ab ambiēte, quod est idem; sed neque prouenire potest à materia prima, quæ est eadem; neque ab ipsis qualitatibus; quia de ipsis quæritur, cur non eædem sint in omnibus illis, vel æque non sint intensæ, & in eadem combinatione; maxime eodem existente extrinseco agente: restat ergo, vt id proueniat à forma substantiali. vnde posita experientia, quæ omnibus manifesta est, euidens est demonstratione à posteriori dari formas substantiales. Omnibus his addi potest argumentum ex sacra Theologia; nam in sacramento altaris omnes verè fideles agnoscunt, Corpus Christi, & quod ante consecrationem erat substantialiter panis, iam non esse panem post consecrationē, sed Corpus Christi; sed si negemus formas substantiales ab accidentalibus distinctas, non minus erit panis post consecrationem, quàm esset panis ante consecrationem, cum tangamus, videamus, gustemus eadem accidentia panis: ergo.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod licet formæ materiales per se non subsistāt (nam anima rationalis per se subsistit; quia est forma spiritualis) tamen propriè substantia sunt; quoniam sunt id, propter quod res naturales subsistunt; nam neque subsistit lignum, neque lapis nisi propter formam substantialem, ligni & lapidis, & cum proprium sit eius, quod subsistit sustentare accidentia, dicuntur etiam formæ substantiales id præstare; quando quidem per ipsas constituitur id, per quod accidentia sustentantur: sufficienter ergo formæ substantiales participāt vtramque proprietatem substantiæ per se standi, & sustentandi.

Ad secundam respondeo dicendū, quod illa ratio solū procedit de principio principali, non de instrumentali, accidentia autem in generatione sunt principia instrumentalia, quæ attingant ne productionem formæ substantialis, an non, decidetur infra.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod ratio petit decisionem à quo generētur ea, quæ producuntur ex putri, vel cum non est causa vniuoca, vel æquiuoca proximè generans, de quo suo loco: interim dicendum semper in omni generatione assignari posse causam aliquam principalem æquè, vel magis perfectam, ac genitum.

Ad quartam respondeo dicendum illam rationem, quæ impugnatur esse efficacem, si actio accipiatur in tota sua latitudine pro vt dicitur etiam de generatione substantiali; vlterius bona est illa ratio, quia licet sufficeret pro principio proximo actionum accidens, non sufficit tamen pro principio remoto; nam cur aliquod mixtum

cum purget bilem, licet reduci possit proxime in aliquod ipsius accidens, assignari tamen non potest cur tali mixto debeatur tale accidens, nisi recurramus ad formam substantialem, quod idem conuincit in alijs rebus naturalibus; nam cur magneti data est vis attrahendi ferrum &c. nisi quia forma ipsius substantialis id postulat?

Ad quintam respondeo dicendum, quod formæ substantiales non cognoscuntur, sicut accidentales; quia non cadunt immediatè sub sensum, vt accidentales; cognoscuntur tamen saltem arguitiuè, vt patet ex dictis.

Ad sextã respondeo dicendũ, quod formæ substãtiales poni debẽt propter ea, quæ diximus, nec non vt dent esse materię non quodcumque, sed specificum; nec id circo ponuntur duo entia substantialia in eadem re; quia coalescunt in vnum, & faciunt vnã integram substantiam; poni etiam debent propter distinctionem rerum, non quamcumque, sed intrinsecam, & essentialem: nam res extrinsece distinguntur per varia accidentia; & proprietates, intrinsece per varias formas substantiales, & differentias. tertia etiam causa ibi assignata habet vim; nam verè accidentia continentur à forma substantiali; dependet autem etiam forma substantialis ab accidentibus, quia naturaliter non potest conseruari in materia forma substantialis, si amittat omnes suas dispositiones, licet dispositiones non influant in formam substantialem, sunt tamen illæ, sine quibus substantialis vel à materia, vel ab auctore naturæ in materia non conseruatur. vltima etiam causa petita ab operationibus est efficax, vt ostensum est; negatur ergo, quod nulla sit causa, propter quã poni debent formæ substantiales in rebus naturalibus.

Obijcies in prædicamento substantiæ substantia non habet contrarium; sed formæ elementorum, & mixtorum habent cõtrariũ; ergo non sunt substantiæ; minor videtur esse philosophi 2. de generatione t. 24. & patet quia elemẽta sicut, & alia mixta inter se agunt, & patiuntur; quod est proprium contrariorum. Respondeo dicendum quod substantia non habet contrarium immediatè, sed solum mediate, qua ratione contrarium habent formæ elementorũ; nec aliud censendus est velle philosophus,

Obijcies 2. Arist. 2. de gen. Tex. citato expresse ait qualitates primas esse differentias elementorum, ac proinde formas; idẽ dicit eodem lib. Tex. 7. ergo. Respondeo dicendum, quod quia formæ substantiales elementorum sunt occultæ, ideo aliquando philosophus appellat primas qualitates formas ipsorum; quia ex ipsis qualitatibus deuenimus in cognitionem formarum; sicut nonnunquam non solum ibi, sed alibi pro differentijs essentialibus assignat proprietates accidentales; quia accidentales nobis sunt notæ, esẽtiales occultæ; quod autem qualitates non sint formæ elementorum, quamquam dicetur suo loco, tamen hoc tempore id experientia conuincit; quia si forma aeris, qua constituitur aer in tali specie substantiæ esset calor, & humiditas; iam à multis diebus nullum elementum aeris haberemus; nam in eo hac tempestate per frigida reperiat calorem qui potest, præsertim in summo; sane hanc in eo prædam non inueniet etiam si fuerit venaticus sagacissimus.

Obijcies tertio sect. prima problem. 42. & 43. Arist. refert virtutes medicamentorum in primas qualitates; nam problemate 42. ait eleborum, quia est calidum, & leue purgare sursum per vomitum, scammoneã vero, quia frigida est, & grauis purgare deorsum; at si darentur formæ substantiales debuisset Arist. tales effectus reducere ad ipsas, vt quæ sunt prima origo talium proprietatum; ergo non dantur.

Respondeo dicendum, quod prædictorum effectuum debuerunt assignari causę proximæ, & ratio est; quia per causas proximas propriè scimus: præterea quia vna & eadem res habet plures effectus, quorum non potest reddi ratio per solam formam substantialem, cum forma substantialis nõ sit magis causa vnius, quàm alterius: debet ergo reddi ratio per causam proximam, quod facit Arist. Adde quod si vlterius quęsitum fuisset cur eleborum sit calidum, & leue assignasset philosophus formam substantialem, quæ constituit naturam elebori. quare negatur minor, & consequentia.

Art. 3. vtrum formæ educantur de potentia materiæ, & quid sit huiusmodi eductio.

DVæ sunt sententiæ. Altera affirmat formas, quæ incipiant esse per generationem, excepta anima rationale, educi de potentia materiæ est Aristotelis & omniũ Peripateticorum communis; altera sententia negat, & vult formas accedere ad materiam ex intrinsecus videtur Platonicorum, & est Auicennæ; Auicenna enim in sua met. tractatu 9. cap. 4 et primo sufficientiæ cap. 10. vult formas induci in materiam ab agente naturali dispositam, & præparatam à quadam intelligentia inter cæteras postrema, & totius huius mundi sublunaris gubernatrice, quã appellauit Coleodeam idest datricem formarum Plato vero vt placet Aristotili censuit formas materiales deflue re in materiæ sinum ex ideis separatis.

Apud S. Th 3. cõ tra Gen. c 69 Fer ra.161. & Suar. dis. 18. met. secun. 1. Auer. 12. met com ment. 18

Pro hac secunda sententia, quatenus negat formas produci ab agentibus physicis potest esse primo. Quod si agens naturale produceret formas crearet, cum tamẽ hoc munus soli demandari debeat, primæ intelligentiæ. Secundo quod talis productio esset violenta; Quia materia haberet inclinationem ad alias formas.

Tertio. non potest explicari quid sit ista eductio; nam vel est formas latentes deducere in apertum, & tunc coincidit cum opinione Anaxagoræ; vel est materiam conuerti in formam, & hoc dici non potest; quia materia prima semper manet; vel est formam totam fieri, & recipi in materiã, & hoc est formam creari; cum ergo assignari non possit quid sit formas educi de potentia materiæ, hæc eductio nihil aliud videtur quam splendidus titulus ad tegendam ignorantiam eius, quod nescitur. Pro prima sententia affirmatiua sunt hę rationes.

Prima nisi agentia naturalia per generationem educerent formas de potentia materiæ simile non producerent sibi simile; sed id est absurdum; ergo & id vnde sequitur; sequela probatur; quia ignis, vt producat sibi simile, debet ignem producere; sed nisi ignis agens eliciat ex potentia materiæ formam ignis, non potest ignem producere; quia illud dici debet producere ignem, quod facit formam ignis in materia; nam per hoc quod forma ignis fit in materia ei vnitur, & consequenter producitur ignis; minor probatur, quia tollerentur omnes generationes naturales, & agentia naturalia non essent agentia, & principia actionum, sed tantum signa, ad quorum presentiam fierent actiones; quæ omnia in philosophia sunt absurda. necesse igitur est agentia naturalia agere educendo formas de potentia materiæ, & sibi simile producendo.

Secunda ratio. formas educi de potentia materiæ est formas fieri concurrente materia in suo genere ad illarum productionẽ; sed omnes formæ materiales hoc modo fiũt ergo omnes educũtur de potentia materiæ.

Pro solutione.

Notandum, quod negari non potest, aliquas formas educi de potentia materiæ: ratio est, quia negari non debet agentia naturalia agere; ad quid enim instructa essent tot potentijs, tot organis, tot facultatibus, si agere non deberent? si ergo conceditur, vt concedi debet, actio agentibus naturalibus, dicere necesse est aliquas formas educi de potentia materiæ; nam cum agentia ad ipsorum actiones prærequirant subiectum, signum hoc est, non posse illa suas actiones exercere sine subiecto: terminus autem actionis cum sit forma; agentia naturalia cum in subiecto agunt, ex subiecto elicient formam, & hoc ipsum est educere de potentia materiæ. Considerandum igitur est, quod agentia materialia non solum non agunt sine subiecto, sed minus, vel plus agunt, quo minus, vel magis est dispositum subiectum immutata ipsorum virtute actiua; confert ergo ad actionem subiectum; non confert autem actiuè; quia subiectum, & materia non agit, vnde restat vt conferat passiuè, passiuè autem conferre aliud esse non potest, quàm in suo ordine ad actionem concurrere cum agente naturali; cum ergo actio agentis naturalis materialis in fieri dependeat à materia, ab eadem in fieri pendebit terminus actionis, qui est forma; at forma, quæ in fieri, & in

esse

esse dependet à materia dicitur educi de potentia materiæ; quoniam priusquàm forma esset in duplici potentia continebatur in actiua agentis, & in passiua materiæ patientis; ex potentia actiua agentis non dicitur educi; quia potentia actiua actione transeunte, de qua fere hic est sermo, agit extra se; vnde cum habeat terminum in subiecto à se distincto non dicitur terminus de ipsius potentia educi, sed ab ipsa produci; at cum forma fiat in potentia passiua subiecti, concurrente, vt causa, ipsa potentia passiua, in ea fit in actu, quod prius, præcedebat solum in potentia; formam autem fieri in actu in materia, quæ in ea præcedebat in potentia; est educi de potentia materiæ.

Quare.

Dicendum formas, quæ fiunt ab agente naturali in materia, educi de potentia materię, patet conclusio ex modo dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur quoniam ad productionem dictarum formarum non potest dici non concurrere potentiam passiuam materiæ: ergo ex ea educuntur probatur consequentia in potentia materiæ formæ erant in potentia, postea virtute agentis fiunt, in actu; ergo educuntur de potentia materiæ.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam, & secundam patet ex dictis non creari formas, quia fiunt ab agente naturali concurrente subiecto seu materia ad productionem ipsarum; creatio vero est rei productio ex nihilo, seu nullo præiacente subiecto concurrente, vt cat sa; patet etiam formas non fieri violenter, quia ipsarum productionem iuuat subiectū seu materia; illud vero dicitur violentum, cui non solum nō opitulatur materia; sed obluctatur: nam ex D. Tho. prima secundæ quęst. 6. ar. 4. in definitione violenti non solum intelligitur negatio inclinationis, sed contraria obsistentia, & repugnantia.

Ad tertiam patet iam quid sit eductio formæ de potentia materiæ, nihil scilicet esse aliorum, quæ in ea ratione dicuntur; sed esse formas produci in materia ipsius passiua virtute cōcurrente ad talem productionem, ità vt sine tali concursu formæ per talia agentia non fierent.

Obijcies septimo Met. 29. quæ natura fiūt habent in se principium non quæ fiunt arte; ergo formarum naturalium aliquid actu in materia præexistit. Respōdeo dicendum, quod Philosophus illo loco ponit diuersitatem inter aliqua, quæ fiunt ab arte, & aliqua quæ sunt ab arte & natura; quod aliqua non solum fiunt ab arte sed etiam à casu, & natura, quatenus vna pars mouetur ad formam per aliam; quo pacto ex vna parte animalis fit aliquando sanitas, in alia parte; aliqua vero ita sunt ab arte, vt neque à casu, neq; à natura esse possint, vt domus: quare appatet philosophum nihil minus eo loco velle quam aliquid formæ actu in materia præexistere.

Art. 4. vtrum omnes formæ substantiales educantur de potētia materiæ.

Difficultas est de anima rationali, & de formis cælorum, & elementorum in prima mundi constitutione factis immediate per Deum, nam quod educantur de potentia materiæ, quando naturaliter fit aliquid aeris, vel ignis, vel alterius elementi, non potest esse difficultas, quandoquidē, & materia tempore præcedit, & concurrit in suo ordine cum tali actione, nec agens sine concursu materiæ quidquam efficere posset; educuntur ergo de potentia materiæ in tali casu. restat igitur difficultas de anima rationali, & formis cælorum & elementorum in prima mundi productione, & sane de anima rationali communis, & certa est sententia illam non educi de potentia materiæ, sed creari, de qua plura erunt dicenda in lib. de anima: de formis elementorum sunt duæ sententiæ, sententia negatiua videtur esse omnium, qui absolutè dicunt elementa fuisse creata, quod dixerūt antiqui Scholastici & S. Patres, quod etiam defendunt nostri Conimbricenses primo phy. c. 9. q. 12. ar. 5. Affirmatiua est Molinæ, Vasquez, Suarez, tom. primo met. disp. 15. sec. 3. Ruuij primo phys. trac. de forma quæst. secunda.

Pro sententia affirmatiua.

Prima ratio eductio formæ de potentia materiæ duo dicit, primū quod forma fiat

S 2 actu

actu in rerum natura cum prius solum esset in potentia materiæ; secundũ, quod dependeat in esse, & in fieri à materia, sed vtrũque habuerunt formæ elementorum in prima mundi constitutione; ergo eductæ sunt de potentia materiæ, probatur minor, nam certum primum est tunc cæpisse esse actu, cum prius nõ essent; secundo certum est illas fuisse dependentes à materia; quoniam dictæ formæ per se esse non possunt; sed vt sint & operentur requirunt subiectum, in quo sint; ergo etiam in prima ipsarum productione postularunt esse in subiecto, & ab illo dependere; ergo formæ elementorum in prima ipsarum productione habuerunt omnia requisita ad eductionem formæ de potentia materiæ, ac proinde vere affirmãdum est sic fuisse eductas.

Secunda ratio ex Suarez; formæ elementorum de sua natura præsupponũt creatam materiam per propriam, & distinctã actionem, & per aliam inducuntur etiam in prima ipsarum productione; ergo illa actio, qua inducuntur formæ non potest esse nisi vera eductio; antecedens probatur. actio illa; qua est creata materia elementorum talis est, vt vsque nunc eadem perseueret; actio, qua factæ sunt formæ, vel ex toto, vel magna ex parte cessauit; quoniam per mutuam actionem elementorum multæ partes ipsorum corruptæ sunt, & aliæ generatæ; ergo distincta fuit actio, qua creata fuit materia ab actione, qua in illam inductæ sunt formæ elementorum; patet cõsequentia, quia vna cessauit, altera adhuc remanet, dices fuisse vnam actionem totalẽ, & duas partiales, quarũ vna cessauit durãte adhuc altera; cõtra quia si ex productione formæ, & creatione materiæ fieret vna actio totalis, & nũc ex conseruatione materiæ & generatione formæ fieret vna totalis actio; sed hoc esse non potest; quia creatio, & generatio non possunt coalescere in vnã actionem, cum sint disparis rationis; ergo.

Tertia ratio ex Rubio formæ elementorum non potuerunt naturaliter produci ex nihilo per creationem totalem nec partialem; ergo non potuerunt creari; neque concreari; sed præter creationem nõ datur alia actio, vt patet, per quam potuerint fieri nisi eductio de potentia materiæ; ergo eductæ sunt ex potentia materiæ: probatur antecedens dupliciter, primum quia fieri ex nihilo est fieri independenter à materia vel subiecto; sed formæ elementorum non potuerunt fieri nisi dependenter à materia, cum depẽdeant à materia in esse; ergo non potuerunt fieri ex nihilo nec creari; secundo probatur idem antecedens; quia creari ex D. Thoma prima parte quæst. 45. art. 4. non est nisi per se subsistentis; sed formæ elementorum non sunt per se subsistentes, nec etiam incomplete; ergo non potuerunt creari; restat ergo, quod fuerint eductæ de potentia materiæ.

Pro contraria sententia negatiua probãt hę rationes. Prima. Genesis primo elementa, & cœli à Deo creata sunt, in principio enim, vt ibi dicitur, creauit Deus cœlum, & terrã; ergo formæ ipsorum fuerunt concreatæ; probatur consequentia; quia si fuissent eductæ de potentia materiæ non possent dici cæli, & elementa creata; sed genita; ergo formæ ipsorum fuerunt concreatæ probatur antecedẽs, ideo nunc aliquis ignis dicitur generari; quia forma, qua fit ignis educitur de potentia materiæ; sed tunc eodem modo formæ elementorum fuissent eductæ de potentia materiæ; ergo totum quod per talem eductionem factum fuisset vere fuisset generatum.

Secunda ratio. nunquam materia fuit in potentia ad illas formas; quia semper actu fuit sub illis; ergo formæ non fuerunt de illius potentia eductæ, probatur consequentia, quia eductio in sua ratione dicit, quod id, quod educitur, quasi extrahatur de potentia subiecti, ita vt cum prius fuerit in illius potentia, postea in eo fiat actu, ergo si materia elementorum semper fuit actu sub suis formis, formæ de illius potentia eductæ non fuerunt; quia in ea prius non fuerunt potentia, quam essent actu.

Tertia ratio. cum creatur Angelus, vel anima potentiæ eius non educuntur ex capacitate subiecti; quia concreantur, ergo multò minus dici possunt educi formæ substantiales, quæ concreantur cum materia.

Pro solutione.

Notandum, quod aliqui distingunt inter formas elementorum, & cælorum, & putant formas elemẽtorum eductas esse de potẽtia materiæ propter rationes primæ sententiæ; de formis cœlorum negant, quia cump utent materiam cælorum esse diuersæ rationis, de quo nos supra, & cum de cælo,

lo, dicunt illam materiam ex propria natura non præsupponi ad actionem, quia factæ sunt formæ cœlorum; sicut præsupponitur materia elementorum; alij vniuersè affirmant de vtrisque formis, eductas scilicet esse de potentia materiæ: quoniam ex propria natura cum sustententur in materia, & nunquam possint subsistere per se, putant hoc esse proprium illarum, vt fiant dependenter à materia, per quod dici possint de illius potentia educi, quæ quidem videntur dici satis rationabiliter; tamen considerandum est, quod ad hoc vt forma aliqua negetur cōcreari, & dici debeat educi de potentia materiæ, non sufficit, quod sit forma, quæ de natura sua sit actus materiæ, & in ea esse postulet, ab eaque dependeat; nam tunc negari posset partē alicuius totalis materialis, puta partem cæli creari siue concreari; quia pars de sua natura non vult esse nisi in toto, immo & negari posset creatam fuisse ipsam materiam, quia producta fuit cum dependentia à forma, sine qua naturaliter esse non potest, sed requiritur vt actio, qua ipsa efficitur, ita depēdeat à materia, vt agens illam non possit ponere in esse, nisi concurrat materia, non solum ad sustentationem, sed etiam ad fieri, ità vt agens de se non habeat completam vim ponendi illam formam in esse, licet habeat in suo ordine, puta in genere causæ efficiētis & materia concurrat vt causa; quare tunc educitur forma de potentia materiæ, quando agens illam producit non solū dependentem à materia, vt à comparte subiectiua, sed vt à concausa, actione intrinsecè requirente concursum materiæ, ita vt agēs non exerceat tantam virtutem, quantam requiritur ad formam simpliciter ponendā in esse, hoc autem modo non fuerunt factæ formæ elementorum, & cœlorum à Deo; nam actio, qua Deus posuit dictas formas in esse nullo modo dependebat à materia, vt è sua concausa; quia Deus in prima illa productione non habuit concausam; sed egit vt agens totale de se sufficiens ponere formas illas in esse, & per influxum adæquatum, & sufficientem, qui nullo modo indigebat influxu, & cōcursu materiæ, vt causæ; ex quo est, vt dici debeant formę illæ cōcreatæ; vnde antiqui nō dixerūt formas elementorum, & cœlorū esse eductas de potētia materiæ, sed absolutè dixerunt cum sacra scriptura dicta corpora à Deo fuisse creata, in qua locutione, si enucleatius explicetur productio in ipsa contenta, & applicetur singulis partibus illorum corporum, appellabitur concreatio; quia vtraque pars per sufficientem virtutem dictam posita fuit in esse cum dependentia vnius ab altera, vt à comparte, non vt à causa; vnde Deus non expectauit concursum materiæ, quo non indigebat, vt produceret formas; sed creans res iuxta exigentiam propriarū naturarum formas creauit in materia, & materiam non creauit sine formis, atque adeo actio propriè fuit vna, quæ posuit in esse totū compositū ex nihilo, quæ si distinguatur ratione terminorum partialium in duas actiones inadæquatas, illæ dici debēt duæ actiones concreatiuæ. & quamquam anima rationalis cum ponitur in esse, vere creetur; alia tamen productione produci videtur à productione, qua factæ fuerunt in prima constitutione orbis formæ elemētorum, & cœlorum, quoniam fit iam constituto corpore in esse, & vna totali actione sine dependentia etiam sustentationis à materia; anima enim rationalis de se subsistit; quia exurgit, & eleuatur supra materiam, vt quid medium inter materiale, & purū spirituale, & attingēs naturā spiritualiū, vt infimū spiritualis gradus; nam considerandum est, quod anima rationalis non solum habet vim vegetandi, & sentiendi, per quam constituit gradum viuentis, & animalis; sed etiam vim intelligendi, in quo proxime non communicat sensus, vt ostendetur de anima, quod signum est, cum operatio sit commensurata ad esse, animam rationalem ità esse formam materiæ, vt supra materiā penitus exurgat, & sit quoad esse ab ipsa indepēdens, licet ab eadē depēdeat quoad informationē; quia informatio non est sine informāte, & informato; vt ergo actus materiā superans petit sibi tamquam cōnaturalem modum essendi, qui sit supra materiam, qui non est alius, quam posse esse per se, ac proinde fieri vt ens per se, quod ens quoties totum ex non ente producitur propriè creatur; productio igitur animæ rationalis est creatio, productio formarum cælorum, & elementorum fuit concreatio.

Quare.

Dicendum in prima constitutione orbis

for-

formas elementorum, & cœlorum esse cõcreatas, cum cæteræ formæ substantiales, quæ successu temporis fiunt in nouis generationibus educantur de potentia materiæ, animam autem rationalem semper à Deo creari, quãdo generatur homo, prima pars conclusionis patet ex dictis, & confirmatur, quia si formæ illæ essent eductæ de potentia materiæ potiùs dici deberet cælum genitum,& terram genitam,quàm vt dicit scriptura creatam, probatur quia per illã actionem dicitur totum fieri, per quã producitur forma in materia, cũ eo ipso quod forma est in materia consurgat totum, sed illa productio fuisset generatio; quoniam fuisset eiusdem rationis cum illis, quibus nunc fiunt formæ materiales in materia; ergo verè cœlum, & terra generata fuissent, quod est contra scripturam, nam quod dicũt aliqui generationem esse mutationem, mutationem esse transitum subiecti,ab aliquo non esse ad esse,non tollit difficultatẽ; tum quia verè materia transisset à non esse elemẽti, & cœli ad esse elementi,& cœli; tum quia si sufficit prioritas naturæ ad saluandam eductionem, potest etiam sufficere ad saluandam generationem.

Secunda Pars conclusionis de anima rationali confirmatur quoniam anima rationalis, vt ostendunt ipsius operationes, & nos fusè de anima,est ita forma materiæ, vt sit supra materiam, ergo non potest pẽdere in fieri à materia; patet consequentia; quia fieri habet se proportionaliter ad esse; ergo creatur; quia productio formæ, ad quã non concurrit materia,vt causa,adiuuãdo in suo ordine actionem agẽtis, est creatio; talis est animæ rõnalis,ergo productio animæ rõnalis est creatio. Accedit auctoritas Philosophi, qui non solum 2. de gener. animalium c. 3. dicit animam rationalem extrinsecus aduenire,sed 2.Phy.t 26 de hac loquens sic habet. Quomodo autem se habeat hæc separabilis, & quid sit, Philosophiæ primæ est officium determinare.

Quod autem cæteræ formæ substantiales, etiam elementares, quæ fiunt successu temporis in nouis generationibus educantur de potentia materiæ euidens est; nam in omnibus generationibus rerum naturalium,quæ factæ sunt post primam orbis cõstitutionem,ad actionem agentium naturalium præcessit subiectum, à quo tales actiones in suo ordine iuuarentur, & sine quo non fierent; ergo omnes formæ factæ per tales generationes eductæ sunt de potentia materiæ.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod vere eductio illa duo dicit, sed fieri dependenter à materia accipi potest dupliciter, primò vt forma dicatur fieri dependenter à materia, vtà comparte sustẽtante,& hoc non sufficit ad eductionem;secundò vt fiat dependenter à materia, vt à potentia eductiua,& causa,quæ scilicet iuuet actionem agentis, quæ alioquin non dicit totum influxum, quem accipit effectus; & hoc modo formam fieri dependenter à materia est de illius potentia educi; hoc autem secundum non habuerunt formæ elementorum, & cœlorum in prima productione orbis, sed solum primũ; & per hoc patet ad probationem minoris, quæ procedit in primo sensu, non in secundo; nec valet instantia, quod dictæ formæ in esse depẽdeant à materia; nam à materia multo magis dependent accidentia, & tamen si accidentia facta ex aliquo subiecto Deus transferat in aliud dici non poterit, ea esse educta de potentia huius secundi subiecti, non quod subiectum non concurrat ad sustentationẽ, ipsorum; sed quia non concurrit vt potentia eductiua ad primam ipsorum productionem; pari modo & si materia aliquo modo sustentet omnes formas materiales, vt subiectum,& potentia receptiua, tamen si illæ factæ sunt ab agente, qui ad productionem ipsarum non indiguit, neque expectauit concursum subiecti; sed ipsas & subiectum vnica actione creauit, non possunt dici eductæ de potentia illius subiecti,quod euenit in productione formarum cœlorum,& elementorum,vt proinde dici non possit fuisse omnia requisita ad eductionem de potentia materiæ.

Ad secundam respondeo dicendũ, quod in naturalibus generationibus formæ præsupponunt creatam materiam;quia ex nihilo Physice nihil fit; non tamen eam præsupponunt in productione supernaturali, & prima, qua totus orbis ex nihilo factus est; quare iuxta hanc distinctionem negatur antecedens, & consequentia; ad probationem respondeo, vt ibi dicitur fuisse vnam actio-

actionem creatiuam totalem, & duas partiales, vnde productionem formæ à productione materiæ non distingui, nisi inadæquatè, & vt quodamodo partē à parte, quod autem dicitur; quod cessauit vna, & remanet altera non habet difficultatem, quod ostendi posset multis exemplis; nam si Deus creet corpus, & postea partem anihilet, licet fuerit vna actio, qua creauit corpus, tamen cessauit actio, qua conseruabatur v. g. pars B. si hęc sit corrupta, & remanet ea, qua creata est pars A; itaque est proprium illorum, quæ tota sunt ex partibus, vt licet vnica actione fiant, quia fiunt per modum vnius, cessare tamen possit in eis actio ad aliquam partem, remanente eadem actione inadæquatè ad aliam; ad illud, quod ex responsione deducitur, tamquam inconueniens. respondeo non esse inconueniens; nam si ex re creata, id est materia, & alia re facta per eductionem, idest noua forma potest fieri vnum per se totum, vnum nimirum compositū Physicum, cur ex vtraque actione non poterit cōstitui vna actio adæquata, quantum est ex parte termini; si quidē vbi est vnus terminus debet esse vna actio, quantum actio vna dici debet ex termino; creatio autem & generatio valde sunt diuersæ rationes si spectentur penes connoratum, penes nimirum principium productiuum, & modum producendi ipsum terminum; non si spectentur penes terminum; quare ex generatione, & creatione re constituitur vna actio, sicut ex creato, & genito, formaliter tamen non constituitur; quia distinguitur penes diuersas formalitates, & connotata.

Ad tertiam negatur antecedens & consequentia ad primam probationem patet ex dictis formas elementorum & cælorum non accepisse esse eo modo dependenter à materia, qui requiritur ad veram eductionem; nam & materia accepit esse dependenter à forma, & tamen creata est.

Ad quartam respondeo veram esse doctrinam D Thomæ, ac proinde propriè loquendo non esse dicendum formas cælorū & elementorum fuisse creatas, sed concreatas, & fuisse creata elementa, & cœlos, nā neque Diuus Thom. simpliciter dicit esse creatā materiā per se sūptā, qui existimauit materiam per se sumptā neque posse creari.

Obijcies Aug. 13. Confessionum cap. 33. vult materiam de omnino nihilo mundi autem speciem de informi materia factam esse, ac proinde materiam propria productione fuisse creatam, formas vero eductas de potentia materiæ.

Respondeo dicendum, quod Augustinus explicari potest, vt explicatur à D. Thom. quod intellexerit per speciem cœli solem & astra, quæ ex cœlo facta sunt, quatenus illis datum est lumen, & lux, quæ educta sunt de potentia ipsorum; per speciem terræ intellexit varietatem hanc mixtorum, quibus cooperitur, & ornatur terra, vt sunt plantæ &c. quæ non fuerunt factæ ex nihilo omnino, sed ex ipsis elementis, quæ signantur per materiam; quare negatur illud, quod infertur: quamquam si intelligatur Augustinus, quod per speciem cœli acceperit formam cœli, & speciem terræ formam terræ voluit materiam solum præcessisse natura vt partem subiectiuam, non vt causam, & ex materia factas esse formas, vt ex sustentāte, non vt ex potentia eductiua; nam expresse ibi dicit materiam fuisse concreatam.

Obijcies secundo quod creatur non cessat ab esse, nisi per anihilationem; sed formæ elementorum corrumpuntur per actionem agentium naturalium, & mutuā actionem; ergo non fuerunt creatæ.

Respondeo dicendum, quod illud, quod creatur non cessat ab esse secundum se totum, nisi per anihilationem; quoniam creari dicitur de toto substantiali, & completo; quod vero concreatur non repugnat cessare ab esse sine propria anihilatione; & ratio est, quia ea, quæ concreantur possunt habere contrarium actiuum ratione dispositionum, sine quibus esse non possunt, eo ipso autem, quod aliquid habet contrariū actiuum est corruptibile, ac proinde naturaliter potest corrumpi, & hæc de ista difficultate, cæterum contraria sententia valde est probabilis nō solū propter auctoritatem illorū, qui eā defendūt; sed propter rationē illam petitam à natura dictarum formarū, quæ cum in fieri potuerit dependere à materia, non solum vt à subiecto sustentante, sed etiam vt à potentia eductionis, Deus autem producat res, vt videtur exigere ipsarum natura, dici potest illas eduxisse de potentia materiæ, quod si fecit, non fecit, quia ipsius actio esset per se in ordine acti-

uo inefficax ad ponendas dictas formas in esse; vel quia indigeret influxu passiuo subiecti; sed quia erat conueniens natur is terum; tamen quia vt dixi locutiones scripturæ videntur cõtrarium insinuare,& prima illa productio creatiua debuit terminari ad totum, nec non conuenientius est in prima illa molitione non expectasse Deum concursum materiæ, cum id videatur esse ex debilitate agentis; ideo in hoc placet magis loqui cum Augustino,& alijs Antiquis,& dicere formas elementorum, & cælorum fuisse concreatas, quam eductas de potentia materiæ.

Art. 5. vtrum formæ accidentales educantur de potentia materiæ vel subiecti.

Non est difficultas de formis accidentalibus, quæ fiunt per propriam productionem,& per quam immutatur subiectum, cuiusmodi sunt dispositiones materiales, & aliæ huiusmodi, sed de formis, quæ dicuntur intentionales, quæ semper dum sunt,pendent ab efficiente,vt sunt species intentionales lumen, &c. vlterius difficultas est de formis artificialibus, & tertio est difficultas de formis accidentalibus supernaturalis ordinis, cuiusmodi sunt gratia,charitas,fides,lumen gloriæ,& aliæ huiusmodi;de primis ergo formis,quę fiunt per propriam productionem, & dicuntur immutare subiectum quod educantur de potentia subiecti,præterquam quod est communis omnium sententia, probatur euidenter illa ratione; quoniam dictæ formæ dependent in fieri,& in esse à subiecto, & quidem in fieri ità, vt sine concursu subiecti in suo ordine agens nihil faceret; ergo verè educuntur de potentia subiecti.

De formis intentionalibus sunt duæ sententię. Altera, quæ affirmat illas educi de potentia subiecti est Ricardi in 2. dist. 13. ar. 2. quest. 1. Herugi dist. 18. quęst. 1. ar. 2 & quolibeto 7. q. 20. ex nostris eandem sequuntur. Suarez to. 1. met. disp. 16. sect. 2. dub. 1. Conimb. 1. Phy. cap. vlt. q. 12. art. 6. Ruuius tract. de for. q. 3.

Contraria sentẽtia negat formas dictas educi de potentia subiecti, est Ægidij in 2. dist. 13. q. 2. Soncin. 7. m. q. 8. Argentinæ, Cartusiani,& aliorum.

De formis artificialibus sunt item duæ sententiæ. Suarez. disp. 16. met sect. 2. negat illas educi de potentia subiecti Conimb. loco citato,& cum illis quidam alij. Affirmant educi cœteri communiter.

Formas etiam supernaturales vult educi de potentia subiecti Ruuius loco citato cũ Suarez. contrarium tenet Scotus cũ suis, cum quo sentiunt Conimb. 1. Phys. loco citato,& alij.

Quod formæ intentionales non educantur de potentia materiæ videntur probare hæ rationes. 1. eductio formæ de potentia materiæ fit per transmutationem ipsius; & forma, quæ educitur, licet dependeat in fieri à causa efficiente, non pendet tamen in conseruari; sed formæ intentionales non fiunt per transmutationem subiecti, & in conseruari pendent ab efficiente; ergo non educuntur de potentia materiæ; maior patet ex natura eductionis; minor etiam est euidens; quoniam per lumen, & species intentionales non alteratur subiectum; secus enim alteraretur cælum, per quod lumen traijcitur; quod deinde semper pendeant in conseruari ab efficiente docet experientia. Ergo. Fons. 5. Met. 6. qu. 4.

Secunda ratio. si huiusmodi formæ educerentur de potentia materiæ materia simul, & semel concurreret ad opposita, quod est inconueniens; ergo non educuntur de potentia materiæ; sequela probatur; quoniam ex eodem aere educerẽtur species albi,& nigri,& alia huiusmodi, quæ sunt opposita.

Quod non educantur artificiales Probatur, quod nõ fit per esse aut ꝑ propriã actionem, sed consequenter ex actione, per quã producitur aliud, non educitur de potentia materiæ, sed formæ artificiales nõ fiunt per se, sed per accidens resultant ex motibus instrumentorum, vt ex sectione, dolatione, expolitione; ergo non educuntur de potentia materiæ.

Quod non educantur de potentia subiecti supernaturales est quarta ratio. Illud non potest educi de potentia materiæ siue subiecti ad quod subiectum non habet potentiam; sed materia &c. subiecta creata non habent potentiam ad formas superna-

tura-

tuales; ergo non educuntur de potentia subiectorum; minor probatur; quoniam potentia, & actus debent proportionari; ergo potentia naturalis non potest esse ad actus supernaturales; sed naturales.

Quinta ratio formæ supernaturales dantur subiectis ab auctore naturæ vt non debitæ naturis illorum; sed supra naturam subiectorum; ergo à solo Deo creantur; patet cõsequentia; Quia Deus debet producere res iuxta ipsarum exigentiam; cùm ergo dictæ formæ non exigant pendere in fieri à subiectis, vt quæ sunt supra naturas subiectorum, non educentur à Deo de ipsorum potentia; sed ab ipso immediatè creabuntur.

Pro contraria sententia affirmatiua, & primo quod educantur de potentia subiecti formæ intentionales sunt hę rationes. Prima dictæ formæ sunt verè accidentia, & accidentia naturalis ordinis; ergo essentialiter pendent à subiecto; sed quod in suo esse essentialiter pendet à subiecto, educitur de potentia ipsius: ergo formæ intentionales educuntur de potentia subiectorum; propositio & consequentia patent; assumptum probatur; quia ad illud, quod essentialiter pendet ab ipso, subiectum habet potentiam; ergo adiuuabit actionem agentis ad illud efficiendum; sed id dicitur educi de potentia subiecti, ad cuius productionem subiectum passiuè concurrit adiuuando agens; ergo id, quod essentialiter pendet à subiecto, dum fit, educitur de potentia subiecti; essentialiter autem pendent formæ intentionales, vt accidentia naturalis ordinis, quæ essentialiter sunt entis, idest substantiæ entia; à subiectis; ergo pendent, & de illorum potentia educuntur.

Secunda ratio. ad eductionem non requiritur, quod subiectum propriè dicatur transmutari, neque quod forma, quæ educitur postquã educta est non pendeat actu ab agente; sed sufficit passiuus concursus subiecti, ergo formæ intentionales educuntur de potentia subiecti; quoniam ad ipsa subiecta passiuè concurrunt.

Pro formis artificialibus est tertia ratio, formæ artificiales non possunt non esse in subiecto; ergo essentialiter pendent à subiecto; sed ex probatis forma, quæ essentialiter pendet à subiecto, de illius potentia educitur; ergo formæ artificiales educuntur de potentia subiecti.

Quarta ratio pro formis supernaturalibus; formæ supernaturales continentur intra gradum accidentis; sed omne accidens est entis ens; ergo omne accidens dicit essentialem ordinem ad substantiam, vt ad suum subiectum; sed ex modo dictis, quod essentialiter pendet à subiecto, essentialiter educitur ex illo; ergo formæ supernaturales educuntur de potentia subiecti.

Pro solutione.

Notandum, quod necesse est educi de potentia subiecti omnem illam formam, quæ fit in subiecto, ad quam subiectum habet potentiam eductiuam; quoniam secus frustra esset illa potentia in subiecto, & cum forma sit nihil impedit, quin per talem potentiam subiectum in formam influat, iam igitur considerandum est, quod omnes formæ accidentales naturalis ordinis continentur in potentia suorum subiectorum, cuius signũ est, quod fieri non possunt ab agente nisi ex subiecto disposito: euidens hoc est, in formis intentionalibus, de quibus est difficultas; nam luminosum non potest producere lumen in quocumque subiecto, sed solum in diaphano, nec species intentionales visus producuntur; nisi in corpore illuminato, & magis intensæ hæ qualitates producuntur in propinquo, quam in remoto; necesse igitur est ad productionem dictorum accidentium dari subiectum taliter dispositum, & applicatum; quod signum est, vt dicebatur, quod continentur huiusmodi formæ intra potentiam subiecti; ac proinde quod subiectum concurrit ad fieri illarum, vt negari non possit, verè illas educi de potentia subiecti; & hoc ipsum valet de formis artificialibus; nam figura statuæ non fit in aqua, vel alio corpore fluido, sed in ligno, vel alio corpore solido; pendent ergo huiusmodi formæ à dispositione subiecti; vt proinde necesse sit dicere illas cõtineri intra potentiã materiæ, cũ ad eas requirat debitas dispositiones; præterquã quod formæ

artificiales si appellentur omnes, quæ in subiectum inducantur per artem, sunt multæ, quæ nullo modo differunt à formis naturalibus; nam per artem inducuntur multæ formæ substantiales, non quidem immediatè, sed quatenus per artem applicantur actiua passiuis, dictæ autem formæ necessario educuntur de potentia materiæ, vt patet in multis mixtis factis per medicinam & in viuentibus genitis per artem, vt in pullis, qui excluduntur non à matre, sed à calore per artem applicato; solum difficultas esse potest de figuris quantitatiuis, quæ communius appellantur formæ artificiales, vt sunt formæ statuæ, & aliæ huiusmodi, & istæ etiam dici debent educi de potentia subiecti, non solum quia non differunt propriè ab alijs figuris in quantitate factis à natura; sed etiam quia si dictæ figuræ sunt quid distinctum à quantitate vt finita, & terminata dicunt essentialem ordinem ad subiectũ, à quo resultant, vt proinde esse non possint nisi ex ipsius potentia. De formis supernalibus est maior ratio, cur negetur illas educi de potentia subiecti; nam ad illas subiecta nullam habent naturalem potentiam; solũ ergo possunt educi de potentia illorum, quatenus Deus vti illis vult vt potentia obedientiali (si quidẽ omnis creatura propter subiectionem, quã dicit ad Deum, vt Dominum, parata est, ad præstandum per ipsum quæcumque non implicant contradictionem, sicut supra dictũ est) quatenus inquam vult vti subiecto, vt potentia obedientiali passiua, ad producẽdam formam supernaturalẽ; at quod Deus subiectis sic vtatur quando facit formas supernaturales per lumẽ naturale certò sciri non potest, nisi enim à Deo reueletur, quis certò asserat cũ Deus producit gratiam in aĩa illã elicere è potentia obedientiali animæ transeat, quod Deus eleuet animam vt potentiam subiectiuam ad recipiendum gratiam; at hoc vt ex dictis patet non sufficit, vt dici possit, gratiam educi de potẽtia animæ, nisi addatur animam concurrere cum actione Dei passiuo influxu in ipsam gratiam, quare de hoc vix quidquam certò asseri potest; nec argumentum petitum à natura accidentis est efficax; quoniam accidens supernaturale habet duo; vnum vt debeat quidem esse in subiecto; alterum vt extrinsece aduenian subiecto, vt ipsi non debitum naturaliter, & tanquam gratuitũ donum, in primo licet videatur exigere aliquem concursum subiecti, in secundo tamen dicit non fieri ex concursu subiecti; cum petat concipi vt factum immediatè à Deo, vt donum ipsius, in aliquo tamen subiecto. quare mihi quidem probabilior antiqua sententia Scoti videtur, quam quæ à quibusdam hoc tempore defenditur, vnde existimo.

Dicendum formas naturales tàm intentionales, quàm artificiales educi de potentia subiecti; non educi tamen supernaturales, patet conclusio ex dictis, & confirmatur prima pars de formis artificialibus, quoniam vt dictum est materia habet naturalẽ potentiam ad formas artificiales ratione principij proximi, à quo sunt; licet ratione primi principipij, quæ est ars, siue quoad modum dicatur habere ad illas tantum potentiam obedientialem, re tamen vera nulla forma artificialis producitur, quæ immediatè non habeat aliquod principium effectiuum naturale; manifestum est id in omnibus, quæ fiunt per medicinam: certum etiam id est in ijs, quæ fiunt à statuaria, & alijs huiusmodi; nam immediatè figura fit ab acumine instrumenti, quod naturaliter aptum est discontinuare partes subiecti, licet requiratur motus localis, & impulsus modificatus ab arte.

Secunda pars de formis supernaturalibus confirmatur; quia educi de potentia etiam obedientiali subiecti; non bene concordat cum natura ipsarum, quæ petunt ab extrinseco aduenire subiecto, vt subiecto non debitæ; sed vt gratuitum donum super additum ipsius naturæ; ergo conuenientius est dictas formas infundi in subiectum subiecto non plus concurrente ad ipsarum productionem, quam recipiendo, quod nõ sufficit ad eductionem; vnde in communi locutione non dicimus gratiam, & alia supnaturalia dona educi de potẽtia animæ, vel potentiarum illius; sed a Deo infundi.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod ad eductionem illa duo non sunt necessaria, vnde licet formæ intentionales non propriè immutent subiectum, & semper pendeant ab agente, è subiecto tamen educuntur, cum ad ipsarum fieri concurrat subiectum

bie&tum

biectum adiuuando agens in suo ordine, vt ostendunt, quæ dicta sunt.

Ad secundam respondeo dicendum, quod formæ intentionales licet sint ex oppositis principijs, non sunt tamen oppositæ; vnde ex eodem subiecto educi possunt, cum & in eodem subiecto recipiantur; nec habet maiorē difficultatem, quod educantur de eodem subiecto, quam quod in eodem subiecto recipiantur; vnde si conceditur recipi, quod est necessarium concedere, si dantur; cōcedi etiā debet educi, sed de his alibi.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod loquendo de figura facta per artem, de qua procedit argumentum, si quid est à quantitate cum tali negatione distinctum, dici potest fieri per se; quia nulla est alia intrinseca actio in subiecto, ad quam resultet, posito quod sit quid distinctum, quamquam neque si concedatur resultare, dicendum propterea erit non educi de potentia subiecti; cum ad talem productionem, quocumque modo fiat, concurrat subiectum in suo ordine.

Quarta & quinta ratio fauet secundæ parti nostræ conclusionis, contra tamen facit quarta pro contraria sententia, Ad quam respondeo dicendum, quod omnia accidentia sunt entis ens, in quantum omnia accidentia dum sunt, petunt esse in subiecto, non sunt tamen entis ens; quod omnia sint debita alicui subiectū, cum accidentia supernaturalia ex eo, quod habent coniungere, & coaptare subiectū cum obiecto supernaturali, excedunt naturam subiecti; vnde hac de causa quoad esse, & fieri pendent immediatè & totaliter à causa supernaturali, quoad recipi, & sustentari pendent à subiecto, cui tamen gratuito dantur.

Art. 6. vtrum forma sit actus, & ratio ipsius quod quid erat &c.

Sententia affirmatiua est Arist. 2 Phys. t. 28 & 2. met. t. 2. & cæterorum Philosophorum communis.

Pro negatiua sunt hæ rationes. Prima Deus est actus, sed Deus non est forma; ergo male dicitur forma actus; male etiam dicitur ratio ipsius quod quid erat; quia ratio est definitio, sed forma non est definitio ipsius quod quid erat; quia esset definitio definitionis, ergo.

Secunda ratio. forma est quid æquiuocum; sed æquiuocum non potest definiri; ergo forma non potest definiri; minor patet, maior probatur; quia forma dicitur de intelligentijs, dicitur de perfectionibus substantialibus, & accidentalibus, quæ inter se sunt æquiuoca. Pro affirmatiua sententia sunt hæ rationes.

Prima ab auctoritate ipsius philosophi, qui loco citato definit formam substantialem rationem ipsius quod quid erat, & secundo de anima t. 2. est autem materia potentia, forma autem actus.

Secunda ratio. quidquid aduenit potentiæ subiectiuæ vt ipsius perfectio, & complemētum actuans ipsam, est actus ipsius; forma aduenit potentiæ subiectiuæ materię, vt ipsius perfectio; ergo est ipsius actus.

Pro solutione.

Notandum, quod formæ nomen non vno modo accipitur apud philosophos; nam & Metaphysicè & Physicè varias habet acceptiones; Metaphysice enim aliquando accipitur pro ipsa essentia, & natura; vnde est illud D. Paul. qui cum in forma Dei esset non rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; aliquando pro intelligentijs, ità eas appellat Philosophus primo lib. m. & lib. 12. & alibi; quæ vt distinguantur ab alijs formis dici solent formæ assistentes. aliquando formæ appellantur differentiæ propter similitudinem, quam habent cum formis informantibus; nam sicut genus, quia est quid potentiale incompletum informe & determinabile dicitur materia metaphysica; ità differentia, quia est quid actuale completiuū, & determinatiuū generis dicitur forma metaphysica, de his formis hic non agimus; aliter ergo forma physicè accipitur, nec vno modo; nam alia est accidentalis, alia substantialis, prætermittimus formas informantes supernaturales, quæ non sunt physicæ, cum non debeantur naturæ vt sic; hic agimus de forma substantiali physica, quæ dici solet, vt distinguatur ab alijs, forma substantialis informans, & de hac quærimus quid sit, quod vt facilius assequamur nonnulla no-

mina, quibus appellata est à sapientibus in medium sunt afferenda. Plato igitur 7. de republica formam substantialem appellat diuini imaginem exemplaris rebus impressam, in Timæo appellauit diuinam prolem, verè existentium simulacrum, & diuinæ naturæ participatam similitudinem idem Pla. ex Arist. 1. phy. tex. 32. formam nuncupauit vnum, quia dat composito vnitatem, ipse vero Arist. omnibus his nominibus formam appellauit scilicet speciem. secundo Phy. t. 10. & 12. quia est pulchritudo compositi, vnde 1. Phy. t. 81. dicitur pulchrum; rationem vocauit 2 Phy. tex. 28 7. met. & 8. & alibi, vel quia ab ipsa forma potissimum sumatur definitio, quæ dici solet ab Arist. ratio, vel quia sicut ratio est perfectio hominis, ità forma materiæ & compositi; vel quia ex forma maximè proueniunt formalitates, seu rationes intelligibiles. appellauit actum secundo de anima textu secundo, & octauo Metaphs. text. quinto. 15. & 26. quia actuat materiam, & facit vt compositum, quod ante ipsam materiam solum erat potentia, fit actu: habitum dixit primo de gen. tex. 55. habitibus præsentibus cessat motus, & in post prædicamentis de forma loquens ait. à priuatione ad habitum non datur regressus; dicitur terminus 4. Phy. & 5. Metaphisicæ, quia terminat materiam, quasi in se indeterminatam, & incompletam, appellatur endelechia 2. de anima text. 7. quod verbum volunt Interpretes ab Arist. fuisse inuentum, de qua voce Peripatetici multa, nos fortasse alibi: appellatur substantia 2. de anima tex. 2. & 7. quia est præcipua pars compositi substantialis Physici; dicitur vltimo exemplar, seu idea 2. Phy. tex. 28. quia vt annotat Auerroes 12. met. commento 18. res dum per formam operantur, ità ordinatè operantur, ac si per exemplar perfectissimum operarentur. omnia dicta nomina aperiunt aliquo modo naturam formæ, sed nullum illam perfectè definit; vnde considerandum est, quod sicut materia est essentialiter potentia subiectiua substantialis, ex qua prima inexistente fit aliquid; ità forma essentialiter esse debet actus informans substantialis, ex qua cum insit in materia, fit vnum completum substantiale, ac proinde bene forma per actum substantialem informantem definietur, quæ etiam per ordinem ad compositum bene dici videtur ratio ipsius quod quid erat, idest compositi substantiali est forma id, quod dat quidditatem, quæ dici solet ratio; nam cum quidditas in compositis substantialibus principaliter fit à forma substantiali, bene dicitur ratio ipsius quo quid erat.

Quare.

Dicendum bene definiri posse formam substantialem informantem per rationem ipsius quod quid erat; siue etiam bene definiri per actum substantialem informantem, qui eo ipso quod cum materia vnitur, vnum cum illa facit. patet vtraque definitio ex dictis, & confirmatur: quia nihil est, quod prius conueniat formæ, de qua loquimur, quam esse actum informantem materiæ, & cum ea vnum substantiale constituere, per quod etiam dicitur ratio ipsius quodquid erat; aliqui tamen sic formam substantialem informantem describunt, forma est substantia incompleta, simplex, vnum ex principijs generationis actuans materiam ad constituendum vnum per se completum. dicitur substantia, quia componit corpus substantiale, vnde est in prædicamento substantiæ vt principium formale substantiæ completæ, dicitur simplex, vt intelligatur formam esse quoddam principium compositionis physicæ, ipsam tamen nullam habere physicam compositionem; additur principium generationis; quia intrinsecè requiritur ad generationem substãtialem, sine hoc tamen sufficienter intelligitur natura formæ: dicitur actuans materiam, vt explicetur proprium munus formæ, quæ non solum est principium generationis, sed etiam compositi geniti, vnde addũt illa verba. ad constituendum vnum per se completum, per quæ tamquam ad finem forma substantialis ordinata innotescit; satis tamen, & melius diffiniri videtur forma illa superiori definitione. est actus substantialis informans vnum per se cum materia constituens.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod Deus est actus vnus per se subsistens, quoniam ipsius natura consistit in actuali vita intellectuali, cum independentia ab omni alia; forma verò physica dicitur actus informans;

mans; quare iuxta hæc concessa maiore, & minore, negatur consequentia; quia actus dicitur multis modis; unde secundum unã acceptionem dicitur de forma physica informante.

Ad secundam respondeo dicendum, quod forma accepta secundum omnes significationes, quas habet, non potest definiri; quia verè est æquiuoca; at forma accepta restricta ad formas physicas informantes non est æquiuoca; vnde potest definiri.

Obijcies. definitio est per genus, & differentiam; sed entia incompleta non habent genus & differentiam; ergo forma quæ est ens incompletum, non potest definiri. Respondeo dicendum, quod per genus & differentiam, sicut supra de materia diximus, solum procedunt definitiones entium completorum non incompletorum, ad quorum definitiones sufficit aliquid proportionale cum genere & differentia, quod reperitur in allata definitione; nam forma in actu conuenit cum multis alijs, in ratione informantis conuenit cum accidentibus, & distinguitur ab omnibus actibus per se subsistentibus completis; nam anima rationalis est quidem actus etiam per se subsistens, sed tamen est informans; Quia de se est quid incompletum ordinatum ad complendum & constituẽdum vnum cum corpore: per reliquas particulas distinguitur à formis accidentalibus, & ab omnibus alijs, quæ non sunt formæ substantiales physicæ informantes.

Art. 7. Vtrum ex materia & forma fiat vnum per se.

Sententia affirmatiua est communis Aristotelis lib. 2. de anima & 8. Metaphysicæ, S. Thomæ prima parte quæ. 76. art. 7. Scoti 8. metaphy. cap. vltimo; Alex. Alen. 3. parte quæ. 7. membro 1. art. 1. Dur. in 2. dist. 12. q. 2. & aliorum.

Pro sententia negatiua contraria sunt hę rationes. Prima si ex materia & forma substantiali fieret vnum per se, fieret etiam ex materia & forma accidentali; sed ex materia & forma accidentali non fit vnum per se; Quia compositum accidentale est vnum per accidens; Ergo neque fiet vnum per se ex materia & forma substantiali. Probatur Maior: Quia sicut materia est potentia ad formas substantiales, ita etiam est potentia ad formas accidentales, & sicut forma substantialis est actus, ita & accidentalis: Si ergo ex forma substantiali & materia fit vnum per se; Quia vna est potentia, altera actus; fiet quoq; vnũ per se ex materia & forma accidentali.

Secunda ratio. Si v. g. ex hac materia & hac forma, ex corpore scilicet & anima Petri fieret vnum per se; eodem modo effici posset vnum per se ex illa forma &, quacunque alia materia; sed hoc est impossibile; Ergo & id vnde sequitur. Sequela probatur. Quia tam illa materia est pura potentia, atque hæc; Vnde si vna facit cum forma vnum per se; Quia est potentia, & quæcumque alia faciet. Minor probatur; Quoniam sicut determinata forma fit ab efficiente determinato; ita & hæc forma debet fieri ex hac determinata materia; & non ex alia; Ergo non ex quacumque materia & quacumque forma potest effici vnum per se.

Tertia. Illa in vnum non vniuntur, quæ sunt causa multiplicationis; sed talis est materia; vnde ab antiquis dicta est dualitas, & infinitum.: Ergo non potest cum forma vniri in vnum, repugnat enim aliquid causare vnitatem, & multiplicitatem, cum hæc duo opponantur.

In contrariũ pro snĩa affirmatiua negatiua sunt hæ rationes. Prima. Si ex materia & forma substantiali non fieret vnum per

per se frustra connecterentur; cum non connectantur, nisi vt ex illis fiat vnum physicum substantiale: Ergo.

Secunda omnes species physicæ, vt homo, leo, bos, lapis, &c. sunt vnũ quid per se vt patet; Quid .n. incorporeis magis vnum per se, quam homo, quam leo &c.? sed homo non est sola materia, neque sola anima rationalis, vt manifestum est; Ergo ex anima rationali & corpore fit vnum per se; Ergo & ex omni forma substantiali physica cum sua materia fiet vnum per se.

Tertia. In genere artificiatorum illa faciunt vnum per se, quæ sunt inuicem commensurata ad vnum præstandum, vt ęs & forma statuæ, quæ faciunt vnam statuam; Ergo & in genere naturalium illa facient vnum per se, quæ sunt inuicem commensurata; sed forma & materia sunt huiusmodi; Ergo facient vnum per se. Probatur minor; Quia potentia est commensurata & coaptata de sua natura actui, vt illi, à quo in genere entis perficitur & completur: Ergo ex illo & actu fit vnum per se.

Pro solutione.

Notandũ, qđ à priori nõ põt reddi alia rõ cur ex materia & forma fiat vnũ per se, quã ipsa natura materiæ & formæ. Qm connexio formæ, & materiæ est immediata, & cares ab ipsis distincta causa; Vnde Aristot. tam 8 metaphysicæ, quam secundo de anima Tex. 7. vbi assertionem hanc tradidit non putauit aliam reddendam esse rationem, cur fiat vnum per se ex materia & forma, nisi quia vna est potentia, altera actus, dicit enim loco citato de anima. Vnde non oportet quærere si vnum est anima & corpus. Quasi dicat si penetretur quid sit esse corpus & potentiam, & quid sit esse animã & actum, cessat omnis quæstio cur ex anima & corpore fiat vnum; cũ ergo a priori alia reddi non possit de hoc ratio, restat vt colligatur à posteriori. Considerandum igitur est, quod cum proprietates sint manifestatiuæ naturarum eædem nobis poterunt manifestare vnitatem totius ex materia & forma: nam si proprietates, quas habent res naturales, nec illis præcisæ conueniunt, vt habent materiam, neque præcise ratione formæ, vt maxime ostẽdũt sẽsus & vita vegetantium; conueniẽt ergo ratione vtriusque non nisi vt faciunt vnum, cum proprietates habere debeant aliquod vnum principium, nec habere possint plura principia vt plura, & inter se diuersa; Erit ergo vnum quid conflatum ex materia & forma, ex quo vt ex vno adæquato principio emanant proprietates, quæ tamen si aliquando ex sola forma adæquate existant, arguent formam illam de se habere posse statum separatum à materia, vt est in anima rationali, à qua & in qua cum sit intellectus & voluntas adæquate, consequẽter habemus stare posse animam hanc de se, & esse separatam, ac proinde non corrumpi cum corpore; Proprietates ergo rerum naturalium cum pro adæquato principio determinent sibi materiam & formam, necesse est ex materia & forma fieri vnum naturale compositum; nã neque perfecte nos intelligere censemus res naturales intellecta præcise forma, nec intellecta præcise materia, sed forma cum materia, vt hominem intellecta anima rationali cum corpore humano: Addi debet, quod illud, quod est causa vnionis multorũ accidentium cum vna materia, vniri cum eadem debet multo magis, cum hic non male accomodetur illud. propter quod vnumquodque tale, & illud magis, quare.

Dicendum ex materia & forma substantiali fieri vnũ per se; Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur Illa faciunt vnum per se, quæ coalescunt in vnam per se indiuisam essentiam; sed E. G. Materia & forma equi coalescunt in vnam indiuisam equinitatem, corpus & anima humana coalescunt in vnam indiuisam humanitatem; Ergo ex materia & forma substantiali fit vnum per se,

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod materia & forma accidentalis non coalescunt in vnam indiuisam essentiam, quod patet in albo, quod si accipiatur secundum totum quod dicit, duas dicit essentias ad inuicem distinctas; nam dicit essentiam albedinis, quæ saluatur sine lacte, vel carta, & dicit essentiam cartæ siue lactis, in quo est albedo, quæ pariter integra est sine albedine: at formas substantialis cum materia coalescunt in vnam simplicem essentiã, sicut dictum est; Quare ad hoc vt fiat vnum

per

per se non sufficit si vnum sit potentia alterum actus, sed requiritur vt vnum sit potentia de prædicamento substantiæ, alterum actus de eodem prædicamento; Quia hæc duo solum coalescunt in vnam indiuisam essentiam. Ad argumentum ergo in forma negatur sequela maioris, & ad probationē patet ex dictis.

Ad secundam respondeo dicendū, quod ex quacunque materia, & quacunque forma substantiali potest effici vnum per se, quod potest manifestum fieri ex viuentibus quæ cēsentur remanere eadem, licet à principio vitæ ad finem magna fiat mutatio in materia, tamen naturaliter loquēdo; Quia non fit forma nisi à determinato agente ad requisitionem certarum dispositionum, ex quacunque materia cum qualibet forma nō fit vnum per se; quia in quacunque materia non sunt dispositiones requisitæ, nec applicatur idem agens productiuum. Quare in forma distinguenda est maior simpliciter, vel secundum naturalem cursum: simpliciter ex quacunque materia & quacūque substantiali forma physica potest fieri vnum per se, secundum vero cursum naturalem non potest; Quia talis forma non est nisi in materia taliter disposita, & quodlibet non fit ex quolibet.

Dubium tamen hic esse potest. Vtrum ex forma & materia sola sine omnibus prorsus dispositionibus, possit fieri vnum per se per diuinam saltem omnipotentiam. Negat vt hic referunt Conimbricenses Henr. Gād. quod l. 7. q. 17. Aegidius in primo dist. 23. q. 2. Sonci. 5. met. quæst. 22. Maior. in 4. dist. 12. quæ. 8. idem probabile existimat Capre. in primo dist. 42. q. 1. ar. vltimo & putat hanc fuisse mentem S. Tho. Cōtrarium sentiunt ipsi Conimbricenses cum Argentinate in 3. dist. 5. q. 1. ar. 1. Scoto in 4 dist. 10. q. 2. Bassol. dist. 12. q. 2. fundamentum est; Quia absolute non implicat, licet implicet physicè, siue secundum cursum naturalem. Quæ sententia videtur probabilior; Quia nihil Deo denegandum est, quod aperte nō implicet, & inuoluat contradictionem. Neque dicas animam esse actum corporis organici, quod non est sine quātitate, & cæteris dispositionibus; Nā animam esse actū corporis organici accipi potest dupliciter. Primo quod hoc dicat conuenientiam, Secundo, quod hoc dicat actualitatem huius conuenientiæ: semper anima quoad conuenientiam est actus corporis organici, idest, est ille actus, cui de sua natura cōuenit pro subiecto corpus organicum, neque ei hoc potest tolli; at vero quod actu pro subiecto habeat corpus organicum, hoc ei potest tolli a Deo, vel constituendo illam extra corpus; vel iubendo illam informare puram materiam sine requisitis dispositionibus, & organis.

Suarez dist. 13. meta. sect. 8. nu. 10. & dist. 15. sect. 6. n. 5.

Dices de ratione hominis est gradus viuentis, & sensitiui; demus ergo quod Deus ponat animam Socratis in materia sine vllis dispositionibus, non amplius Socrates erit viuens, neque animal, & consequenter neque homo; Ergo erit Socrates, & nō erit Socrates; Quia Socrates est indiniduum hominis. Respondeo, quod in illo casu miraculoso Socrates erit adhuc viuens, animal, & homo, sed tantum in actu primo, non tamen omnino completo, & qui aptus sit exire in actum secundum; sed quasi in radice, ac proinde verè adhuc erit Socrates, licet non secūdum oīa, quæ nunc habet Socrates.

Ad tertiam respondeo dicendum. Quod materia est causa multiplicationis, & quatenus secundum varias ipsius partes recipit varias formas, & quatenus secundum idē sed successiue nouas formas accipit, quod non tollit, quin cum vna forma faciat vnū: itaque illa non vniuntur in vnum, quæ sunt causa multiplicationis; sed materia non est causa multiplicationis cum vna forma; sed cum pluribus, ac proinde negatur consequentia.

Obijcies illa inter se minus vniuntur, quæ magis distant sed forma substantialis & materia magis distant, quam accidens & subiectum; Ergo minus inter se vniūtur. Minor prob. minus distat ens actu ab ente actu, quā ens actu ab ente potētia; sed accidēs, & subiectū sūt ens actu; Ergo minus distat inter se, q̄ forma substantialis, quæ est actus, & materia, quæ est potentia; sed ex accidente & subiecto non fit vnum per se: Ergo multo minus fiet ex materia, & forma substantiali. Respondeo dicēdum, quod distantia inter duo considerari potest dupliciter, vel secundum speciem & esse consummatum, vel secundum aptitudinem ad faciendum vnum esse perfectum, & consummatum; duæ domus magis conueniunt in esse, ac proinde minus distant, quam domus

mus & lapis, & tamen domus non fit ex domo, sed fit ex lapide; itaque quæ magis distant secundum speciem, sed sibi respondent in ratione susceptiui & susceptibilis minus vniri fit falsum est; Quia suscep... & susceptibile siue potentia & actus proxime apta sunt ad mutuum complexum & faciendum v... ū consummatum; quod non habent accidens & subiectum, quæ dicunt duo entia in actu, & in specie consummata.

Obijcies secundo Si materia & forma substantialis coalescunt in vnum per se, vel id habent mediate, vel immediate; neutrum dici potest: Ergo non coalescunt in vnum per se. Minor probatur. Non immediate, quia quæ plura sunt, vniri saltem debent medio vinculo aliquo: non mediate; Quia hoc medium erit vel accidens, vel substantia: non accidens; Quia quæ connectuntur per accidens non faciunt vnum per se, sed per accidens: Non substantia; Quia iam in composito erunt tres incompletæ substantiæ, cum tamen ab Aristotile & reliquis philosophis solum assignentur duæ materia & forma: Et vlterius quæstio erit sit ne hæc tertia substantia materia, an forma; & vtrum per se vtrique extremo vniatur, an non.

Respondeo dicendum, quod materia & forma de se vniuntur immediate; solumque medio tertio vinculo vniri, quæ adhoc ex se ipsis apta immediate non sunt, qualia quæ actus & potentia eiusdem generis non sunt, vel alio tali pacto ad hoc proportionata non sunt; Itaque vt pluribus ostendimus de anima forma vnitur per se ipsam immediate proportionatę sibi materiæ sine alio tertio ente, vel vnione distincta. Quia illa actus, hæc eius potentia est.

Obijcies tertio quod materiæ nudæ vniri non possit forma, neque per diuinam omnipotentiam; Vnusquisque actus debet fieri in proprio susceptiuo secundo de ani. Tex.26 & vnum quodque subiectum debet habere propriam speciem & formam 1. de ani. Tex.53. Ergo vbi est actus essentialiter diuersus, debet esse essentialiter susceptiuū diuersum, & è conuerso; sed materia secūdum se vna & eadem est, non diuersa; Ergo cum materia accepta sic nude concurrere non potest actus specificus, & particularis ad constituendum vnum per se. Respondeo dicendum, quod illa testimonia Aristotelis habent veritatem primò si sermo sit de ordine physico, secundo etiam absolete si sermo sit de ... ptiuo substantiali, in quod non ingred...tur dispositiones, per quas subiecta diuersis adaptantur formis: Quia ex illis non fit ens per se, quod fit solum ex actu & potentia substantiali; Itaque vnusquisque actus debet esse in proprio susceptiuo substantiali etiam in ordine ad diuinam omnipotentiam, non autem in proprio susceptiuo, vt est in ordine physico.

Dices homo fit essentialiter ex anima rationali, & humana carne, quæ non est sine certis dispositionibus. Respondeo dicendū, quod in humana carne attendi possunt duo substantia, & organizatio, siue apparatus accidentium; homo non potest saluari sine primo, neque etiam per diuinam omnipotentiam; Potest tamen saluari sine secūdo: Quare si humana caro dicit certas formas mixtionis, sine his saltem in priori naturæ præcedentibus in materia non potest saluari homo, secundum suum esse perfectum neque anima rationalis fungi perfectè suo munere; si non dicit huiusmodi formas anima rationalis de se immediate poterit formare materiam in illo statu miraculoso, & erit substantialiter perfectus homo conflatum illud.

Dices nisi esset ex natura rei, quod præter materiam requirerentur certæ dispositiones ad constituendum proprium susceptiuum vniuscuiusque formæ non corrumperentur formæ corruptis suis dispositionibus. Ergo. Respondeo dicendum, quod esse illud ex natura rei stat dupliciter, primum quidem, quod illud vindicetur, & exigatur à natura formæ, & totius per formam constituti. Secundo quod in natura talis rei essentialiter includantur tales dispositiones: Primum verum est sed potest tolli à Deo quoad actum, hoc secundum est falsum, quod si esset, sine suis dispositionibus, neque per diuinam potentiam, materia posset esse susceptiuum formæ, ad constituendum cum ea compositum substantiale.

Art.

Art. 8. vtrum forma & materia vnitæ sint realiter ipsum totum, siue vtrum totum distinguatur realiter a suis partibus simul sumptis.

VTraq; pars tam affirmatiua, quam negatiua celebris est, & graues habet auctores: nam pro affirmatiua quod distinguatur totum a suis partibus simul sumptis est Scot. in 3. dist. 2. q. 2. quē ex suis non pauci sequuntur. Idem tenet Heru. quolibet
Cōimb. 2 quæst. 14. Cal. 3. p. quæst. 6. ar. 5. Capreo.
1. phys. Ferrar. Bur. Zimara & alij. Contrariam ne-
c. 2. q. 1. gatiuam defendunt communiter interpretes Græci primo physicorum Themist. Simpli. Philopo. Alex. Eud Ex latinis Dur. in 3. dist. 2. quæ 2. Gregorius Ari. in primo dist. 24. quæ. 1. art. 1. & alij non pauci. Idem sensisse videtur Plato in dialogo de vno omnium principio, & Boetius de Trin. cap. 3. Habet vtraque sententia ex Aristotile quo se tueatur, vt mox videbimus.

Pro prima sententia affirmatiua sunt hæ rationes.

Prima ab auctoritate Aristotelis, qui secundo de anima Tex. 2. & 7. met. Tex. 7. diuidit substantiam compositam in materiam, formam, & compositum, tanquam in tria membra distincta; & 5. meta. Tex. 39. dicit sex non esse bis tria, sed semel sex & lib. 7. Tex vltimo syllaba inquit non est ipsa elementa, nec idem quod B. & A. nec caro ignis & terra, dissolutis namque hæc quidem amplius non sunt, vt caro & syllaba; Elementa vero ignis & terra sunt: est ergo syllaba aliquid non solum elementa vocalis & muta, sed etiam aliquid aliud; & caro non solum ignis & terra, aut calidum & frigidum; sed etiam aliquid aliud. & Tex. 15. lib. 8. Omnium namque quæcumquē plures partes habēt, & nō est totū quasi coaceruatio; sed ipsum totum est aliquid aliud præter partes est aliqua causa. ex quibus locis Aristoteles sentire videtur totum esse tertiam quandam entitatem realiter distinctam à partibus etiam simul sumptis. Quandoquidem ait esse aliud à partibus.

Secunda ratio. Generatio est vna mutatio; Ergo debet habere vnum terminum; sed hic terminus non potest esse vnio, quā diximus non esse distinctam à partibus vnitis. ergo erit tertia aliqua entitas. Consequentia probatur; Quia nihil aliud assignari potest sublata tertia entitate, quod sit terminus generationis; Nā nō est anima; Quia p generationē hominis non fit aīa rōnalis, quæ per creationem est; neque est materia, quæ est ingenerabilis & incorruptibilis, & præsupponitur generationi; neque sunt materia & forma vnitæ; Quia non sunt vnum, sed plura: restat ergo quod sit tertia entitas à materia & forma distincta. Confirmatur; Quia aliquando nulla parte pereunte corrumpitur totum, vt accidit in morte hominis; neque enim perit anima, neque materia; Ergo totum est distinctum à partibus: Nam & in morte Christi Domini dissoluta est vnio verbi cum humanitate, nec tamen dissoluta est cum anima & corpore Christi; Ergo humanitas est aliquid realiter distinctum ab anima & corpore.

Tertia ratio. Nisi totum realiter distingueretur à suis partibus non esset discrimē inter totum per se, & totum per aggregationem; consequens falsum est, & contra communem sensum philosophorum; Ergo & id, vnde sequitur. Sequela probatur: Totum per se est partes ipsius; sed partes sunt plura entia; Ergo totum erit plura entia: At totum, quod simpliciter est plura entia, est totum per aggregationem, & per accidēs; Ergo totum per se erit totum per accidens.

Quarta ratio. Nihil potest se ipsum realiter causare, & componere; Quia idem causaret se ipsum impossibile est; sed partes realiter causant totum; Ergo partes non sūt ipsum totum. Dices partes causare & componere totum non coniūctiue acceptas, sed disiunctiue & seorsim. Contra est. Quia totum non fit ex partibus disiunctis, sed coniunctis.

In contrarium pro sententia negatiua probant hæ rationes.

Prima ab auctoritate, Primum quidem S. Augustini lib. 9. de ciuit. cap. 3. vbi laudat Varronem; Quia hominem nec animā solum, neque solum corpus, sed anima simul & corpus, esse dicebat. Secūdo S. Athanasij, qui in symbolo ait, sicut anima rationalis, & caro, vnus est homo; ita Deus &

V homo

homo vnus est Christus. Tertio Aristotelis lib. 2. de anima Tex. 9. vbi ait sicut pupilla & visus est oculus; ita corpus & anima animal.

Secunda ratio. si totum esset tertia entitas distincta à partibus sequeretur totum non esse totum, consequens est falsum; Ergo & antecedens. Sequela probatur; Quia ea, quæ distinguuntur non se includunt, saltem ea ratione, qua distinguũtur; sicut si duo distinguuntur ratione formali non possunt se formaliter includere; Ergo ea, quæ distinguntur realiter non possunt realiter se includere; si ergo totum distinguitur realiter à partibus vt vnitis; Ergo realiter illas non includit, & consequenter non erit totum; Quia totum non potest esse realiter sine partibus.

Tertia ratio. Quæcumque ex eisdem cõstant partibus, idem sunt; sed totum & collectio materiæ & formæ vnitæ constant ex ijsdem partibus; Ergo idem sunt. Maior patet. Minor probatur. Collectio materiæ & formæ vnitæ constant ex ijsdem partibus nempe materia forma & vnione; sed totum physicum non constat nisi materia, forma, & vnione; Ergo constat eisdem partibus; Ergo sunt idem.

Quarta ratio. Quidquid aduenit enti cõstituto in actu est accidens, vt constat ex Tex. 75. primi physicorum: Sed tertia illa entitas totius si datur, aduenit materiæ copulatæ cum forma, quæ est ens in actu; Ergo erit accidens: At accidens esse non potest vt patet; Quia substantia rerum physicarum non est accidens; Ergo totum physicum non est tertia entitas realiter distincta à partibus simul sumptis.

Quinta ratio. Si totum non esset eadem res cum suis partibus vnitis possent partes vnitæ diuina virtute conseruari sine toto: Sed hoc est impossibile; Quid enim aliud requiritur ad constituendum totum, quam partes vnitæ? & partes vnitæ non ne præstant omnia, quæ dicuntur esse totius? vegetant in viuente, sentiunt, & mouent in animali &c. Ergo totum non distinguitur realiter à partibus vnitis. Sequela maioris probatur; Quia quæ re sunt distincta, & vnum prius natura est altero, possunt per diuinam potentiam separari, saltem quod prius est potest conseruari sine eo, quod illo est posterius; huiusmodi autem essent partes vnitæ, quæ natura debent esse priores tertia illa entitate totius: Ergo possent conseruari partes vnitæ sine toto.

Sexta ratio. Partes vnitæ vere sunt vnũ: Ergo frustra ponitur ista tertia entitas distincta. Quæ sit compositum & vnum. Antecedẽs probatur; Quia quotiescumque iunguntur potentia & actus substantialis fit vnum.

Pro solutione.

Notandũ, quod aliud est cõsiderare materiam de se, & formam de se, aliud considerare illas vnitas; Nam certum est totum non esse solam materiam, neque solam formam; sed ad minus vtramque taliter se habentem. Considerare enim oportet, quod materia & forma vnitæ, & sitam ad inuicem causalitatem exercentes habent in se diuersum statum, atque cum non exercent, & vnitæ non sunt; vnde de illis vt sic sunt diuersæ reales denominationes, quæ de illis aliter acceptis non sunt: Et quamquam ad ea, quæ habemus in scientijs sufficiant denominationes formales cum fundamento in re; Quia proxime scientia nostra est de rationibus obiectiuis; tamen quia forma & materia cum causant dicunt intimũ ad inuicem complexum, quem non dicunt cum non causant & vnitæ non sunt; & proxime causantes & facientes totum, causant in toto siue vitam in actu secũdo, siue aliã huiusmodi proprietatem iuxta naturam formæ totum constituentis; ideo vere, quæ dicuntur de toto, dici non possunt dẽ partibus, non solum formaliter, sed neque realiter, vt proinde aliqua assignari possit realis distinctio inter totum, & inter partes, etiam vt simul sumptas, si vt simul sumptæ non attendantur in suo effectu formali, & penes illa, quæ ab ipsis emanant, vt iam cõspirant in vnum totum, & degenerant in tertiam entitatem; Nam & si in omni effectu formali necesse est ipsam includi formam, & cum forma subiectum: Impossibile enim est esse album, & ab albo excludi albedinem, & subiectum; Quia licet albedo vt sic non sit album; albedo tamen in subiecto est album; tamen considerate oportet, quod effectus formalis non est quomodocumque forma & subiectum; Quia sicut dixit philosophus totum non est aggrega-

tũ ex materia, & forma; sed est quid factũ ex ipsis in tertiã entitatẽ degenerãtibus, nõ quæ sit tertia entitas vltra materiã & formã, vel materiã & formã non includat, sed quæ includat materiã & formã factas quodammodo aliud quid, & in quid tertium per mutuam ad inuicem causalitatem degenerantes; Quod fieri potest manifestum per exemplum de syllaba, quod dat philosophus; nam si accipiamus syllabam hanc Ba hæc non est neque, B, & A. Seorsim neque B. & A. simul aggregata non transeuntia in syllabam; Sed illa duo facta quid tertiũ. Hæc enim tria distincta sunt in illo B A. Vt quiuis potest experiri per se si dicat B. & A. & si ponat BA simul vnum post aliud immediate pronunciando, quod respondet aggregato, quod dixit Aristoteles non esse totũ; Et tertio si faciat ex illis syllabã, & syllabã pronficiet, quod respondet toti: eodẽ ergo modo philosophandũ est in materia & forma, quæ & sumi possunt seorsim; & tunc proculdubio totum non sunt, sed principia totius, & sumi possunt simul sed non causantes, sed tanquam vnum post aliud licet immediatum; Et tandem tertio sumi possunt simul exercentes suam causalitatẽ ad inuicem & vt sic totum sunt, sed ipsæ amplius quodammodo ipsæ non sunt, sed degenerauerunt in tertiam entitatem, sicut duæ illæ litteræ in syllabam. Vnde vtraque sententia & quæ ponit discrimen reale inter totum & partes, & quæ non ponit habet quodammodo rationem, & in aliquo bono sensu vera est; Quia in illo tertio, quod est totum, partes quodammodo amiserunt suum esse, & è contrario hoc ipsum esse totius est esse partium conspirantium & transeuntium in hoc esse tertium, quod appellamus totum. Quare totum dicetur realiter distinctũ à suis partibus ẽt simul sũptis non acceptis in suo effectu formali, & factis in illud per mutuam causalitatem; Quia in re hoc non est illud aggregatum; sicut syllaba non est aggregatum litterarũ, sicut dictum est: Et simul dicetur non distinctum realiter à suis partibus simul sumptis acceptis tamen in effectu formali, sicut syllaba non est quid realiter distinctum à litteris illam componentibus acceptis vt actu facientibus hoc munus, & sonantibus in syllaba; Eodem ergo modo in viuentibus, & alijs physicis compositis partes totius in primo & secundo statu non sunt actu totum, siue viuens, nec proxime principiũ vitæ in actu secundo; Vnde si poneretur anima indistans à corpore, & anima & corpus non fungerentur actu munere actus & potentiæ ad inuicem, non facerent actu viuens, nec ex illis aptum esset sequi vllum proximum principium vitæ, quod statim sequeretur si exercerent ad inuicem mutuã causalitatem. Quare iuxta hæc.

Dicendum totum non distingui realiter à suis partibus simul sumptis acceptis in suo effectu formali, siue à partibus vt per actualem suam causationem degenerant in totum, & distingui ab illis quocumque alio modo acceptis etiam vt simul sumptis, sed solum per aggregationem. Patet ex dictis & confirmatur. Quia Verbi Gratia Petrus non est anima Petri, neque corpus Petri, neque hæc duo simul sumpta non exercentia actu causalitatem actus & potentiæ, sed tantum simul posita per indistantiã; Quia illa duo sic non sunt homo actu, & consequentur nec actu per illa est Petrus, sed tãtum anima & corpus eius, qui erat, vel futurus est Petrus; Vnde vere in morte hominis corrumpitur indiuiduum hominis, etiã si non corrumpatur forma, nec materia illius indiuidui. Et iuxta dicta in conclusione explicandæ sunt rationes vtriusque sententiæ.

Nam ad secundam pro sententia affirmatiua patet Quomodo generatio sit vera mutatio, & per eã vere aliquid fiat de nouo, & hoc ipsum quod fit de nouo sit distinctũ à partibus componentibus antequam actu componant, & causent, atque per hanc causationem degenerent in nouam tertiam entitatem totius, extra quam ipsæ non sunt, sed idem cum ipsa sunt, sed in nouo aliquo esse, sicut litteræ in syllaba actu sonante vt syllaba. Per quæ patet etiam ad primam sententiæ negatiuæ ab auctoritate & ad quartam, ad quintam, & ad sextam.

Tertia partis affirmatiuæ bene probat cõclusionem nostram, sicut & quarta, Quæ aliqua tamen indiget explicatione; nam in causis intrinsecis, quod causat ita est distinctum à causato, vt tamen in causato sit; sed quasi quid nouum in illo. nam si penitus esset, quod erat prius, nullo modo haberet rationem causati; Quia ne concipi quidem potest quod idem causet se ipsum, & nihil

hil sit distinctum causans & causatum; nã & in aggregatis per accidens, vbi non est vera causatio, non possumus concipere aggregatum vt idem cum partibus constituẽtibus ipsum, puta lectum vt idem quod tabulas; non nisi quia hæ videntur habere rationem causæ siue constituentis, ille constituti; multo ergo magis in toto & partibus physicis essentialibus, vbi vera causatio intercedit, & partes degenerant in verum ens. Quale non est aggregatum artificiale, debet dari distinctio inter causam & causatum. Ex alia tamen parte. Quia causæ intrinsecæ non causant nisi dent se ipsas, & ingrediantur causatum suum, non illa debet esse realis distinctio Quę est iter causas extrinsecas, scilicet inter efficiens & effectum; Quia hic est realis omnimoda, ibi omnimoda non est; Quia causa intrinseca in suo causato est, extrinseca efficiẽs in suo effectu non est.

Dices causæ intrinsecæ non sunt causæ nisi in mutuo complexu, & actuali causatione ad inuicem, sed vt sic ex dictis idem sunt cum toto, quod est ipsum causatum; Ergo nulla erit realis distinctio inter causam & causatum contra proxime dicta. Respondeo dicendum dupliciter concipi debere causas intrinsecas nimirum materiam & formam, & quatenus vna afficit aliam, & quatenus affecta ab alia trahitur ad nouum esse totius: secundum primam conceptionem sunt causæ, & realiter distinguuntur à se ipsis acceptis in secunda cõceptione, non illa distinctione reali, qua duo sunt & numerantur, nec à parte rei vnũ vllo modo est in secundo; sed illa distinctione reali, qua in secundo primum est, sed degenerans in nouum esse, & factum quodammodo diuersum à se; nec dicas hanc solum esse distinctionem formalem; Quia non solum per conceptionem, sed vere à parte rei, hæc diuersa sunt; nam potest esse anima Petri indistans à corpore Petri illud non informans, sed vt duo entia indistantia localiter, & tunc vere à parte rei erit anima & corpus Petri, & non erit Petrus, & si anima prius informabat, & cessat informare etiamsi ibi remaneat indistans, vt puta in puncto cadaueris, vere dicetur Petrus mortuus, & mortuus vere erit, siue cõcipiatur, siue non concipiatur: Quod etiam ad sensũ manifestum est in illo exemplo de syllaba si B & A pronuncientur consequenter ad inuicem, & si sonent simul, vt quid vnum; hoc enim secundum non est illud primum, & hoc secundum syllaba est & vnum; illud primum principium syllabæ, & duo.

Et per hæc patet etiam ad secundam rationem partis negatiuæ, & ad tertiam.

Art. 9. vtrum vnum totum substantiale possit constitui per plures formas substantiales. Siue Vtrum plures formæ substantiales possint esse in eodem composito.

Potest esse quæstio, & naturaliter iuxta scilicet cursum naturæ, & supernaturaliter per potentiam videlicet Dei absolutam, & de hoc secundo quidem constabit ex eo, quod dicetur de primo, si in primo non appareat, vel appareat contradictio; Quia Deus solum illud non potest, quod inuoluit contradictionem.

Triplex in hoc quæsito statui potest sententia. Prima illorum, qui plures formas ponunt non distinguentes de formis completis, vel incompletis. Secunda illorum, qui in vno composito vnam tantum completam formam agnoscunt, plures incompletas. Tertia illorum, qui vnam solum esse volunt. Et in prima quidem sententia sunt plures modi dicendi, cum aliqui tot formas ponant, quot sunt in vna re gradus metaphysici; Alij in elementis vnam tantũ formam ponant, in mixtis vero cum formis elementorum ponant propriam mixti; In animatis præterea addant animam, & non vnam solum aliqui, sed duas, & alij etiam tres. Hæc & plura alia illi, quæ suis locis distincte quærentur.

Alij ergo secundo vnam tantum formã completam & totalem ponunt in subiecto, sed plures partiales in viuentibus, & animatis, ita Scotus cum suis: Demum alij hoc putant repugnare, & vnam tantum volunt esse formam substantialem in composito physico, vt S. Thomas cum sua schola. In (Suarez disp. 15. met. sec. 10.)

præ-

præsentia ergo prætermissa illa quæstione de multiplicatione formarum iuxta gradus metaphysicos & de pluralitate animarum &c. absolute solum quæremus partem affirmatiuam, & negatiuam.

Pro parte ergo affirmatiua sunt hæ rationes. Prima. proprietates & operationes manifestant formas; sed in eodem composito sæpe videmus plures proprietates, & plures operationes, quæ non possunt esse ab eadem forma; Ergo dicendum est in eo esse plures formas.

Secūda mortuo animali videmus remanere eandem carnem & ossa; Ergo & remanet eadem forma carnis & ossis, per quā constituuntur; sed in animali viuo erat vlterius anima; Ergo in eo erant plures formæ substantiales.

Tertia ratio. physica aliqua composita continent plures gradus, alia non continent; Ergo in aliquibus sunt plures formæ substantiales. Probatur cōsequentia dupliciter. Primum quidem quia si vna tantum esset forma in omni composito non esset maior ratio, cur in vno plures essent gradus, quam in alio; Quia vbi sunt eadem constitutiua, idem debet esse constitutum. Secundo probatur. Quia vnusquisq; gradus sicut est ab alio distinctus, ita debet habere principium distinctum; sed principium gradus est forma; Ergo saltem vbi erunt plures gradus, & plures erunt formę.

In contrarium pro sententia negatiua sunt hæ rationes. Prima Vnius rei vnicum est esse substantiale; sed quælibet forma substantialis dat esse substantiale; Ergo nō possunt in eadē re plures esse formæ substantiales.

Secunda ratio. secūdo de anima Tex 7. & 8. met. Tex. 15 ideo fit vnum per se in rebus naturalibus; Quia altera pars est potentia, altera actus; Ergo ex oī forma substātiali cū materia fiet vnum per se; sed forma, quæ aduenit enti per se facit cum eo aggregatū per accidens; Ergo formæ substātiales, quæ aduenirent post primam facerent aggregatum per accidens, & in illo composito essent accidens.

Tertia ratio. Vnius vnicum est esse specificum; sed si darentur plures formæ substantiales in eodem composito illud haberet plura esse specifica; Ergo in eodem plures formæ dari non possunt. Minor probatur. Quia vna quæque forma dat suam speciem. Ergo plures formæ faciunt plures species: Et sic vnius rei plura erunt esse specifica. In homine ergo ponamus plures esse formas videlicet corporis, viuentis, animalis, hominis, erit homo talis species corporis, viuentis, animalis, vnde vlterius sequetur hominem esse bis speciem sub eodem genere; nam ratione formæ animalis erit talis species animalis, & adhuc talis species animalis erit ratione animæ rationalis, hoc autē repugnat; Quia genus diuiditur per oppositas differentias; vnde species, quæ est sub eodem genere constituetur per differentias oppositas Implicat autem in eodem composito esse differentias oppositas; Ergo in eodem composito non possunt esse plures formæ substantiales.

Quarta ex 1. de gener. tex. 23. Generatiō est mutatio totius in totum nullo remanēte sensibili eodem, & iam dixerat Philosofus generationē vnius esse corruptionem alterius, & contra; sed hæc vera esse non possunt si dantur plures formæ substantiales in eodem composito; Ergo non dantur. probatur minor; Quia si in planta remanet forma mixti corrupta anima vegetatiua fit corruptio sine vera generatione; Eodem modo si quando generatur in planta anima vegetatiua remanet forma mixta, quæ erat prius fit generatio sine corruptione, & Generatio non est mutatio totius in totum cum remaneat totum, quod præcedebat: Non ergo possunt esse plures formæ substantiales in eodem composito. His addi debet, quod non sunt ponenda entia sine necessitate; sed nulla est necessitas ponendi plures formas substātiales in eodem composito, cum vna sufficiat. Ergo plures ponendæ non sunt.

Pro solutione

Notandum, quod hæc controuersia decidi potest vel ex parte materiæ, vel ex fine ipsius extrinseco, vel ex effectu formali formæ: si ex primo capite procedat consideratio certum est materiam non esse in potentia simul ad omnes formas, vt experientia demonstrat, & finis, ad quem videtur instituta; nam cum videamus corrumpi ligni, cū fit ex eo ignis, procul dubio stare simul nō possunt forma ligni, & forma ignis; Quia

secus

ficus lignum non corrumperetur, dum fit ignis. Finis quoque propter quem est materia illud non patitur; Qui est multiplicatio nouorum entium, & successiua illorum generatio, quæ durare nō posset, si materia simul illorū formas reciperet. Sed hæc licet demōstrēt nō posse materiā simul recipere formas substātiales illorū entiū, inter quæ est naturalis transmutatio; tamē adhuc non probant non posse absolute materiam recipere plures formas substantiales. Itaque restat videndum vtrum id haberi possit ex natura formæ, & eius effectu formali; nam & rationes factæ pro sententia negatiua fere ex isto capite procedunt. Considerandū igitur est, quod natura formæ est actualitas & determinatio, natura materiæ susceptibilitas & potentialitas, ex quibus necessario est, vt ex materia & forma copulatis existat aliquid actuale, & determinatū; sed sicut in artificiatis, quod est determinatum & actuale respectu sui, potest adhuc esse determinabile & potentiale respectu superioris, vt vncus & rota respectu horologij, ita & videtur contingere in naturalibus; caro aliquid in se determinatum est, & actuale, & tamen potentiale adhuc aliquid est, & vlterius determinabile per formam vegetantem & sentientem Itaque inter formas substantiales videtur distinguēdum, quæ ita materiam determinant, vt illam amplius actuabilem non relinquant, non compatiuntur secum aliam formā substantialem, quæ vltimo non actuant aliam formam conpatiuntur. sed hic iam difficultas est, quæ nam istæ sint formæ: explicari solent per formas completas, & incompletas, sed hæc nomina sunt, res melius à posteriori dignoscitur. Certum est animam non aduenire corpori nisi illo constituto in esse corporis organici, nam anima non est actus materiæ cuiuscumque; sed materiæ ita figuratæ & habētis rationem talis mixti vsque adhoc, quod per animam fiat actu viuens; itaque illud, quod præcedit viuens, iam præsupponitur in materia, cum debet aduenire anima; anima ergo se compatitur in eodem composito cum forma substantiali mixtionis & carnis in animali, cū forma mixtionis ligni in planta, quod & manifestat experientia in morte eorumdem viuentium, in qua videmus restare idem mixtū, quod cum sensus manifestet, & non sit sermo de re miraculosa, sed naturali, aliter existimare est relinquere sēsum, & quęrere rationem, quod non admodum prudentis est, maxime cum rationes non minus sint pro experientia, quam contra; si enim vt ait philosophus & ratio ipsa vult; vnusquisque actus fieri debet in proprio susceptiuo, qui conuincet actuum substantialium diuersorum susceptiuum non posse esse substantialiter diuersum, maxime tam aperta adhoc fauente experientia? Quare iuxta hæc. lib. 2. de ani. Tex. 26.

Dicendum non repugnare in eadem materia cum forma totali & cōpleta esse substantialem aliquam formam incompletam. Patet ex dictis, & confirmatur. Quia operationes debent manifestare res. Ergo vbi sunt operationes, quæ sufficienter arguunt plures formas substantiales, ibi plures tales formæ sunt concedendæ. Iam videmus & ligna & herbas aliquas easdem habere virtutes medicinales & virides siue viuentes, & aridas siue mortuas; Ergo in illis & viridibus & aridis est eadem forma substantialis, à qua virtutes illæ dependent; sed in viridibus est anima, quæ nō est in aridis; ergo in viridib⁹ cū anima est alia forma substātialis, quæ restat adhuc corrupta anima.

Ad rationes partis negatiuæ in contrarium. Ad primam respondeo dicendum, quod esse substantiale, non est vno modo; nam sicut vna res artificialis cum vno esse artificiali totale potest habere plura esse partialia, vt vnum horologium plures rotas, vncos stylum &c. ita vnum esse totale substantiale potest habere plura esse partialia, vt animal cū esse sentientis esse mixti in carnibus, ossibus &c. Dices artificiale est aggregatum per accidens, ens naturale est ens per se. Respondeo in exemplis sufficere simile ad explicandum, nam in artificialibus partes non transeunt in esse totius per veram mutationē ipsarum in esse totius sicut in naturalibus; mixtū enim quod erat caro in animali antequam adueniret anima transit per animam in esse animatum, vnde iam cum anima vnum verum mixtum animatum est, non duo mixta.

Ad secundam respondeo dicendum materiam cum formis partialibus respectu totius retinere rationem potentialis, & substantialiter determinabilis, itaque vnum per se vel potest considerari absolute vt sic, & omne adueniens cum eo facit ens per

acci-

accidens, vel eſt ens per ſe quodammodo ſolum inchoatum, ac proinde ſolum dicit ens per ſe contradiſtinctum ab eſſe in alio, vt in ſuſtentante, & hoc poteſt eſſe in alio vel vt pars einſdē rationis ac ſuppoſiti in toto, vt pars aquæ in vna aqua totali; vel vt pars potentialis actuabilis à forma totali, vt caro & os ab anima in animali.

Ad tertiā reſpondeo dicendum, quod ſicut formæ eodem modo ſpecies poſſunt eſſe completæ, & incompletæ: idem compoſitum non poteſt dicere plures ſpecies completas, ſed plures incompletas; ſic in homine non eſt niſi vna ſpecies viuentis, & animalis, quæ homo eſt; & tamen præter hāc eſt caro, & oſſa, quæ habent ſuam ſpeciem incompletam, quam habebant antequam ipſis adueniret forma hominis, & retinent poſt mortem hominis; nam in homine viuo propter vltimam actuationem, quam habēt a forma hominis videntur mutare ſpeciem, ex quo eſt vt caro mortua, & viua æquiuoce dicatur; Vnde ſpecies incōpleta ſi accipiatur in toto, & per conſiderationem non ſeparetur, non retinet ſpeciem incompletam, quam habebat, vt ſpeciem, & quid actuale, ſed vt principium nouæ ſpeciei, & quid potentiale. Illud autem, quod dicebatur de pluribus ſpeciebus in homine non valet, & Quia gradus viuētis, & animalis ſunt completi a forma ſcilicet totali, & completa, ſub quibus nō deſcenditur niſi per tale viuens, & animal; & Quia quidquid in homine eſt a forma hominis determinatur, & fit hoc aliquid, non vt iam hoc aliquid; ſed vt quid potentiale, & determinabile, & ſic mixtum, quod eſt caro, & oſſa hominis, fit per formam hominis talis caro, & tale mixtum, quod homo eſt. Quare vt in ſumma dicam duplex in natura reperitur rerum claſſis, altera illarum, quæ dicuntur completę, qualis eſt homo, leo, bos, & cœtera omnia mixta, quæ ex natura rei non ſunt ordinata ad aliud componendum, & harum rerum ſpecies ita eſt vltima actualitas, vt ſimilē ſecum nullam in ſuo compoſito patiatur: Altera claſſis eſt illarum rerum, quæ dicuntur incompletæ; Quia ex ſua natura ſunt ordinatæ ad aliquid aliud componendum, vt eſt caro, & os in animali, & harum ſpecies extra cōpoſitionem cenſentur eſſe vltima actualitas, & retinent rationem ſpeciei, in compoſitione aſſumunt rationem potentialis, & habent ſe per modum materiæ, & actuabilis, & per formam totius vltimatam ſuſcipiunt ſpeciem; Vnde caro in homine viuēs eſt, ſentiens eſt, homo eſt, quatenus ſcilicet partes ſuſcipere poſſunt denominationem totius; In cadauere eſt illud mixtum, quod ſub anima aptum eſt viuere, & ſentire, ac proinde fieri viuens, & ſentiēs. Simile quid eſt in numeris, in quibus prior ſpectatus de ſe conſetur actu, & ſpecies, vt componit ſequentem cenſetur potentialitas, & materia illius; Ex quo etiam eſt, vt ſpecies dicantur eſſe ſicut numeri. 8. metaphyſica. tex. 10. nam omnis actualitas vt ſic conſiſtit in indiuiſibili, & cenſetur tranſire in potētialitatem, & mutare ſpeciem ſi ſuſcipiat aliā actualitatem vlteriorem, cum qua ex natura rei apta ſit congredi.

Ad quartam melius patebit ſuo loco, Interim dicendum quotieſcumque fit vera generatio, & non ſolum denominatiue, fieri nouum terminum totalem, ad quem ex termino à quo, per quod vt apparet fit mutatio totius ſub ratione totius, ad aliud totum eſſentialiter diſtinctum; cum eſt ſolū denominatiue generatio illud ipſum quod dictū eſt, ſed ſolū denominatiue, procedit.

Obijcies corpus organicum tale eſt per animam, cum dicat philoſophus oculum mortui eſſe æquiuoce oculum, ſicut lapideum; Ergo corpus non præſupponitur cōſtitutum ante animam in eſſe organici. Reſpondeo dicendum, quod de corpore organico loqui dupliciter poſſumus primum vt eſt organum ad operationem proxime, & vt ſic non antecedit animam; ſed magis poſterius eſt, & præſupponit animam vt ſuū primum cōſtitutiuum, vnde à philoſopho Lib. 2. de viſus dicitur forma oculi, & ſi enim eſſet anima oculus animal, anima vtique ipſius viſus Tex. 9. eſſet. Secundo loqui poſſumus de corpore organico, vt proxime apto ſuſcipere animam, & vt ſic præcedit animam, cum ſubiectum præſupponi cenſeatur ad formam, & de corpore organico ſic accepto dicit Ariſt. 2. de anima. Tex. 26. & propter hoc in corpore ineſt, & in corpore eiuſmodi. Et paulo poſt. Vnuſquiſque enim actus in eo, quod potentia exiſtit, & in propria materia aptus natura eſt fieri.

Art. 10. vtrum repugnet eandem formam esse in pluribus compositis.

QVæsitũ pluribus modis quæri potest. Primo quæri potest. Vtrum vna forma possit esse in pluribus simul cum alijs formis. Secundo vtrum possit esse in pluribus subiectis sine illo impedimento aliarũ formarum, sed simul & semel. Tertio vtrũ possit esse successiue, vt si quæ fuit forma ligni A. reproducatur in ligno B.

Quæsitum in primo sensu, quoad esse vnam formam in subiecto cum alijs formis decisum est in præcedenti articulo; quoad esse simul & simul eandem in pluribus subiectis sine alia forma est secundus quæsiti sensus, de quo hic sicut de tertio.

Partem eius affirmatiuam probare videtur hæc ratio. Omnis materia saltem sublunarium est eiusdem rationis & capacitatis; Ergo habet eandem capacitatem ad omnem formam; Sed vbi est eadem capacitas receptiua, nihil repugnat esse eundem actum, & formam; Ergo eadem forma potest esse in pluribus subiectis siue compositis.

Eandem partem in tertio sensu probat hæc ratio. Agens postquam semel formam produxit nullam vim amisit; Ergo illam poterit in eodẽ vel alio subiecto de nouo producere; Ergo nihil repugnat eandem formam bis, & sæpius reproduci in eisdem subiectis, siue diuersis.

In contrarium pro parte negatiua sunt hę rationes.

Prima. si forma substantialis esset in pluribus compositis plura composita essent vnum & idem essentialiter, sed hoc est impossibile; Quia quæ multiplicata sunt vnũ esse non possunt; Ergo eadem forma non potest simul esse in pluribus compositis. Sequela maioris probatur; Quia forma est illa, quæ dat speciem, & constituit cõpositũ.

Secunda ratio. si eadem forma esse posset in pluribus compositis idem posset sæpius reproduci, quod existimatur naturaliter impossibile: Ergo. Sequela probatur; Quia idem reproducitur per formam; materia enim sicut est ingenerabilis, ita & incorruptibilis; vnde sicut aliquid producitur cum in materia producitur eius forma; ita reproducitur cum eius forma reproducitur.

Pro solutione.

Notandum, quod quæstio potest procedere vel secundum cursum naturæ, vel de potentia Dei absoluta, & quidem si accipiatur, in hoc secundo sensu affirmandum videtur posse eandem formam siue substantialem, siue accidentalem, siue simul, siue successiue poni ĩ plurib. subiectis; nã sicut hoc formabile est verbo mẽtali, siue vocali se nõ destruẽte; ita à Deo põt fieri, apud quem non est impossibile, vt testatur est Angelus, omne verbum. Nam & si in scripturis sanctis non infrequenter res verba vocantur, retenta tamen etiam proprietate vocabuli non ineleganter omne verbũ dicitur Deo possibile; Quia nihil tam abstrusum dici, aut excogitari potest, si se non destruat, & cõtradictionem inuoluat, quod diuina potentia non attingat; cum ergo sine contradictione excogitare possimus eãdem formam sine corruptam reproduci in nouo subiecto, siue dum est in vno subiecto poni in alio diuerso, poterit id Deus facere, qui plus potest, quam nos excogitare. Nam forma dum in vno subiecto est, & per diuinam omnipotentiam replicatur in alio, non amittit vnitatem, quam habet à se; sed solum acquirit multiplicem inexistentiam, siue multiplicem habitudinem ad locum, & subiectum, quod non destruit ipsius vnitatem, & intrinsecam entitatem; Quia extrinseca, & posteriora intrinseca & priora contradictorie minime destruũt. Quod si forma, quæ multiplicatur in subiectis, accidentaria sit, multiplex dicetur esse illud accidentale, vt multiplex album; Quia album quo ad numerum appellat ens constitutum de se, non autem constitutum per accidens; si vero sit forma substantialis, & in pluribus subiectis sit per modum formæ formando; & constituẽdo, vnum tantum erit constitutum simpliciter, & absolute, licet dici possit multiplex secundũ quid; vt vnus Petrus, si anima Petri in multis corporibus sit dans illis esse, & multiplex Petrus secundum corpora nam; Quia essentiæ physicæ ex materia & forma constans,

stant licet principale, & dans esse sit forma; tamen vbi materia retinet aliquam distinctionem, facit aliquam distinctionem in constitutis; at in alijs, quæ formæ sunt simplices, si multiplicitatem admittant suppositorum, vt Deus benedictus in tribus diuinis personis, vnum erit omnimode substantiale, & multiplex personale, vt vnus solus Deus, & plura diuina supposita. Et hæc de prima parte quæsiti; nam si iam de secunda sit sermo, aliter philosophandum est. Considerandum enim est, quod secundum naturam vna materia, & vna forma sunt ad inuicem commensurata, vt proinde forma, quæ iam in vno subiecto est, in alio esse non possit, neque etiam successiue; Quia bonum vniuersi est, vt vitetur confusio, & infinita propemodum Entium naturalium multitudo, quæ simul esse non potest, beneficio temporis prodeat in lucem, & ex suis causis, in quibus inuoluta continetur, Euoluta existat aliquando, totumque sua varietate & multiplicitate reddat perfectum. Quare simul esse formam in pluribus subiectis prohibet commensuratio vnius formæ, & vnius subiecti, vnitas loci adæquata vnitati entis, & distinctio entium ad inuicem; esse eandem formam in pluribus subiectis successiue non patitur bonum, & ordo sublunarium, quæ habentur & retinentur notiorum subinde entium noua generatione, Quare

Dicendum naturaliter vna forma in vno solo subiecto esse potest: supernaturaliter, & per diuinam omnipotentiam in pluribus esse non repugnat, siue simul, siue successiue. Patet vtraque pars conclusionis ex dictis. Confirmatur prima pars; Quia forma naturaliter non ponitur in subiecto nisi fiat; sed de ratione eius, quod fit, est, vt transeat ad esse ex non esse: ergo forma, quæ est in vno subiecto, naturaliter non potest poni in alio subiecto: Sed neque potest poni postquam corrupta est, Quia functum est suo munere essendi, quod iam corruptum est, & rediens antiqua forma locum tolleret nouæ, quod inconueniens est, vbi noua generatio est; nam noua generatio debet esse ad nouam formam, & nouum ens.

Ad rõnes in cõtrariũ partis affirmatiuæ.

Ad primam, Respondeo dicendum, quod primæ materiæ capacitas remota eadem est, Proxima vt concurrit ad causandum, vel recipiendum formam eadem non est; vnde est, vt Vnusquisque actus fieri debeat in proprio susceptiuo, sicut iam sæpius dictum est. Quare negatur consequentia.

Ad secundam Respondeo dicendum, quod agens postquam semel produxit vnã formam dici potest amisisse vim ad illam producendam; Vnde vis agentis considerari potest in se, & absolute; & considerari potest in ordine ad effectum siue formam; si consideretur in se, & absolute, non potest dici amitti ab agente, nisi quatenus agens accipit detrimentum in principio suo actiuo, quando nimirum corrumpitur, vel remittitur: si vero consideretur in ordine ad effectum dicere possumus agens amittere vim ad illum producendum, quando semel illum produxit: quoniam secundum cursum naturæ non potest illũ amplius reproducere, sicut ex dictis manifestum est.

Rationes partis negatiuæ quatenus procedunt naturaliter probant primam partẽ conclusionis: si vero accipiantur supernaturaliter, & in ordine ad diuinam omnipotentiam ad eas patet ex dictis.

Art. 11. Utrum forma sit perfectior materia.

Sententia affirmatiua communis est. Contra tamen hæ rationes sunt.

Prima; Ingenerabile & incorruptibile perfectius, nobiliusque est generabile & corruptibile: sed materia ex dictis supra est ingenerabilis, & incorruptibilis; forma vero generabilis, & corruptibilis: Ergo materia est perfectior forma.

Secunda ratio. Quod magis per se subsistit perfectius est, & quod minus per se subsistit, & sustentatur in alio; sed materia per se subsistit, forma physica quasi sustentatur in materia: Ergo materia est perfectior forma.

Tertia ratio. Quod fit perfectiori actione est nobilius: sed materia facta est nobiliori actione quam forma; Ergo est nobilior, & perfectior forma. Minor probatur;

tur; Quia materia facta est per creationem, formæ fiunt per naturalem generationem.

Sententiam affirmatiuam probant hæ rationes prima ex Aristotile qui tex. 81. 1. physicorum formam appellat diuinum, bonum, pulchrum, appetibile, finem materiæ; materiam vero vocat malum, turpe.

Secundo. actus est perfectior potentia; sed materia est potentia, forma actus est; Ergo forma est perfectior materia.

Tertio. illud est perfectius, quod magis accedit ad primum perfectum, & primam perfectionem: sed forma magis accedit ad primum perfectum, qui est Deus; Ergo forma est perfectior materia. Minor probatur; Quia Deus est perfectissime actus, & actus purus nihil habens de potentialitate; Ergo forma, quæ participat aliquam rationem actus; Est enim actus informans; erit perfectior materia, quæ est potentia.

Pro solutione.

Notandum, quod comparatio fieri debet circa idem; neque enim comparamus albedinem cum scientia nisi in aliquo gradu, qui ab vtraque participatur; Cum ergo quæritur. Vtrum forma sit perfectior materia, non potest esse quæstio, Vtrum forma in ratione formæ sit perfectior materia in ratione materiæ, sed vtrum ratio formæ sit perfectior ratio entis, vel substantiæ, quam sit ratio materiæ. Considerandum igitur est, quod resolutio quæstionis ex duplici capite haberi potest, à priori maxime per comparationem ad primum ens, & à posteriori per ordinem ad operationes. nam cum forma & materia sint entia per participationem, illa erit perfectior, quæ magis accedet ad primum ens, quod participant; quod cum sit actus purus, forma, quæ vt actus, magis ad illud accedit, quam materia, quæ est potentia, erit materia perfectior. A posteriori etiam dignoscimus formam esse nobiliorem materia ex operationibus, quæ omnes ex formis sunt, nullæ à materia; Quod enim in composito operatur forma est; materia vero, quæ patitur: nobilius autem principium est actiuum, quam passiuum. Quibus & illud addi debet, quod forma est perfectio entis, materia tantum rudis quædam inchoatio: perfectio enim & species à forma est: imo & hoc aliquid esse, perfecteque subsistere; neque enim materia hoc aliquid, vel species, sed lignum, vel pomum, vel lactuca à forma ligni, pomi & lactucæ, & hoc pomum, & hæc lactuca ab hac forma pomi, & lactucæ; Vnde & album esse, vel frigidum proximius à forma, quam à materia; Quod enim album, vel frigidum hoc pomum, non materia, nisi ratione pomi; nam, & in igne calida materia propter formam ignis, vt proinde omnes perfectiones entis à forma sint, vel magis à forma, ac proinde.

Dicendum formam esse nobiliorem, & perfectiorem materia. Patet ex dictis, & rationibus secundæ sententiæ. Confirmatur; Quia illud nobilius est, propter quod omnis perfectio magis est: sed in rebus materialibus, vt ex dictis manifestum est, omnis entis materialis perfectio magis propter formam est, quam propter materiam: Ergo forma nobilior est materia.

Ad rationes partis affirmatiuæ in contrarium.

Ad primam Respondeo dicendum, quod aliquid dupliciter dicitur ingenerabile, & incorruptibile; vel quia est super omnem physicam generationem, vt intelligentiæ, Et tale ingenerabile est perfectius generabile & corruptibile: vel quia est infra omnem generationem, & omnis generationis subiectum, & tale ingenerabile est imperfectius omni generabile; hoc autem secundo modo est ingenerabilis materia. vel melius dic ingenerabile & incorruptibile cœteris paribus esse perfectius generabili & corruptibili; in proposito autem non esse cœtera paria, vt ex dictis manifestum est. Dices saltem quoad hoc materia perfectius quid est. Respondeo neque quoad hoc: & ratio est. Quia materia cum per formam habeat speciem, quod est absolute esse, toties quodammodo generatur & corrumpitur, quoties formæ substantiales, à quibus habet speciem, in ea mutantur; cum autem sola incorruptibilitas, quæ est penes speciem, absolute sit perfectio, sicut & esse; absolute est, quod penes speciem est, ideo materia nullo pacto dici debet perfectior forma.

Ad secundam respondeo dicendum, quod forma substãtialis, etiam materialis,

non

non proprie sustentatur in alio, quæ cum ulterius materiæ sit ratio perfecte subsisten di, Quia ipsa est, quæ facit hoc aliquid, absolute debet dici perfectior materia. Quare negatur Consequentia.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod perfectio actionis attendi potest vel penes terminum, qui fit, vel penes modum, quo fit, & tertio vel penes principium operatiuum, sed quasi materialiter: si primo modo consideretur actio semper perfectior est actio, qua fit forma ea, qua materia ut sic facta est; si consideretur secundo modo perfectior est actio, qua facta est materia actione, qua de nouo fiunt formæ, sed cum illa etiam actione, ut supra dictum est, aliquæ formæ factæ sint; Quia materia sine formis creata non est, ideo nullo pacto materia perfectiori actione facta est, quam formæ, indefinite loquendo.

Obijcies. continens perfectius est contento; sed materia continet formas, ut quæ de illius potentia educuntur; Ergo materia est perfectior forma.

Respondeo dicendum, quod non simpliciter, quod continet perfectius est cõtento, cum ea, quæ continentur in causa vniuoca sint æque perfecta atque causa ipsorum; quæ doctrina multo adhuc magis valet, si continens solum passiua continentia contineat, ut materia formas.

Obijcies secundò. quod dependet minus perfectum est eo, a quo dependet: sed formæ materiales dependent à materia: Ergo materia est illis perfectior.

Respondeo dicendum, quod id, quod dependet, in eo quo dependet, est minus perfectum eo, a quo dependet; quod dici solet formaliter: & quo ad hoc; simpliciter vero non est minus perfectũ, si cœtera paria nõ sunt, & in aliquo excedit, quod dependet; nam secus animal imperfectius esset respiratione, sine qua vita eius non conseruatur. Adde quod simpliciter dependentia non ostendit excessum perfectionis in causa, nisi a causa totalis sit dependentia effectus, & vice versa ab effectu causa non habeat dependentiam: in proposito autem forma solum passiue dependet à materia, à qua & ipsa materia dependet, ut sine qua naturaliter esse non potest, nec habere perfectum esse.

Art. 12. Utrum forma sit perfectior composito.

SEntentiam affirmatiuam tradit Auer. 7. met. comm. 7. & 2. phys. comm. 4. Auerroem sequitur Zimara proposi. 10. qui contendit formam esse magis ens, & quid perfectius non solum materia, sed ipso composito. Contrarium tenet communis sententia.

Pro sententia affirmatiua Auerrois sunt hæ rationes. Prima. propter quod vnumquodque tale, & illud magis. Sed propter formam compositum est in actu, & quid perfectum; Ergo multo magis perfecta est forma. Confirmatur ex secundo metaph. cap. primo. illud est primum in vnoquoque genere, propter quod alijs vniuocatio inest; sed propter formam substantijs materialibus conuenit perfectio; Ergo forma est perfectior composito.

Secunda ratio. Quod est tale per essentiam nobilius est eo, quod est tale per participationem: sed forma est actus, & perfectio per essentiam, compositum autem est actus tantum per participationẽ: Ergo forma est nobilior composito.

Tertia ratio. Quod est nobiliori, & perfectiori similius est magis perfectum; forma est huiusmodi; Quia valde similis est intelligentijs, quæ nullam includunt materiam, sed sunt formæ simplices: Ergo. Cõfirmatur ex Tex. illo 7. li. 7. metaphysicæ vbi philosophus ait formam esse priorem, & magis ens, quam materiam, & eadem ratione composito ex vtrisque, ut legit Auerr. & est in Textu Græco.

In Contrarium pro sententia negatiua militant hæ rationes. Prima magis est perfectum ens completum, quam incompletum sed compositum est ens completum, forma ens incompletum: Ergo Compositum perfectius est forma.

Secunda ratio. Quod per se, & adæquate subsistit, est nobilius eo, quod per se non subsistit; sed est ratio tantum alteri subsistendi: compositum per se adæquate subsistit, forma materialis per se non subsistit; sed solum est composito ratio subsistendi; Ergo.

Tertia ratio. Compositum includit omnem perfectionem, quam dicit forma, & aliquid amplius; Ergo est perfectius forma: patet consequentia; quia perfectio compositi habet aliquid plus.

Quarta ratio. Quidquid forma est propter compositum est; Ergo cōpositū est ipsa nobilius. Patet consequentia: Quia natura non ordinat per se nobilius ad ignobilius, neque perfectius ad minus perfectū. Respōdet Zimara, quod forma habet totum esse rei, & perfectio, quam includit compositum, virtualiter, & nobiliori modo continetur in forma. dat exemplum de Deo, & creatura, quæ simul non dicunt plus perfectionis, quam dicat Deus solus; Quoniam quidquid dicit perfectionis creatura totum dicit Deus nobiliori modo, & sine imperfectione; Vnde cum creatura solum limitet, & restringat perfectionem, & addat imperfectionem, minus quasi videtur Deus & creatura perfectum quid, quam Deus solus; Quoniam propter imperfectionem, quam addit creatura, decrescit perfectio, quam dicit Deus solus.

Sed contra est primo: Quia forma nō est totum esse, quod dicit compositum, cum præter formam compositum dicat materiam.

Secundo verum non est, quod quidquid perfectionis in composito est, perfectiori modo sit in forma: nam compositum per se subsistit, forma materialis non potest per se subsistere: compositum est ens completum, forma informans essentialiter ens incompletum; compositum habet omnia requisita ad operandum, quæ non habet de se sola forma, licet forma sit principium quo operandi. quæ ostendunt perfectionē, quam dicit compositum, non posse contineri in forma perfectiori modo. Nec valet illud, quod affert de figura statuæ dicēs. Sicut si forma statuæ posset esse sine materia, esset ipsa figura verius, & nobilius, quā sit statua monstrata.

Nam primo non esset verius, & nobilius statua; Quia minus conueniret cum repræsentato.

Secundo si figura statuæ posset esse illo modo, esset ens completum, & subsistens, quod non habet extra compositum forma informans materialis. Nec ipsi fauet exemplum de Deo, & creatura primo. Quia quidquid est perfectionis in creatura perfectiori modo, & eminentiori est in Deo; Nec tamen quidquid perfectionis est in composito est in forma, vt modo demonstratum est. Secundo. Quia Deus est ens infinitum, finitum autem additum infinito proprie non facit maius. tertio. Deus, & creatura non coalescunt in vnum ens, nec Deus est essentialiter ordinatus ad creaturam, vel creatura ad complendum Deum, vt pars ipsius.

Quinta ratio. Secundo physicorum Tex. 31. id enim cuius gratia optimum, & finem aliorum vult esse.

Respondet Zimara distinguendo de fine cuius gratia, & de fine cui; & vult rationem, & auctoritatem procedere de fine cuius gratia; non de fine cui, formam autem respicere compositum, vt finem cui, non cuius gratia; sed contra est; Quia anima hominis est gratia hominis, & anima leonis gratia leonis, & sic de reliquis. Et nonnunquam finis cui non cedit, sed excedit finem cuius gratia; vt id quod complet rationem finis, & propter quod est cuius gratia, vt homo sanitatis, & deambulationis finis.

Pro solutione.

Notandem, quod Auerrois Zimaræque opinio ex eo procedit, quod illi auctores existimant formam esse totam quidditatē rei, quod tamen falsum est, vt supra ostensum est: Quia illud est de quidditate, quod includitur in prædicato dicto de subiecto in quid, vel quod est tale prædicatum; sed in ente physico tale prædicatum includit formam, & materiam; nam si dicam quid est homo? male respondebis est anima rationalis, quæ tamen si esset quidditas hominis, non mala, sed bona esset responsio: at si respondeas est ens naturale constans anima rationale, & corpore; vel si dicas est animal rationale bene respondebis. Ex quibus patet in prædicatis, per quæ habemus quid sit homo, quod idem dici debet de cæteris Entibus naturalibus, includi formam, & materiam, vt proinde bene affirmari non possit formam esse totam rerum naturalium quidditatem;

si ergo tota quidditas non est, illius pars erit, & tota quidditas includet aliquid aliud, quod simul cum forma constituet quidditatem, constitutumque totum erit respectu formæ: sed certum est totum esse perfectius singulis partibus, cum præter perfectionem singularum partium, dicat aliquid aliud, & perfectionem singularum partium dicat perfectiori modo, & quasi consummatam, quam partes de se dicunt inchoatam, & incompletam, Vt proinde.

Dicendum sit compositum physicum esse perfectius singulis suis partibus, materia scilicet, & forma: ac de materia quidem dubium non est, de forma patet ex dictis, & confirmatur. Quæcumque entia naturalia summopere abhorrent dissolutionem totius; sed si forma de se perfectior esset composito, hoc non esset, saltem in homine, in quo forma est incorruptibilis, & durat post mortem; ergo in toto debent habere aliquam maiorem perfectionem, quam habeant de se extra totum.

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum quod axioma illud accipi debet cum magna limitatione, vt docuimus in posterioribus, & inter cœteras limitationes vna est, quod forma, quæ dicitur magis distincta in fit in vtroque, & quod illud, quod formam, & prefectionem accipit, aliunde talem perfectionem non habeat; cum autem in proposito totam eandem perfectionem, quam dicit forma, habeat compositum, & aliunde habeat aliquid aliud perfectionis, non valet axioma; nec testimonium ex metaphysica est contra conclusionem: quoniam ad hoc, vt valeat, in primo vniuocatio debet esse ab ipso, vel perfectiori modo, quam sit in alijs, quod non est in proposito, cum tota illa perfectio, quæ est in forma, sit propter compositum, & in composito perfectiori modo reperiatur.

Ad secundam Respondeo dicendum, quod compositum non est ens actu per participationem; nam ratio actus in forma, & in composito est diuersæ rationis, nec proprie vna participatur ab alia, sed vna includit aliam, compositum enim est ens in actu, & ens completum per inclusionem formæ, & materiæ, huius vt substrati, illius vt vltimæ perfectionis, vtriusque vt complentis vnam perfectionem, quam non habet nec sola forma, nec sola materia, nec à sola forma solaue materia compositum participat: Quare in forma vel explicanda, vel neganda est minor.

Ad tertiam Respondeo dicendum, quod Deo, & intelligentijs simpliciter similius est compositum, quam forma; quoniam compositum est ens per se subsistens, & completum, cui conuenit operari, & absolute esse, sicut Deus est; & intelligentiæ; secundum quid tamen dici posset intelligentijs similior forma: attamen maior perfectio attendenda est penes similitudinem simpliciter, non secundum quid.

Ad confirmationem ex Tex. illo metaphysicæ respondeo textum illum videri corruptum, nam, aliter legit Argiropilus Aphrodisæus, & Bessarion, qui legit. Vnde si forma prior materia est, & magis ens; illud quoque quod ex ambobus est prius erit ob eandem rationem. vel ergo legendus est textus hoc modo, vel dicendum cum alijs sensum textus procedere de prioritate causalitatis, non perfectionis.

Obijcies omnis causa nobilior est suo effectu; sed forma est causa compositi, compositum est effectus; Ergo forma est nobilior composito. Respondeo dicendum maiorem valere in causa efficiente, & acceptam in sensu formali, nimirum in esse causæ, & effectus; non autem valere in causis intrinsecis; & quæ causa nt se ipsas tradendo. Quare distincta maiore, negatur consequentia.

Art. 13. Vtrum forma sit principium generationis.

NEgatiuam sententiam secuti sunt Antiqui, qui negarunt dari formam, & generationem, de quibus supra. Affirmatiuam tradidit Aristoteles, & tuentur cum eo Peripatetici.

Pro prima tamen sententia negatiua non videntur deesse rationes.

Nam primo. Nulla substantia potest esse intrinseca, & essentialis accidenti; sed forma ex dictis est substantia (de hac enim modo sermo est) Generatio est accidens quoddam: Ergo forma substantialis principium intrinsecum generationis esse non potest.

Secunda ratio. forma principium generationis est, si est, vel vt subiectum, vel vt terminus à quo, vel vt terminus ad quem: non est vt subiectum, neque vt terminus à quo, vt constat ex dictis; Ergo vt terminus ad quem, sed terminus ad quem non est; Ergo non est principium. Assumptum probatur. Terminus ad quem generationis est genitum: hoc autem compositum est, non forma: Ergo terminus ad quem Generationis non est forma.

Tertia ratio. Omne principium debet esse prius principiato; sed forma, quæ dicitur principium Generationis, non est prior Generatione; Ergo Generationis principium non est.

In Contrarium. Pro sententia affirmatiua pugnant hæ rationes.

Prima. Illud principium est, per quod principiatũ est; sed per formam Generatio est; Ergo forma generationis principiũ est.

Secunda ratio. illud, quod intrinsece ingreditur ad constituendam essentiam Generationis, dici debet ipsius principium; sed talis est forma; Ergo forma generationis principium est. Maior patet; Quia principiũ est illud, vnde aliquid est. Min prob. Quia Generatio est mutatio totius in totũ; Sed mutatio neq; esse põt, neq; intelligi sine eo, qđ mutatur, sine eo a quo mutatur, & ad quod mutatur, quod est forma: Ergo forma intrinsece ingreditur essentiam Generationis, ac proinde illius principium est.

Tertia ratio. Magis pendet generatio à forma, quam à priuatione, vt manifestum est: Sed priuatio, sicut supra dictum est, generationis principium est; Ergo & forma.

Pro solutione.

Notandum, quod principia in omni re non dicuntur eodem modo: neque enim semper necesse est, quod principia ad principiata eandem habitudinem habeant; Sed tamen hoc videtur esse de intrinseca ratione principij, vt ex ipso sit principiatum. Considerare ergo oportet in proposito, quod siue accipiatur transmutatio, siue generatio, in cuius ratione includitur transmutatio, de generatione physica loquendo, sine forma ea esse non potest; nam de conceptu mutationis, vt sæpius dictum est, sunt tria, quod mutatur, à quo mutatur, & ad quod mutatur, siue quo mutatur; illud autem quod de conceptu alicuius est, ita vt per ipsum illud intelligatur constitui, illius proculdubio principium est; per formam autem cum materia & priuatione intelligitur constitui generatio, & omnis alia transmutatio, ac proinde.

Dicendum in generatione, & in omni mutatione acquisitiua formam esse principium vt terminum ad quem: in mutatione deperditiua formam esse principium vt terminum à quo. Patet Conclusio ex dictis, & Confirmatur; Quia omne constitutiuum intelligitur principium constituti; sed forma est constitutiuum generationis; Ergo est illius principium: partes enim alicuius totius etiam successiui dicuntur illius principia, quatenus concipiuntur illud constituere. licet enim aliqua pars vltimum locum obtineat in illo toto; tamen quatenus ab ipsa pendet totum, vt quod non potest esse sine illa parte, dicitur pars illius principiũ; huiusmodi autem est forma in generatione, quæ licet sit vltimus terminus ex illis duobus generationis; tamen quatenus est id, quo est generatio totius, & propter quod est generatio, satis conuenienter dicitur illius principium.

Ad

Ad rationes in contrarium.

Ad primam respondeo dicendum, quod Generatio non est accidens in eo sensu, quo accidens est forma distincta realiter à forma informante substantiali; sed accidens est quatenus omne prædicatum, quod aduenit alicui constituto in esse, vel ab eo abesse potest, dicitur eius accidens logice, & metaphysice, non physice; de huius autem accidentis ratione non repugnat esse id, quod est substantia; Quoniam substantia secundũ aliqua prædicata, quæ fundat, dici potest accidens metaphysicum, vt patet in proprietatibus entis; quamquam cum generatio, de substantiali loquendo, sit fieri rei, non potest illi esse accidens; sed magis reduci debet ad substantialia, vt via ad terminum.

Ad secundam patet ex dictis in generatione formam esse principium vt id, quo fit totum, & propter quod inadæquate est generatio; in corruptione vero esse terminum a quo est corruptio; quod autem dicitur, terminum ad quem esse genitum, & compositum, distinguendum est de termino formali, & inadæquato atque constitutiuo, & de termino adæquato, & constituto: Genitum est terminus adæquatus, & constitutus, & quod; forma est terminus formalis, & quo: per formam enim fit generatio totius non per genitum, sed potius genitum generatur per generationem, & formam. Quare negatur assumptum, & consequentia. Ad probationem patet ex dictis.

Ad tertiam respondeo dicendum, quod omne principium in sensu formali, idest quatenus principium, est prius principiato, saltem natura; Quia ab ipso dependere debet principiatum, qua ratione forma est prior ea generatione, qua fit totum; nam forma est id, quo fit generatio totius: est enim id, quo medio subiectum transit à priuatione ad habitum, & cum talis transitus fit propter habitum, qui est forma; ideo & vt finis, & vt id, quo fit generatio totius, forma prior est generatione; quæ tamen adhuc sub alia ratione generatione posterior est, quatenus scilicet per generationem vt per viam fit, cuius etiam terminus est. Quare generatio considerari potest dupliciter, & vt est præcise via ad formam, & vt est via ad compositum, primo modo forma generationis solum principium est finale, & per intentionem; secundo modo, & finale, & formale generationis principium est, atque adeo, & vtroque modo illa prior est.

Per quæ patet etiam ad obiectionem, quæ fieri solet huiusmodi. Generatio est fieri formæ, sed rursum forma est id, quo fit generatio; ergo idem est principium sui ipsius, & principium, & principiatum, atq; adeo prius, & posterius.

Distinguendum enim est de generatione, sicut distinctum est, & concedendum formam esse generationis principium, & formale, & finale; sed inadæquate, atque adeo vtroque modo esse priorem generatione; vt est fieri totius; sed esse posteriorem executione generatione, vt generatio est via ad formam, cuius forma principium non est nisi finale, & secundum intentionem, atque adeo solum secundum intentionem prior, & posterior secundum executionem.

Ex dictis patet formam, & compositum esse Generationis fines, sed qui integrant vnum finem totalem, & quorum vnus includit alium. Præterea patet compositum non esse principium generationis, nisi vt finem, & per intentionem; principiatum vero esse secundum executionem, & constitutionem.

Laus Deo Optimo Maximo, Virginique Deiparæ.

MEDIOLANI,

Apud Carolum Lantonum. M. DC. XXVIII.
Superiorum Permissu.

Ad instantiam Io. Baptistæ Cerrij.